UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Hvgonis Grotii De Ivre Belli Ac Pacis Libri Tres

Grotius, Hugo

Moeno-Francofvrti, 1626

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-675

Visual Library

Nro: 163.
der Schule gehörig.
1819.

Scrit Grotius secul. 17. ann. 1645.

G3
59 b

HVGONIS GROTII
DE
IVRE BELLI AC PACIS
LIBRI TRES.

In quibus ius Naturæ & Gentium: item iuris publici præcipua explicantur.



GYMNASIUM IN ELBERFELD

constat { materia — [illegible]
ligatura — 3 β. 4 d.
Argenter. M. DC XXXII. 9. 7bris

MOENO-FRANCOFVRTI,
Typis & sumptibus Wechelianorum, Danielis & Dauidis Aubriorum & Clementis Schleichii.
ANNO M. DC. XXVI.

LVDOVICO XIII.
CHRISTIANISS. FRANCORVM ET NAVARRÆ REGI,

HVGO GROTIVS.

AVDET hic liber, Regum eminentissime, tuum sibi augustum nomen inscribere, nõ sui, non auctoris, sed argumẽti fiducia, pro Iustitia quippe scriptus; quæ virtus adeò tua est, vt inde tuis meritis & humani generis suffragio dignissimum tanto Rege cognomentum acceperis, vt iam vbique Iusti appellatione non minus quàm LVDOVICI noscaris. Specioſi Romanus ducibus videbantur ex Creta, Numidia, Africa, Asia aliisque deuictis gentibus tituli. At quanto tuum illustrius, quo significaris nullius populi, nullius hominis, sed eius

quod iniustum est & hostis vbique & victor semper? Magnum putarunt Ægyptii reges, si patris hic, matris ille, fratrum amans alius dicerentur. At quantulæ hæ partes sunt tui nominis, quod non ista tantùm, sed quicquid pulchrum & honestum excogitari potest, ambitu suo complectitur? Iustus es, cum Magni supra omne id quod dici potest Regis Patris tui memoriam honoras ipsum imitando: Iustus, cum Matrem Optimam reuereris plus quàm vel priuati solet: Iustus, cum Fratrem modis omnibus, sed nulla re magis quàm exemplo tuo instruis: Iustus, cum Sorores summis matrimoniis ornas: Iustus, cum sepultas propè leges reuocas, &, quantum potes, ruenti in peius sæculo temet opponis: Iustus, sed simul clemens, cum subditis, quos tuæ bonitatis ignorantia ab officii limite transuersos egerat, præter peccandi licentiam nihil adimis, nec vim adfers animis circa diuina diuersum à te sentientibus: Iustus simulq; misericors, cum oppressos populos, afflictos Principes tua auctoritate releuas, nec fortunæ

tunæ nimium licere permittis. Quæ tua singularis beneficentia & in tantum Deo similis quantum humana natura patitur, me cogit vt in hac quoq; publica allocutione gratias tibi pro me priuatim habeam. Nam quemadmodum cœlestia sidera non tantum magnis mundi partibus se infundunt, sed ad singula animantia vim suam patiuntur descendere; ita tu, in terris benignissimum sidus, non contentus erigere Principes, subleuare populos, mihi quoque in patria malè habito & præsidium voluisti esse & solatium. Accedit ad implendum Iustitiæ orbem post actiones publicas etiam priuatæ vitæ tuæ innocentia & puritas, digna quam non homines tantum, sed & ætheriæ mentes admirentur. Nam quotus quisque de plebe infima, imò de ipsis illis qui à mundi consortio se abscíderunt, ita se ab omnibus culpis immunem præstat, vt tu, in ea positus fortuna quæ innumeris peccandi illecebris vndique obsidetur? Quantum verò hoc est, inter negotia, in turba, in aula, inter tot tam diuersa

peccantium exempla id consequi, quod aliis solitudo vix, sæpe ne vix quidem, præstat? Hoc verò est, non Iusti tantùm, sed & Sancti nomen in hac ipsa vita mereri, quod maioribus tuis Carolo Magno & Ludouico pio. rum consensus post obitum tribuit: hoc est esse non gentilitio, sed suo proprio iure Christianissimum. Sed Iustitiæ cùm pars nulla à te aliena sit, illa tamen quæ circa libri huius materiam, id est circa belli pacisque consilia versatur, eò propriè tua est quò Rex es, & quidem Rex Francorum. Ingens hoc regnũ tuum, quod per tanta tam felicium terrarum spatia in vtrumque mare procurrit: sed maius hoc regno regnum est quòd regna aliena non concupiscis. Dignum hoc tua pietate, dignum isto fastigio, non cuiusquam ius armis attentare, non veteres turbare fines; sed in bello pacis gerere negotium, nec incipere nisi hoc voto vt quàm primum desinas. Quàm verò pulchrum hoc, quàm gloriosum, quàm ipsi conscientiæ lætum, vt si quando te Deus ad suum regnum, quod solum tuo

melius

melius est, vocauerit, audacter possis dicere: Hunc ego à te gladium pro Iustitiæ tutela accepi, hunc tibi nullius temere fusi sanguinis reum, purum insontemque reddo. Ita fiet vt quas nos nunc regulas ex libris petimus, in posterum ex tuis actionibus, tanquam ex perfectissimo exemplari petantur. Quodipsum cùm sit maximum, plus tamen aliquid à te exigere audent Christianorum populi: vt scilicet exstinctis vbique armis pax sua non imperiis tantum, sed & Ecclesiis te auctore redeat, discatque nostra ætas arbitrium subire eius ætatis quam vera sinceraque fidem Christianam fuisse Christiani omnes profitemur. Pertæsos discordiarum animos excitat in hanc spem recens contracta inter te & sapientissimum pacisque illius sanctæ amantissimum Magnæ Britanniæ Regem amicitia & auspicatissimo Sororis tuæ matrimonio federata. Difficile negotium, propter studia partium, gliscentibus in dies odiis inflammata: sed tantis regibus nihil dignum, nisi quod difficile, nisi

quod ab aliis omnibus desperatum. Deus pacis, Deus iustitiæ, Rex iuste, rex pacifice, cũ aliis bonis omnibus, tum hac etiam laude cumulet tuam suæ proximam Maiestatem.

IN

IN TRES LIBROS

DE IVRE BELLI AC PACIS

PROLEGOMENA.

IVS ciuile siue Romanũ siue quod cuique patrium est, aut illustrare commentariis aut cõtractum ob oculos ponere aggressi sunt multi, at ius illud, quod inter populos plures aut populorum rectores intercedit, siue ab ipsa natura profectum, siue moribus & pacto tacito introductum attigerunt pauci, vniuersim ac certo ordine tractauit hactenus nemo: cùm tamen id fieri interfit humani generis. Verè enim Cicero præstabilem hanc dixit scientiam, in federibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum exterarúmq; nationum, in omni denique belli iure & pacis: Et Euripides hanc scientiam rerum diuinarum & humanarum cognitioni præponit. sic enim Theoclymenem compellari facit:

Nam turpe id esset, cùm scias hominũ ac Deûm
Quod est eritq;, iusta te haud cognoscere.

Atque eò magis necessaria est hæc opera, quòd & nostro sæculo non desunt, & olim non defuerunt qui hanc iuris partem ita cõtemnerent quasi nihil eius præter inane nomen existeret. In omnium ferme ore est Euthydemi dictum apud Thucydidem, regi aut ciuitati imperium habenti, nihil iniustum quod vtile: cui simile illud, in summa fortuna id æquius quod validius, & rempublicam sine iniuria geri nõ posse. Accedit quod quæ inter populos aut reges incidunt controuersiæ ferme Martem habent arbitrum. Est autem non vulgi tantùm hæc opinio, bellum ab omni iure abesse longissimè, sed & viris doctis ac prudentibus sæpe dicta excidunt quæ talem opinionem foueant. Nihil enim frequentius quàm oppositа inter se, ius & arma. Nam & Ennius dixit:

Non ex iure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt.

Et Horatius ferociam Achillis sic describit:

Iura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

& alius alium cùm bellum ordiretur sic loquentem inducit:

Hîc pacem temeratag; iura relinquo.

Ipse ille oris tam verecundi Pompeius, ausus est dicere: *Armatus leges vt cogitem?* In Christianis scriptoribus plurima eius sensus occurrunt: pro multis vnum Tertulliani sufficiat.

ciat. *Dolus, asperitas, iniustitia, propria bellorum negotia.* Qui ita sentiunt, dubium non est quin opposituri sint nobis illud ex Comœdia:

Incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quàm si des operam, vt cum ratione insanias.

Cùm verò frustra de iure suscipiatur disputatio, si ipsum ius nullum est, & ad commendandum & ad præmuniẽdum opus nostrum pertinebit, hunc grauissimum errorem breuiter refelli. Cæterùm ne cum turba nobis res sit, demus ei aduocatum. Et quem potiùs quàm Carneadẽ, qui ad id peruenerat, quod Academiæ suæ summum erat, vt pro falso non minùs quàm pro vero vires eloquentiæ posset intendere? Is ergo cùm suscepisset iustitiæ, huius præcipuè de qua nunc agimus, oppugnationem, nullum inuenit argumentum validius isto: iura sibi homines pro vtilitate sanxisse varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus sæpe mutata: ius autem naturale esse nullum: omnes enim & homines & alias animãtes ad vtilitates suas natura ducẽte ferri: proinde aut nullam esse iustitiam; aut si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceat alienis commodis consulens. Verùm quod hîc dicit philosophus, & sequitur poëta,

Nec natura potest iusto secernere iniquum:

admitti

admitti omnino non debet. nam homo animans quidem est, sed eximium animãs, multóque longiùs distans à cæteris omnibus quàm cæterorum genera inter se distant: cui rei testimonium perhibent multæ actiones humani generis propriæ. Inter hæc autem quæ homini sunt propria, est appetitus societatis, id est communitatis, non qualiscunque, sed tranquillæ & pro sui intellectus modo ordinatæ cum his qui sui sunt generis. Quod ergo dicitur natura quodque animal ad suas tantùm vtilitates ferri: verum esto de cæteris animantibus & de homine antequam ad vsum eius quod homini proprium est peruenerit: quanquam & de animantibus cæteris hæc addenda est exceptio, quòd quædam vtilitatum suarum studium, partim fœtuum suorum, partim aliorum sibi congenerum respectu aliquatenus temperant: quod in illis quidem procedere credimus ex principio aliquo intelligente extrinseco, quia circa actus alios istis neutiquam difficiliores par intelligentia in illis nõ apparet: Homini autẽ, cùm circa similia similiter agat, inesse principium quoddam internum par est intelligi, cui quæ conueniunt ea sunt non omnium quidem animantium, sed humanæ naturæ congruentia. Hæc verò quam rudi modo iam expressimus societatis custo-

dia

dia humano intellectui conueniens, fons est eius iuris quod propriè tali nomine appellatur: quò pertinent alieni abstinẽtia, & si quid alieni habeamus aut lucri inde fecerimus restitutio, promissorum implendorum obligatio, damni culpâ dati reparatio, & pœnæ inter homines meritum. Ab hac iuris significatione fluxit altera largior: quia enim homo supra cæteras animantes nõ tantùm vim obtinet socialem de qua diximus, sed & iudicium ad æstimanda quæ delectant aut nocent, non præsentia tantùm, sed & futura, & quæ in vtrumuis possunt ducere, pro humani intellectus modo etiam in his iudicium rectè conformatum sequi, neque metu, aut voluptatis præsentis illecebra corrumpi, aut temerario rapi impetu, conueniens esse humanæ naturæ; & quod tali iudicio planè repugnat, etiam contra ius naturæ, humanæ scilicet, esse intelligitur. Atque huc etiam pertinet in his quæ cuique homini aut cœtui propria sunt elargiendis prudens dispensatio, vt quæ nunc sapientiorem minùs sapienti, nunc propinquum extraneo, nunc pauperem diuiti, prout actus cuiusque & rei natura fert, præponit: quam iuris propriè strictéque dicti partem iam olim multi faciunt, cùm tamen ius illud propriè nominatum diuersam longè naturam habeat, in eo posi-

tam

tam vt quæ iam sunt alterius alteri permittantur, aut impleantur. Et hæc quidem quæ iam diximus, locum haberent etiamsi daremus, quòd sine summo scelere dari nequit, non esse Deũ, aut nõ curari ab eo negotia humana: cuius contrarium cùm nobis etiam nolentibus ingerat lux animis nostris insita, confirment verò & argumenta multa & miracula ab omnibus sæculis testata, sequitur iam ipsi Deo, vt opifici & cui nos nostraque omnia debeamus, sine exceptione parendum nobis esse, prę cipuè cùm is se multis modis & optimum & potentissimum ostenderit, ita vt sibi obediẽtibus præmia reddere maxima, etiam æterna possit, & voluisse credi debeat, multoque magis si id disertis verbis promiserit: quod post Hebræos veteres Christiani indubitata testimoniorũ fide conuicti credimus. Et hæc iam alia iuris origo est præter illam naturalem, veniens scilicet ex libera Dei voluntate, cui nos subijci debere intellectus ipse noster nobis irrefragabiliter dictat. Sed & illud ipsum de quo egimus naturale ius, siue illud sociale, siue quod laxiùs ita dicitur, quanquam ex principijs homini internis necessariò profluit, Deo tamen asscribi meritò potest, quia vt talia principia in nobis existerent ipse voluit: quo sensu Chrysippus & Stoici dicebant iuris originem

nem non aliunde petendam quàm ab ipso Ioue, à quo Iouis nomine ius Latinis dictum probabiliter dici potest. Inter homines quasi Dij quidam sunt parentes, quibus proinde non infinitum, sed sui generis obsequium debetur. Deinde verò cùm iuris naturæ sit stare pactis, necessarius enim erat inter homines aliquis se obligãdi modus, neque verò alius modus naturalis fingi potest, ab hoc ipso fonte iura ciuilia fluxerunt. Nam qui se cœtui alicui aggregauerant, aut homini hominibusve subijecerant, hi aut expressè promiserant, aut ex negotij natura tacitè promisisse debebant intelligi, secuturos se id quod aut cœtus pars maior, aut hi quib⁹ delata potestas erat constituissent. Quod ergo dicitur non Carneadi tantùm, sed & alijs,

Vtilitas iusti propè mater & æqui;

si accuratè loquamur, verum non est: nam naturalis iuris mater est ipsa humana natura, quæ nos etiamsi re nulla indigeremus ad societatem mutuam appetendam ferret: ciuilis verò iuris mater est ipsa ex consensu obligatio, quæ cùm ex naturali iure vim suam habeat, potest natura huius quoq; iuris quasi proauia dici. Sed naturali iuri vtilitas accedit: voluit enim naturæ auctor nos singulos & infirmos esse & multarum rerum ad vitam rectè ducendam egentes, quò magis

ad

ad colendam societatem raperemur: iuri autem ciuili occasionem dedit vtilitas: nam illa quam diximus consociatio aut subiectio vtilitatis alicuius causa cœpit institui. Deinde & qui iura præscribunt alijs, in eo vtilitatem aliquam spectare solent, aut debent. Sed sicut cuiusque ciuitatis iura vtilitatem suæ ciuitatis respiciunt, ita inter ciuitates aut omnes aut pleraſque ex consensu iura quædam nasci potuerunt, & nata apparet, quæ vtilitatē respicerēt non cœtuum singulorum, sed magnæ illius vniuersitatis. Et hoc ius est quod gentium dicitur, quoties id nomen à iure naturali distinguimus, quam partem iuris omisit Carneades ius omne in naturale & ciuile singulorum populorum distribuens, cùm tamen de eo iure quod inter populos versatur acturus (subiecit enim orationem de bellis & bello partis) huius iuris mentionem facere omnino debuisset. Malè autem à Carneade stultitię nomine iustitia traducitur. Nam sicut ipso fatente stultus non est ciuis, qui in ciuitate ius ciuile sequitur, etiamsi ob eius iuris reuerentiam quędam sibi vtilia omittere debeat; ita nec stultus est populus qui non tanti facit suas vtilitates vt propterea communia populorum iura negligat; par enim in vtroque est ratio: nā sicut ciuis qui ius ciuile pertumpit vtilitatis præsentis causa id conuellit

quo

quò ipsius posteritatisque suæ perpetuæ vtilitates continentur; sic & populus iura naturæ gentiumque violant suæ quoque tranquillitatis in posterum rescindit munimenta. Tum verò etiamsi ex iuris obseruatione nulla spectaretur vtilitas, sapientiæ non stultitiæ esset eò ferri ad quod à natura nostra nos duci sentimus. Quare nec illud,

Iura inuenta metu iniusti fateare necesse est:

quòd apud Platonem quidam ita explicat, metu accipiendæ iniuriæ repertas leges, ac vi quadam homines ad iustitiam colendam adigi, vniuersaliter verum est. Id enim ad ea duntaxat instituta ac leges pertinet, quæ ad faciliorē iuris exsecutionem reperta sunt; sicut multi per se infirmi, ne à validioribus opprimerentur, conspirarunt ad instituenda ac cōmunibus viribus tuenda iudicia, vt quibus singuli pares non erant, his vniuersi præualerent. Et hoc demum sensu commode accipi potest quod dicitur ius esse id quod validiori placuit, vt intelligamus fine suo externo carere ius nisi vires ministras habeat. Neque tamen quamuis à vi destitutum ius omni caret effectu. nam iustitia securitatem affert cōscientiæ, iniustitia tormenta ac laniatus quales in tyrannorum pectoribus describit Plato: iustitiam probat, iniustitiam damnat proborum consensus: quod verò maximum est, hęc

Deum inimicum, illa fauentem habet, qui iudicia sua ita post hanc vitam reseruat, vt sæpe eorum vim etiam in hac vita repræsentet; quod multis exemplis historiæ docent. Quòd verò multi quam à ciuibus exigunt iustitiam eam in populo aut populi rectore insuperhabeant, eius erroris causa est, primùm quòd in iure nihil spectant nisi vtilitatem quæ ex iure oritur, quæ euidens est in ciuibus qui singuli ad sui tutelam inualidi sunt: at magnæ ciuitates cùm omnia in se complecti videantur quæ ad vitam rectè tuendam sunt necessaria, opus habere non videntur ea virtute quæ foras spectat & iustitia appellatur. Sed vt ne repetam quod dixi, ius non solius vtilitatis causa comparatum, nulla est tam valida ciuitas quæ non aliquando aliorum extra se ope indigere possit, vel ad commercia, vel etiam ad arcendas multarum externarum gentium iunctas in se vires; vnde etiam à potentissimis populis & regibus fœdera appeti videmus, quorum vis omnis tollitur ab his qui ius intra ciuitatis fines concludunt. Verissimum illud, omnia incerta esse simul à iure recessum est. Si nulla est communitas quæ sine iure conseruari possit, quod memorabili latronum exemplo probabat Aristoteles, certe & illa quæ genus humanũ aut populos complures

inter

inter se colligat, iure indiget: quod ille vidit qui dixit fœda ne patriæ quidem causa facienda esse. Is ipse quem nominauimus modò in partem alteram Pompeius, quod Spartanus quidam rex dixerat, beatissimã esse rempublicam cuius fines hasta & gladio terminarentur, correxit, dicens eam verè beatam esse quæ iustitiam pro finibus haberet: quam ad rem alterius itidem Spartani regis vti potuit auctoritate, qui militari fortitudini iustitiam antepositit, hoc argumento quòd fortitudo iustitia quadam regi deberet: at si iusti essent homines omnes, fortitudine illa non indigerent. Themistius oratione ad Valentẽ facundè disserit, reges quales exigit sapientiæ regula, non vnius sibi creditæ gentis habere rationem, sed totius humani generis, & esse, vt ipse loquitur, non φιλομακεδονας tantùm, aut φιλορωμαιους, sed φιλανθρωπους. Tantum verò abest vt admittendum sit quod quidam fingunt, in bello omnia iura cessare, vt nec suscipi bellum debeat nisi ad iuris consecutionem, nec susceptum geri nisi intra iuris ac fidei modum. Bene Demosthenes bellum esse in eos dixit qui iudiciis coerceri nequeunt. Iudicia enim vigent aduersus eos qui inualidiores se sentiunt: in eos qui pares se faciunt aut putant bella sumuntur, sed nimirum, vt recta sint non minori religione

exercenda quam iudicia exerceri solent. Sileant ergo leges inter arma, sed ciuiles illæ & iudiciariæ & pacis propriæ: non aliæ perpetuæ & omnibus temporibus accommodatæ. Optimè enim dictum est à Dione Prusiensi, inter hostes scripta quidem iura, id est ciuilia non valere, at valere non scripta, id est ea quæ natura dictat, aut gentium consensus constituit. Docet hoc vetus illa Romanorum formula: *eas res puro pioq; duello quærendas censeo.* Iidem veteres Romani, vt Varro notabat, bella tardè & nulla licentia suscipiebant, quòd bellum nullum nisi pium putabant geri oportere. Camillus iustè non minùs quàm fortiter bella gerenda dicebat: Apud alium legas: *Sunt & belli sicut & pacis iura.* Alius Fabricium miratur ingentem virum, & quod difficillimum est in bello innocentem, & qui aliquid esse crederet & in hostem nefas. Quantam vim habeat in bellis iustitiæ conscientia, passim ostendunt historiarũ scriptores, qui victoriam sæpe huic causæ præcipue asscribunt: Inde prouerbia illa, frangi & attolli vires in milite à causa: rarò enim sospitem redire qui iniusta arma sumserit: bonæ causæ spem adesse comitem, & alia in eum sensum. Nec mouere quenquam debent prosperi successus iniquarum molitionum. Satis enim est quod causæ æquitas

suam

suam quandam eamque magnam habet vim ad agendum, quanquam ea vis, vt in rebus humanis accidit, sæpe aliarum causarum oppositu ab effectu impeditur. Etiam ad amicitias conciliandas, quibus vt singuli, ita & populi ad multas res opus habent, multùm valet opinio de bello non temerè nec iniuste susceptо, pieque gesto. Nemo enim iis se facile adiungit quibus ius, fas, fidem vilia putat. Ego cum ob eas quas iam dixi rationes compertissimũ haberem, esse aliquod inter populos ius commune quod & ad bella & in bellis valeret, cur de eo instituerem scriptionem causas habui multas ac graues. Videbam per Christianum orbem vel barbaris gentibus pudendam bellandi licentiam: leuibus aut nullis de caussis ad arma procurri, quibus semel sumtis nullam iam diuini, nullam humani iuris reuerẽtiam, planè quasi vno edicto ad omnia scelera emisso furore. Cuius immanitatis cõspectu multi homines minimè mali eò venerunt, vt Christiano, cuius disciplina in omnibus hominibus diligendis præcipuè consistit, omnia arma interdicerent: ad quos accedere interdum videntur & Ioannes Ferus, & Erasmus nostras, viri pacis & Ecclesiasticæ & ciuilis amantissimi, sed eo, vt arbitror, consilio quo solemus quæ in vnam partem exierunt in alteram re-

flectere vt in verum modum redeant. Verùm hic ipse nimium contra nitendi conatus sæpe adeò non proficit vt obsit etiam, quia deprehensum facile quod in his nimium est, etiam aliis dictis intra verum stantibus auctoritatem detrahit. Medicina ergo vtrisque adhibenda fuit, tum ne nihil, tum ne omnia crederentur licere. Simul & iurisprudentiam quam antehac in muneribus publicis quanta potui integritate exercui, nunc quod mihi indignè è patria tot meis laboribus ornata electo restabat, priuatæ diligentiæ studio adiuuare volui. Artis formam ei imponere multi antehac destinarunt: perfecit nemo: neq; vero fieri potest nisi, quod non satis curatum est hactenus, ea quæ ex constituto veniunt à naturalibus rectè separentur. nam naturalia cùm semper eadem sint facilè possunt in artem colligi: illa autem quæ ex constituto veniunt, cùm & mutentur sæpe & alibi alia sint, extra artem posita sunt, vt aliæ rerum singularium perceptiones. Quòd si qui veræ iustitiæ sacerdotes naturalis & perpetuæ iurisprudentiæ partes tractandas susciperent, semotis iis quæ ex voluntate libera ortum habent, alius quidem de legibus, alius de tributis, alius de iudicum officio, alius de voluntatum coniectura, alius de factorum facienda fide, posset deinde ex omnibus par-

bus partibus collectis corpus confici. Nos certè quam viam ineundam censeremus, reipsa potiùs quàm verbis ostendimus in hoc opere quod partem iurisprudentię longe nobilissimam continet. Primo enim libro præfati de iuris origine generalem examinauimus quæstionem, sitne bellum aliquod iustum: deinde ad noscenda publici priuatique belli discrimina explicandam habuimus vim ipsam summi imperii, qui eam populi, qui reges solidam, qui ex parte, qui cum alienandi iure, qui aliter habeāt: deinde & de subditorū in superiores officio dicendum fuit. Liber secundus, cùm omnes causas ex quibus bellum oriri potest exponendas sumserit, quæ res communes sint, quæ propriæ, quod ius personis in personas, quæ ex dominio nascatur obligatio, quæ successionum regiarum norma, quod ius veniat ex pacto, aut contractu, quæ federum, quæ iurisiurandi tum priuati tum publici vis atque interpretatio, quid ex damno dato debeatur, quæ legatorum sanctimonia, quale ius humandi mortuos, quæ pœnarum natura, latè exsequitur. Tertius liber primùm subiectam sibi habens materiam id quod in bello licet, cùm id quod impune fit aut etiam apud populos exteros pro iure defenditur ab eo quod vitio caret distinxisset, descēdit ad pacis genera &

omnes bellicas conuentiones. Eo autem maius visum est pretium operæ, quòd vt dixi totum hoc argumentum tractauit nemo, & qui tractarunt partes, ita tractarunt vt multum reliquerint alienæ industriæ. Veterum philosophorũ nihil exstat huius generis, neque Græcorum, quos inter Aristoteles librum fecerat, cui nomen δικαιώματα πολέμων, neque Latinorum: sed neq; eorum qui Christianismo recenti nomen dederunt, quod valde optandum fuerat: etiam Romanorum veterum libri de iure feciali nihil ad nos sui præter nomen transmiserunt. Hi qui summas fecerunt casuum quos vocant conscientiæ, vt de aliis rebus, ita & de bello, de promissis, de iuramento, de repressaliis capita fecerunt. Vidi & speciales libros de belli iure partim à Theologis scriptos, vt à Francisco Victoria, Henrico Gorichemo, Wilhelmo Matthæi, partim à doctoribus iuris, vt Ioanne Lupo, Francisco Ario, Ioanne de Lignano, Martino Laudensi: sed hi omnes de vberrimo argumento pauciſſima dixerunt, & ita plerique vt sine ordine quæ naturalis sunt iuris, quæ diuini, quæ gentium, quæ ciuilis, quæ ex canonibus veniunt, permiscerent atque confunderent. Quod his omnibus maxime defuit, historiarum lucem, supplere aggressi sunt eruditissimus Faber in Semestriũ

capitibus

capitibus nonnullis, sed pro instituti sui modo, & testimoniis tantùm allatis; diffusius, & vt ad definitiones aliquas exemplorum congeriem referrent, Balthazar Ayala, & plus eo Albericus Gentilis, cuius diligentiâ sicut alios adiuuari posse scio & me adiutum profiteor, ita quid in docendi genere, quid in ordine, quid in distinguendis quæstionibus, iurisque diuersi generibus desiderari in eò possit, lectoribus iudicium relinquo. Illud tantùm dicam, solere eum sæpe in controuersiis definiendis sequi, aut exempla pauca non semper probanda, aut etiam auctoritatem nouorum Iurisconsultorum in responsis, quorum non pauca ad gratiam consulentium, non ad æqui bonique naturam sunt composita. Causas vnde bellum iustum aut iniustum dicitur, Ayala non attigit; Gentilis summa quædam genera quo ipsi visum est modo delineauit, multos verò & nobilium & frequentium controuersiarum locos ne attigit quidem. Nos ne quid tale indictum abiret operam dedimus, indicatis etiam diiudicationum fontibus, vnde facile esset etiã si quid omissum à nobis esset definire. Superest vt quibus ego auxiliis & qua cura hanc rẽ aggressus sim, breuiter exponam. Primum mihi cura hæc fuit, vt eorum quæ ad ius naturæ pertinent probationes referrem ad no-

tiones quasdam tam certas vt eas nemo negare possit, nisi sibi vim inferat. Principia enim eius iuris per se patent atque euidentia sunt, multo magis quàm quæ sensibus externis percipimus; qui tamen & ipsi bene conformatis sentiendi instrumentis, & si cætera necessaria adsint, non fallunt. Ideo in Phœnissis Euripides sic loquentem facit Polynicen, cuius apertè iustam vult fuisse causam:

Hæc sum profatus, mater, haud ambagibus
Implicita, sed quæ regulis æqui & boni
Suffulta, rudibus pariter & doctis patent.

Statimque addit chori (constat is autem ex feminis iisque barbaris) iudicium, dicta approbantis. Vsus sum etiam ad iuris huius probationem testimoniis philosophorum, historicorum, poetarum postremò & oratorum: non quod illis indiscrete credendum sit; solent enim sectæ, argumento, causæ seruire: sed quod vbi multi diuersis temporibus ac locis idem pro certo affirmant, id ad causam vniuersalem referri debeat: quæ in nostris quæstionibus alia esse non potest quàm aut recta illatio ex naturæ principiis procedens, aut communis aliquis consensus. Illa ius naturæ indicat, hic ius gentium: quorum discrimen non quidem ex ipsis testimoniis (passim enim scriptores voces iuris naturæ & gentiū permiscent) sed ex materiæ qualitate

litate intelligendum est. Quod enim ex certis principiis certa argumentatione deduci non potest, & tamen vbique obseruatum apparet, sequitur vt ex voluntate libera ortum habeat. Itaque hæc duo non minus inter se quam à iure ciuili discernere semper vnice laboraui: imò & in gentium iure discreui id quod verè & ex omni parte ius est, & id quod duntaxat effectum quendam externum ad instar illius primitiui iuris parit, nempe ne vi resistere liceat aut etiam vt vbique vi publica vtilitatis alicuius causa, vel vt incommoda grauia vitentur, defendi debeat: quæ obseruatio quàm sit necessaria ad res multas in ipso operis contextu apparebit. Non minùs sollicitè separauimus, ea quæ iuris sunt strictè ac propriè dicti, vnde restitutionis obligatio oritur, & ea quæ iuris esse dicuntur, quia aliter agere cum alio aliquo rectæ rationis dictato pugnat: de qua iuris diuersitate aliquid iam & supra diximus. Inter philosophos merito principem obtinet locũ Aristoteles, siue tractandi ordinem, siue distinguẽdi acumẽ, siue rationum pondera cõsideres. Vtinam tantùm principatus ille ab aliquot hinc sæculis non in tyrannidem abiisset, ita vt veritas cui Aristoteles fidelem nauauit operã, nulla iam re magis opprimatur quàm Aristotelis nomine. Ego & hîc & alibi

veterum

veterum Christianorum sequor libertatem qui in nullius philosophorum sectam iurauerant, non quod eis assentirentur qui nihil percipi posse dicebant, quo nihil est stultius; sed quòd nullam esse sectam putarent quæ omne verum vidisset, & nullam quæ non aliquid ex vero. Itaque veritatem sparsam per singulos, per sectásque diffusam, in corpus colligere, id vero existimabant nihil esse aliud quàm verè Christianam tradere disciplinam. Inter cætera, vt hoc obiter, à nostro instituto non alienum dicam, non sine causa videntur mihi ab Aristotele discedere, & Platonici nonnulli, & Christiani veteres, in eo quod ille naturam ipsam virtutis in mediocritate affectuum actionumq; posuerit: quod semel positum eò ipsum abduxit, vt & virtutes diuersas, puta liberalitatem & parsimoniam in vnam compingeret, & veritati daret opposita minime ex æquo respondentia iactantiam & dissimulationem; & quibusdam rebus vitii nomen imponeret, quæ aut non existunt, aut vitia per se non sunt, vt cõtemtum voluptatis & honorum, & iræ aduersus homines vacuitatem. Non rectè autem vniuersaliter positum hoc fundamentum vel ex iustitia apparet, cui oppositum nimium & parum, cùm in affectibus & sequentibus eos actionibus inuenire non posset, in-

rebus

rebus ipsis circa quas iustitia versatur vtrunque quæsiuit: quod ipsum primum est desilire de genere in genus alterum, quod in aliis meritò culpat: deinde minus suo accipere, potest quidem aduentitium habere vitium, ex eo quod quis pro rerum circumstantiis sibi ac suis debeat, at certè cum iustitia pugnare non potest quæ tota in alieni abstinentia posita est. Cui hallucinationi similis illa est, quòd adulterium ex libidine, cædem ex ira proprie ad iniustitiam pertinere non vult, cùm tamen iniustitia non aliam naturam habeat quam alieni vsurpationem, nec referat ex auaritia illa, an ex libidine, an ex ira, an ex imprudente misericordia proueniat: an ex cupiditate excellendi, vnde maximæ iniuriæ nasci solent. Nam qualiacunque incitamenta contemnere hac tantum de causa, ne societas humana violetur, hoc vero iustitiæ proprium est. Vt redeam vnde veneram, verum quidem est virtutibus nonnullis accidere vt affectus moderentur, sed hoc non ideo quòd id sit virtuti omni proprium atq; perpetuum, sed quia recta ratio, quam virtus vbique sequitur, in quibusdam modum sequendum dictat, in quibusdam ad summa incitat: nam Deum nimium colere non possumus: superstitio enim non eò peccat quòd Deum nimium colat, sed quod

per-

peruersè: neque æterna bona nimiùm possumus appetere, neque æterna mala nimium formidare: neque peccata nimium ōdisse. Nobis propositum est Aristotelem magni facere, sed cum ea libertate quam ipse sibi in suos magistros veri studio indulsit. Historiæ duplicem habent vsum qui nostri sit argumenti: nam & exempla suppeditant & iudicia: exempla quo meliorum sunt temporū ac populorum, eo plus habent auctoritatis: ideo Græca & Romana vetera cæteris prætulimus. Nec spernenda iudicia præsertim consentiētia: ius enim naturæ vt diximus aliquo modo inde probatur: ius vero gentium nō est „ vt aliter probetur. Poetarum & oratorū sen- „ tentiæ non tantum habent pondus: & nos ę- „ pe iis vtimur non tam vt inde adstruamus fi- „ dem, quam vt his quæ dicere voluimus ab i- „ psorum dictis aliquid ornamenti accedat. Librorum quos à Deo afflati homines aut scripserunt aut probarunt, auctoritate sæpe vtor cum discrimine antiquæ & nouæ legis. Antiquam legem sunt qui vrgent pro ipso iure naturæ: haud dubiè mendose; multa enim eius veniunt ex Dei voluntate libera quæ tamen cum vero iure naturæ nunquam pugnat, & eatenus argumentum inde rectè ducitur, dummodo distinguamus

accuratè

accuratè ius Dei quod Deus per homines interdum exequitur, & ius hominum inter se. Vitauimus ergo quantum potuimus, & hunc errorem & alterum ei contrarium, qui post noui federis tempora nullum antiqui federis vsum esse putat. Nos contrà censemus, tum ob id quod iam diximus, tum quia noui federis ea est natura, vt quæ ad virtutes morum pertinentia præcipiuntur in veteri federe, eadem & ipsum aut maiora præcipiat: & hunc in modum vsos testimonis antiqui federis videmus antiquos Christianorum scriptores. Ad percipiendam autem librorum ad antiquum fedus pertinentium sententiam non parum conferre nobis possunt Hebræi scriptores, ij maximè qui & sermones & mores patrios habuerunt percognita. Nouo federe in hoc vtor, vt doceam, quod non aliunde disci potest, quid Christianis liceat: quod ipsum tamen, contrà quam plerique faciunt, à iure naturæ distinxi: pro certo habens in illa sanctissima lege maiorem nobis sanctimoniam præcipi quàm solum per se ius naturæ exigat. Neque tamen omisi notare, si qua sunt quæ nobis commendantur magis quam præcipiuntur, vt à præceptis declinare sciamus nefas & pœnæ obnoxium, ad summa quæque contendere generosi esse consilii & sua non carituri

merce-

mercede. Synodici canones qui recti sunt, collectiones sunt ex generalibus legis diuinæ pronuntiatis ad ea quæ occurrunt aptatę: hi quoque aut monstrant quod diuina lex præcipit, aut ad id quod Deus suadet hortantur. Et hoc vere Ecclesiæ Christianæ est officium, ea quæ sibi à Deo tradita sunt tradere & quo tradita sunt modo. Sed & mores apud Christianos illos veteres, & qui tanti nominis mensuram implebant, recepti aut laudati merito pro canonibus valent. Secunda post hos auctoritas est eorum qui suis quique temporibus pietatis & doctrinæ fama inter Christianos floruerunt, neque grauis cuiusquam erroris notati sunt. nam & hi quæ dicunt magna cum asseueratione, & quasi comperta, momentum non exiguum habere debent ad interpretanda quæ obscura videntur in sacris litteris, eoque maius quo & plurium apparet consensus, & propius acceditur ad primæ puritatis tempora, cum nec dominatus adhuc nec coitio vlla primitiuam veritatem adulterare potuit. Qui his successerunt Scholastici quantum ingenio valeant sæpe ostendunt: sed in infelicia & artium bonarum ignara sæcula inciderunt: quominus mirum si inter multa laudanda aliqua & condonanda sunt. Tamen vbi in re morum consentiunt, vix est vt errent:

quippe

quippe perspicaces admodum ad ea videnda quæ in aliorum dictis reprehendi possunt: in quo ipso tamen diuersa tuendi studio laudabile præbent modestiæ exemplum, rationibus inter se certantes, non qui mos nuper adeò literas inquinare cœpit, conuitiis, turpi fœtu impotentis animi. Iuris Romani scientiam profitentium tria sunt genera. Primum eorum est quorum opera in Pandectæ, Codicibus Theodosiano & Iustinianeo, & in Nouellis constitutionibus apparent. Secundum eos habet qui Irnerio successerunt, Accursium, Bartolum & tot alia nomina, quos penes diu fori regnum fuit. Tertium eos complectitur qui humaniores literas cum legum studio coniunxerunt. Primis multum defero: nam & rationes sæpe optimas suppeditant ad demonstrandum id quod iuris est naturæ: & eidem iuri neque minùs gentium iuri testimonium sæpe præbent, sic tamen vt ipsi non minùs quàm alii nomina hæc sæpè misceant, imò & ius gentium sæpe vocent id quod quorundam duntaxat populorum est, nec tanquam ex condicto; sed quod alii aliorum imitatione, aut fortuito receperunt. Sed & quæ verè iuris sunt gentium sæpe tractant promiscuè & indiscretè cum his quæ iuris sunt Romani, vt ex titulo de Captiuis & postliminio ap-

paret. Hæc ergo vt discernerentur laboraui-
mus. Secunda classis iuris diuini & historiæ
veteris incuriosa, omnes regum populorum-
que controuersias definire voluit ex legibus
Romanis, assumtis interdum canonibus. Sed
his quoque temporum suorum infelicitas
impedimento sæpe fuit, quo minùs rectè le-
ges illas intelligerent, satis sollertes alioqui
ad indagandam æqui bonique naturam: quò
factum vt sæpe optimi sint condendi iu-
ris auctores, etiam tunc cùm conditi iuris
mali sunt interpretes. Audiendi verò tum
maximè, cùm tali consuetudini quæ nostro-
rum temporũ ius gentium facit testimonium
perhibent. Tertii ordinis magistri, quia Ro-
mani iuris finibus se includunt, & in ius illud
commune aut nunquam aut non nisi leuiter
exspatiantur, vix vllum habent vsum qui
nostri sit argumenti. Scholasticam subti-
litatem cum legum & canonum cognitione
coniunxerunt, ita vt à controuersiis etiam
populorum ac regum non abstinerent, Hi-
spani duo Couarruuia & Vasquius: hic ma-
gna libertate, modestiùs alter, nec sine exa-
cto quodam iudicio. Historias magis eidem
legum studio inserere aggressi sunt Galli,
quos inter magnum obtinent nomen Bodi-
nus & Hottomannus, ille perpetuo opere,
hic sparsis quæstionibus, quorum & pronun-

tiata &

tiata & rationes sæpe nobis inquirendi veri suppeditabunt materiam. In toto opere tria maxime mihi proposui, vt definiendi rationes redderem quàm maximè euidentes, & vt quæ erant tractanda ordine certo disponerem, & vt quæ eadem inter se videri poterant nec erant, perspicuè distinguerem. Temperaui me ab his quæ alterius sunt tractationis, vt quæ docent quid ex vsu sit facere: quia ista suam habent artem specialem politicam, quam rectè ita solam tractat Aristoteles vt alieni nihil admisceat, contrà quã fecit Bodinus apud quem hæc ars cum iuris nostri arte confunditur. Nonnullis tamen locis eius quod vtile est feci mentionem, sed obiter, & vt idipsum à iusti quæstione apertiùs distinguerem. Iniuriam mihi faciet si quis me ad vllas nostri sæculi controuersias, aut iratas, aut quæ nascituræ præuideri possunt, respexisse arbitratur. Verè enim profiteor, sicut mathematici figuras à corporibus semotas considerant, ita me in iure tractando ab omni singulari facto abduxisse animum. Dicendi genus quod attinet, nolui ad rerum tractandarum multitudinem adiungendo verborum copiam fastidium parere lectori cuius vtilitatibus consulebam. Itaque secutus sum quantum potui conciſum & docenti conueniens loquendi

genus: vt tanquam in vno conspectu habeãt qui negotia publica tractant, & quæ incidere solent controuersiarum genera, & principia vnde diiudicari possunt: quibus cognitis facile erit ad rem subiectam accommodare orationem & quantum lubet extendere. Scriptorum veterum ipsa verba adduxi interdum, vbi talia erant vt aut cum auctoritate, aut cum venustate singulari dicta viderentur: quod & in Græcis feci nonnunquam, sed maxime vbi aut breuis erat sententia, aut cuius gratiam sperare non audebam Latino sermone me posse assequi: quem tamen vbique adiunxi in eorum commodum qui Græca non didicerunt. Quam verò ego in aliorum sententiis ac scriptis diiudicandis mihi sumsi libertatem, eandem sibi in me sumant, omnes eos oro atque obtestor quorum in manus ista venient. Non illi promtius me monebunt errantem, quam ego monentes sequar. Et iam nunc adeo, si quid hîc pietati, si quid bonis moribus, si quid sacris litteris, si quid Ecclesiæ Christianæ consensui, si quid vlli veritati dissentaneum à me dictum est, id nec dictum esto.

LIBRI PRIMI CAPITA.

CAP. I. *Quid Bellum, quid Ius?* pag. 1
II. *An bellare vnquam iustum sit?* p. 15
III. *Belli partitio in publicum & priuatum. Summi imperii explicatio.* p. 50
IV. *De bello Subditorum in Superiores.* p. 87
V. *Qui bellum licitè gerant.* p. 109

LIBRI SECVNDI CAPITA.

CAP. I. *De belli causis, & primùm de defensione sui & rerum.* p. 111
II. *De his quæ hominibus communiter competunt.* p. 126
III. *De acquisitione originaria rerum, vbi de mari & fluminibus.* p. 140
IV. *De derelictione præsumta & eam secuta occupatione: & quid ab vsucapione & præscriptione differat.* p. 150

V. *De acquisitione originaria iuris in personas: vbi de iure parentum: de matrimoniis: de collegiis: de iure in subditos: seruos.* p.161

VI. *De acquisitione deriuatiua facto hominis; vbi de alienatione imperii, & rerum imperii.* p. 184

VII. *De acquisitione deriuatiua quæ fit per legem, vbi de successionibus ab intestato.* p.190

VIII. *De acquisitionibus quæ vulgò dicuntur iuris Gentium.* p.213

IX. *Quando imperia vel dominia desinãt.* p.226

X. *De obligatione quæ ex dominio oritur.* p.234

XI. *De promissis.* p.241

XII. *De contractibus.* p.255

XIII. *De iureiurando.* p.271

XIV. *De eorum qui summum imperium habẽt promissis & contractibus & iuramentis.* p.288

XV. *De federibus ac sponsionibus.* p.297

XVI. *De interpretatione.* p.313

XVII. *De damno per iniuriam dato, & obligatione quæ inde oritur.* p.331

XVIII. *De legationum iure.* p.338

XIX. *De iure sepulturæ.* p.348

XX. *De pœnis.* p.357

XXI. *De pœnarum communicatione.* p.408

XXII. *De causis iniustis.* p.427

XXIII. *De causis dubiis.* p.436

XXIV. *Monita de non temere etiam ex iustis causis suscipiendo bello.* p.444

XXV. *De*

CAPITVM.
XXV. De causis belli pro aliis suscipiendi. p.451
XXVI. De causis iustis vt bellum geratur ab his qui sub alieno imperio sunt. p.458

LIBRI TERTII CAPITA.

CAP. I. QVantum in bello liceat regulæ generales ex iure naturæ: vbi & de dolis & mendacio. p.465
II. Quomodo iure gentium bona subditorum pro debito imperantium obligentur: vbi de repressaliis. p.484
III. De bello iusto siue solenni iure Gentium, vbi de indictione. p.491
IV. De iure interficiendi hostes in bello solenni, & alia vi in corpus. p.499
V. De rebus vastandis eripiendisq;. p.513
VI. De iure acquirendi bello capta. p.516
VII. De iure in captiuos. p.541
VIII. De imperio in victos. p.547
IX. De postliminio. p.550
X. Monita in his quæ fiunt in bello iniusto. p.563
XI. Temperamentum circa ius interficiendi in bello iusto. p.567
XII. Temperamentum circa vastationem & similia. p.583
XIII. Tem-

XIII. *Temperamentum circa res captas.* p.592
XIV. *Temperamentum circa captos.* p.595
XV. *Temperamentum circa acquisitionem imperii.* p.602
XVI. *Temperamentum circa ea quæ iure gentium postliminio carent.* p.609
XVII. *De his qui in bello medii sunt.* p.612
XVIII. *De his quæ in bello publico priuatim fiunt.* p.615
XIX. *De fide inter hostes.* p.619
XX. *De fide publica qua bellum finitur: vbi de pacis pactione, de sorte, de certamine condicto, de arbitrio, deditione, obsidibus, pignoribus.* 629
XXI. *De fide, manente bello, vbi de induciis, commeatu, captiuorum redemptione.* p.655
XXII. *De fide minorum potestatū in bello.* p.667
XXIII. *De fide priuata in bello.* p.672
XXIV. *De fide tacita.* p.678
XXV. *Conclusio cum monitis ad fidem & pacem.* p.680.

FINIS.

HVGO-

HVGONIS GROTII
DE IVRE BELLI AC PACIS
LIBER PRIMVS.

CAPVT I.
Quid Bellum, quid Ius?

I. ORdo operis.
II. Belli definitio, & origo nominis.
III. Ius pro attributo actionis describitur, & diuiditur in rectorium & æquatorium.
IV. Ius pro qualitate diuiditur in facultatem & aptitudinem.
V. Facultatis siue iuris strictè dicti diuisio in potestatem, dominium, creditum.
VI. Facultatis alia diuisio, in vulgarem & eminentem.
VII. Aptitudo quid?
VIII. De Iustitia expletrice & attributrice: easq; propriè non distingui per proportionem Geometricam & Arithmeticam: nec quòd hæc circa res communes, illa circa res singulorum versetur.
IX. Ius pro regula definitur & diuiditur in naturale & voluntarium.
X. Iuris naturalis definitio, diuisio & distinctio ab his quæ non propriè sic dicuntur.

XI. *Instinctum cum aliis animantibus communem aut proprium hominibus non facere aliam iuris speciem.*

XII. *Quomodo probetur ius naturale.*

XIII. *Iuris voluntarii diuisio in humanum & diuinum.*

XIV. *Ius humanum diuiditur in ciuile, ciuili arctius, & ciuili latius, quod est ius Gentium: eius explicatio & quomodo probetur.*

XV. *Ius diuinum diuiditur in vniuersale & vnius populi proprium.*

XVI. *Iure Hebræorum nunquam obligatos fuisse alienigenas.*

XVII. *Quæ argumenta Christiani petere possint ex lege Hebræa, & quomodo.*

I. CONTROVERSIÆ eorum quos nulla iuris ciuilis tenet communio, quales sunt & qui in gentem nondum coierunt, & qui inter se diuersarum sunt gentium, tum priuati, tum reges ipsi, quique par regibus ius obtinent, siue illi optimates sunt, siue populi liberi, aut ad belli aut ad pacis tempora pertinent. Sed quia bellum pacis causa suscipitur, & nulla est cõtrouersia vnde non bellum oriri possit, occasione bellici iuris quæcunque tales incidere solent controuersiæ rectè tractabuntur: ipsum deinde nos bellum ad pacem vt finem suum deducet.

II. De Belli ergo iure acturi videndum habemus, quid bellum sit de quo quæritur, quid ius quod quæritur. Cicero dixit Bellum certationem per vim. Sed vsus obtinuit vt non actio, sed status eo nomine indicetur, ita vt sit Bellum status per vim certantium, qua tales sunt: quæ generalitas omnia illa bellorum genera comprehendit, de quibus agendum deinceps erit: neque enim priuatum hîc excludo, vt quod reipsa prius sit publico, & haud dubiè cum publico communem habeat

habeat naturam, quæ propterea vnò eoque proprio nomine signanda est. Neque huius nominis origo repugnat. Est enim bellum ex voce veteri duellum, vt duonus quod fuerat factum est bonus, & duis bis. Duellum autem à duobus dictum simili sensu quo pacem vnitatem dicimus. Sic Græcis ex multitudinis significatione πόλεμος. Neque vsus vocis laxiorem hanc notionem repudiat. Quod si quando belli nomen publico tantum tribuitur, nihil id nobis obstat, cum certissimum sit nomen generis sæpe speciei præsertim excellentiori peculiariter adhærescere. Iustitiam in definitione non includo, quia hoc ipsum in hac disputatione quærimus, sit ne aliquod bellum iustum, & quod bellum iustum sit. Distingui autem debet id quod quæritur ab eo de quo quæritur.

III. De iure belli cum inscribimus hanc tractationem, primum hoc ipsum intelligimus quod dictum iam est, sit ne bellum aliquod iustum, & deinde quid in bello iustum sit. Nam ius hîc nihil aliud quàm quod iustum est significat: idque negante magis sensu quàm aiente, vt ius sit quod iniustum non est. Est autem iniustum quod naturæ societatis ratione vtentium repugnat. Sic alteri detrahere sui commodi causa contra naturam esse dicit Cicero, idque ita probat, quia si id fiat societas hominum & communitas euertatur necesse sit. Hominem homini insidiari nefas esse euincit Florentinus, quia cognationem quandam inter nos constituerit natura: Seneca: *vt omnia inter se membra consentiunt, quia singula seruari totius interest; ita homines singulis parcent, quia ad cœtum geniti sumus. Salua enim esse societas nisi amore & custodia partium non potest*: Sicut autem societas alia est sine inæqualitate, vt inter fratres, ciues, amicos, federatos: alia inæqualis, καθ' ὑπεροχὴν Aristoteli, vt inter patrem & liberos,

De Off. III.

L. vt vim. D. de Iust & iure.

De ira li. 2. cap. 31.

dominum & seruum, regem & subditos, Deum & homines: ita iustum aliud est ex æquo inter se viuentium, aliud eius qui regit & qui regitur, qua tales sunt: quorum hoc ius Rectorium, illud Æquatorium rectè, ni fallor, vocabimus.

IV. Ab hac iuris significatione diuersa est altera, sed ab hac ipsa veniens, quæ ad personam refertur; quo sensu ius est Qualitas moralis personæ competens ad aliquid iustè habendum vel agendum. Personæ competit hoc ius, etiam si rem interdum sequatur, vt seruitutes præditorum quæ iura realia dicuntur comparatione facta ad alia merè personalia: non quia non ipsa quoque personæ competant, sed quia non alii competunt quàm qui rem certam habeat. Qualitas autem moralis perfecta, Facultas nobis dicitur; minus perfecta, Aptitudo: quibus respondent in naturalibus, illi quidem actus, huic autem potentia.

V. Facultatem Iurisconsulti nomine Sui appellant: nos posthac ius propriè aut strictè dictum appellabimus: sub quo continentur Potestas, tum in se, quæ libertas dicitur, tum in alios, vt patria, dominica: Dominium, plenum siue minus pleno, vt vsusfructus, ius pignoris: & creditum cui ex aduerso respondet debitum.

VI. Sed hæc facultas rursum duplex est: Vulgaris scilicet quæ vsus particularis causa comparata est, & Eminens quæ superior est iure vulgari, vtpote communitati competens in partes & res partium boni communis causa. Sic regia potestas sub se habet & patriam & dominicam potestatem: sic in res singulorum maius est dominium regis ad bonum commune quàm dominorum singularium: sic reipublicæ quisque ad vsus publicos magis obligatur quam creditori.

VII. Apti-

VII. Aptitudinem verò ἀξίαν, id est dignitatem vocat Aristoteles. Michaël Ephesius id quod secundum eam æquale dicitur interpretatur τὸ συμμέτρον, & τὸ πρέπον, id quod conuenit. *V. Nic.*

VIII. Facultatem respicit iustitia Expletrix, quæ propriè aut strictè iustitiæ nomen obtinet, συναλλακτικὴ Aristoteli, nimis arcto vocabulo: nam vt possessor meę rei eam mihi reddat, non est ὁκ συναλλάγματος, & tamen ad eandem hanc iustitiam pertinet: itaque ἐπανορθωτικὸν idem felicius dixit: aptitudinem respicit Attributrix quæ Aristoteli διανεμητικὴ, comes earum virtutum quæ aliis hominibus vtilitatem adferunt, vt liberalitatis, misericordiæ, prouidentiæ rectricis. Quod verò idem Aristoteles ab expletrice ait respici proportionem simplicem quam ἀριθμητικὸν vocat, ab attributrice autem comparatam, quam γεωμετρικὸν appellat, quæ sola apud Mathematicos nomen habet proportionis, ex eorum genere est quæ sæpe locum habent non semper: neque verò per se iustitia expletrix ab attributrice differt tali proportionum vsu, sed materia circa quam versatur, vt iam diximus. Itaque & contractus societatis expletur proportione comparata, & si vnus tantùm aptus inueniatur ad munus publicum, non alia quàm simplici commensione attributio fiet. Neque magis verum est quod à nonnullis dicitur, attributricem versari circa res communes, expletricem circa res singulorum. Contra enim si quis de re sua legare velit, attributrice iustitia vti solet: & ciuitas quæ de communi reddit, quod ciuium quidam in publicum impenderunt, non nisi expletricis iustitiæ officio fungitur.

IX. Est & tertia iuris significatio quæ idem valet quod Lex, quoties vox legis largissimè sumitur, vt sit Regula actuum moralium obligans ad id quod re-

ctum est. Obligationem requirimus: nam consilia & si qua sunt alia præscripta, honesta quidem, sed non obligantia, legis aut iuris nomine non veniunt. Permissio autem propriè non actio est legis, sed actionis negatio, nisi quatenus alium ab eo cui permittitur obligat ne impedimentum ponat. Diximus autem, ad rectum obligans, non simpliciter ad iustum, quia ius hac notione non ad solius iustitiæ, qualem exposuimus, sed & ad aliarum virtutum materiam pertinet. Attamen ab hoc iure, quod rectum est laxius iustum dicitur. Iuris ita accepti optima partitio est quæ apud Aristotelem exstat, vt sit aliud ius naturale, aliud voluntarium, quod ille legitimum vocat, legis vocabulo strictius posito: interdum & τὸ ἐν πάξει, constitutum. Idē discrimen apud Hebræos reperire est, qui cum distinctè loquuntur, ius naturale vocant מצות, ius constitutum חקים quorum illud δικαιώματα, hoc ἐντολὰς solent vertere Hellenistæ.

X. Ius naturale est dictatum rectæ rationis indicans, actui alicui, ex eius conuenientia aut disconuenientia cum ipsa natura rationali, inesse moralem turpitudinem aut necessitatem moralem, ac consequenter ab auctore naturæ Deo talem actum aut vetari aut præcipi. Actus de quibus tale exstat dictatum, debiti sunt aut illiciti per se, atque ideo à Deo necessariò præcepti aut vetiti intelliguntur: qua nota distat hoc ius non ab humano tantum iure, sed & à diuino voluntario, quod non ea præcipit aut vetat quæ per se ac suapte natura aut debita sunt aut illicita, sed vetando illicita, præcipiendo debita facit. Ad iuris autem naturalis intellectum, notandum est quædam dici eius iuris non propriè, sed vt scholæ loqui amant reductiuè, quibus ius naturale non repugnat, sicut iusta modo diximus appellari ea quæ iniustitia carent. interdum

terdum etiam per abusionem ea quæ ratio honesta esse indicat, etsi non debita, solent dici iuris naturalis. Sciendum præterea ius naturale non de iis tantùm agere quæ citra voluntatem humanam existunt, sed de multis etiam quæ voluntatis humanæ actum consequuntur. Sic dominium, quale nunc in vsu est, voluntas humana introduxit: at eo introducto nefas mihi esse id arripere te inuito quod tui est dominii ipsum indicat ius naturale; quare furtum naturali iure prohibitum dixit Paulus Iurisconsultus, natura turpe Vlpianus, Deo displicere Euripides his in Helena versibus: *L. 1. D. de Furtis. L. Probrũ D. de ver. signific.*

Nanque odit ipse vim Deus: nec diuites
Nos esse rapto, sed probè partis cupit.
Spernenda, si non iure veniat, copia est.
Communis æther hominibus, tellus quoque,
In qua ampliare cuique sic fas est domum,
Vt ab alienis rebus ac vi temperet.

Est autem ius naturale adeò immutabile, vt ne à Deo quidem mutari queat. Quanquam enim immensa est Dei potentia, dici tamen quædam possunt ad quæ se illa non extendit, quia quæ ita dicuntur, dicuntur tantùm, sensum autem qui rem exprimat nullum habent; sed sibi ipsis repugnant: Sicut ergo vt bis duo non sint quatuor ne à Deo quidem potest effici, ita ne hoc quidem, vt quod intrinseca ratione malum est malum non sit. Et hoc est quod significat Aristoteles, cum dicit: ἔνια εὐθὺς ὀνόμασαι σύνειλημμένα μετὰ τῆς φαυλότητος. Nam vt esse rerum postquam sunt & qua sunt aliunde non pendet, ita & proprietates quæ esse illud necessariò consequuntur. talis autem est malitia quorundam actuum comparatorum ad naturam ratione vtentem. Fit tamen interdum vt in his actibus de quibus ius naturæ aliquid constituit, imago quædam mu-

tationis fallat incautos, cum reuera non ius naturæ mutetur quod immutabile est, sed res de qua ius naturæ constituit, quæque mutationem recipit. Exempli gratia: si creditor quod ei debeo acceptum ferat, iam soluere non teneor, non quia ius naturæ desierit præcipere soluendum quod debeo, sed quia quod debebam deberi desiit. Ita si quem Deus occidi præcipiat, si res alicuius auferri, non licitum fiet homicidium aut furtum, quæ voces vitium inuoluunt; sed non erit homicidium aut furtum quod vitæ & rerum supremo domino auctore fit. Sunt & quædam iuris naturalis non simpliciter, sed pro certo rerum statu: sic communis rerum vsus naturalis fuit, quamdiu dominia introducta non erant; & ius suum per vim consequendi ante positas leges.

XI. Discrimen autem quod in Iuris Romani libris exstat, vt ius immutabile aliud sit quod animantibus cum homine sit commune, quod arctiori significatu vocant ius naturæ, aliud hominum proprium, quod sæpe ius gentium nuncupant, vsum vix vllum habet. Nam iuris proprie capax non est nisi natura ratione vtens; quod rectè vidit Hesiodus:

Τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων.
Ἰχθύσι μὲν καὶ θηρσὶ καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς
Ἔδμεν ἀλλήλους· ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶ μετ' αὐτοῖς.
Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην ὃς πολλὸν ἀρίστη.

Humano generi nam lex datur ab Ioue summo:
Quippe feræ, pisces, auium genus altiuolantum
Mutua se vertunt in pabula, iuris egentes.
Iustitia at nobis, quæ res est optima, cessit.

Polybius cùm narrasset quibus initiis primùm conueniissent homines, addit, si quis in parentes aut beneficos iniurius fuisset fieri non potuisse quin id cæteri ægrè ferrent, ratione addita: πᾶν γὰρ γένος τῶν ἀνθρώπων ταύτῃ

Lib. VI.

ταύτη διαφέρον τὸ τῶν ἄλλων ζώων, ἢ μόνοι· αὐτοῖς μίσει νοῦ καὶ λογισμοῦ, φανερὸν ὡς ἐκ ἀνεικὸς θεραπείχειν αὐτὰς τῷ τοιαυτῷ διαφορᾷ, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων, ἀλλ' ὑπονοεῖν τὰ γινόμενα καὶ δυσπειστεῖσθαι τοῖς παροῦσι. *Quoniam enim humanum genus hoc aliis animantibus distat, quòd mente ac ratione vtitur, omnino credibile non est tam alienum à natura sua actum ab ipsis dissimulatum iri, vt in aliis animantibus: sed quod factum est, reuocatum iri ad animum cum offensæ significatione.* Quòd si quando brutis animantibus iustitia tribuitur, id fit impropriè ex quadam in ipsis vmbra rationis atque vestigio. An verò actus ipse de quo ius naturæ constituit, sit nobis communis cum aliis animantibus, vt prolis educatio, an nobis proprius, vt Dei cultus, ad iuris ipsam naturam nihil refert.

XII. Esse autem aliquid iuris naturalis probari solet tum ab eo quod prius est, tũ ab eo quod posterius. A priori, si ostendatur rei alicuius conuenientia aut disconuenientia necessaria cum natura rationali ac sociali: à posteriori verò, si non certissima fide, certè probabiliter admodum, iuris naturalis esse colligitur id quod apud omnes gentes, aut moratiores omnes tale esse creditur. Nam vniuersalis effectus vniuersalem requirit causam: talis autem existimationis causa vix vlla videtur esse posse præter sensum ipsum communis, qui dicitur: τὰ κοινῇ φαινόμενα πιστὰ, *quæ communiter ita videntur fida sunt*, aiebat Heraclitus statuens λόγον τὸν ξυνὸν optimum esse veritatis κριτήριον. Et Cicero: *In re consensio omnium gentium ius naturæ putanda est.* Seneca: *Argumentum veritatis est aliquid omnibus videri.* Non frustra autem dixi, aut moratiores. Nam vt rectè notat Porphyrius: πνὰ δὴ ἐθνῶν ἐξηχίωται, καὶ εἰσὶ φύσει ἠμειωδῶν, ἐξ ὧν οὐ πρόσηκε τοὺς εὐγνώμονας τῶν ἀνθρώπων καταψεύδεσθαι φύσεως: *quædam nationes efferatæ sunt, & factæ inhumanæ, ex quibus non oportet ab æquis iudicibus æstimatione facta humanæ naturæ conuitium fieri.* I. Tusc. Epist. 117.

XIII. Alteram iuris speciem esse diximus ius voluntarium, quod ex voluntate originem ducit: estque vel humanum vel diuinum.

XIV. Ab humano incipiemus, quia id pluribus innotuit. est ergo hoc vel ciuile, vel latius patens, vel arctius. Ciuile est quod à potestate ciuili proficiscitur. Potestas ciuilis est quæ ciuitati præest. Est autem Ciuitas cœtus perfectus liberorum hominum, iuris fruendi & communis vtilitatis causa sociatus. Ius arctius patens & ab ipsa potestate ciuili non veniens, quanquam ei subditum, varium est, præcepta patria, dominica; & si qua sunt similia in se continens. Latiùs autem patens est ius Gentium, id est quod Gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accepit. Multarum addidi, quia vix vllum ius reperitur extra ius naturale, quod ipsum quoque gentium dici solet, omnibus gentibus commune. Imo sæpe in vna parte orbis terrarum est ius gentium quod alibi non est, vt de captiuitate ac postliminio suo loco dicemus. Probatur autem hoc ius gentium pari modo quo ius non scriptum ciuile, vsu continuo & testimonio peritorum. Est enim hoc ius, vt rectè notat Dio Chrysostomus, εὕρεμα βίου καὶ χρόνου, *repertum temporis & vsus.* Atque in eam rem maximum nobis vsum præbent illustres annalium conditores.

XV. Ius voluntarium diuinum quod sit, satis ex ipso vocum sono intelligimus: id nimirum quod ex voluntate diuina ortum habet. quo discrimine à iure naturali, quod item diuinum dici posse diximus, internoscitur. In hoc iure locum habere potest quod nimium indistinctè dicebat Anaxarchus, non ideo id Deum velle quia iustum est, sed iustum esse, id est iure debitum, quia Deus voluit. Hoc autem ius aut datum est humano generi, aut populo vni. Humano

generi

generi ter ius datum à Deo reperimus: statim post hominem conditum, iterum in restauratione humani generis post diluuium, postremò in sublimiori restauratione per Christum. Tria hæc iura haud dubie omnes homines obligant ex quo quantum satis est ad eorum notitiam peruenerunt.

XVI. Ex omnibus populis vnus est cui peculiariter Deus iura dare dignatus est, populus scilicet Hebræus, quem sic alloquitur Moses Deut. IV. 7. *Quæ gens tam magna cui Dei propinqui sicut Dominus Deus noster ad omnia vota quæ ei facimus? quæ gens tam magna, cui sint constitutiones & iura æqua, qualis est lex hæc tota quam ego hodie coram vobis propono?* Psalmographus Psalmo CXLVII. qui in Latinis exemplaribus est CXLIX. *Indicat Deus verba sua Iacobo, constitutiones ac iura sua Israeli. non ita fecit genti vlli: ideo iura ista non nouerunt.* Nec dubitandum, quin fallantur Iudæorum illi (quos inter Tryphon in disputatione cum Iustino) qui existimant etiam alienigenis, si salui esse vellent, subeundum fuisse legis Hebraicæ iugum. Neque enim eos obligat lex quibus data non est. At quibus data sit lex ipsa loquitur: *Audi Israel.* & passim fœdus cum ipsis ictum, ipsi in peculiarem Dei populum adsciti dicuntur. Quin inter ipsos Hebræos vixerunt semper aliqui exteri homines εὐσεβεῖς καὶ σεβόμενοι τὸν Θεὸν, qualis ille Cornelius Act. X. 2. τῶν σεβομένων Ἑλλήνων, Act. XVII. 4. qui vt narrāt ipsi Hebræorum magistri, leges Adamo & Noæ datas seruare tenebantur, abstinere ab idolis & sanguine, at non item leges proprias Israëlitarum. Itaque cum Israelitis non liceret vesci carne bestiæ quæ fato suo periisset, peregrinis tamen inter ipsos viuentibus id licebat, Deut. XXIV. 21. Extraneis etiam qui aliunde aduenirent, neque institutis Hebraicis subiicerentur, in templo Hierosolymitano licuit Deum adorare, quan-

quanquam in loco peculiari ac ſeparato à ſtatione Iſraëlitarum, I. Regum qui Latinis III. Regum, v III. 41. Neque Eliſæus Naamani Syro, neque Ionas Niniuitis, neque Daniel Nabuchodonoſoro, neque Prophetæ alii Tyriis, Moabitis, Ægyptiis ad quos ſcribũt, vnquam ſignificarunt opus ipſis eſſe vt Moſis legem ſuſciperent. Quod de tota lege Moſis dixi, idem & de circumciſione, quæ legis quaſi introitus erat, dictum volo. Hoc tantum intereſt, quod lege Moſis Iſraëlitæ ſoli tenebantur, circumciſionis autem lege tota Abrahami poſteritas: vnde Idumæos à Iudæis coactos circumciſionem ſuſcipere in hiſtoriis Hebræorum & Græcorum legimus. Quare qui populi extra Iſraëlitas circumciſi ſunt (ſunt autem complures, quorum Herodotus, Strabo, Philo, Iuſtinus, Origenes, Epiphanius, Clemens Alexandrinus, Hieronymus, meminerunt) eos credibile eſt ab Iſmaële, aut ab Eſauo, aut ex Cethuræ poſteris veniſſe. Cæterum in aliis omnibus locum habebat Pauli illud, Roman. II. 14. *Cum Gentes quæ legem* (ſcriptam nimirum) *non habent natura ſuapte faciunt ea quæ legis ſunt* (naturalis ſcilicet) *iſti legem* (ſcriptam) *non habentes ſibi ſunt lex: vt qui oſtendant ipſum opus legis mentibus ſuis inſcriptum, ſimul teſtimonium reddente ipſorum conſcientia & cogitationibus ſeſe mutuo accuſantibus aut etiam excuſantibus.* Et illud ibidem 26. *Si præputium* (id eſt præputiatus homo) *obſeruet mandatum legis* (naturalis ſcilicet) *nonne præputium illius pro circumciſione reputabitur?* Bene ergo in Ioſephi hiſtoria Ananias Iudæus Izaten Adiabenum docebat etiam citra circumciſionem Deum recte coli & propitium haberi poſſe. Nam quod extranei multi circumciſi ſunt & per circumciſionem legi ſe obligarũt (vt explicat Paulus Gal. v. 3.) id fecerunt partim vt ius ciuitatis adipiſcerentur (nam proſelyti

lyti pari iure erant cum Israelitis) partim vt earum promissionum essent participes quæ non communes humano generi, sed Hebræo populo erant particulares: quamquam non negem posterioribus sæculis accessisse etiam in nonnullis prauam opinionem quasi extra Iudaismum salus non esset. Hinc colligimus nulla parte legis Hebrææ, qua lex est propriè, nos obligari, quia obligatio extra ius naturæ venit ex voluntate legem ferentis. Deum autem voluisse, vt alii quam Israelitæ ista lege tenerentur, nullo indicio potest deprehendi. Non igitur, nos quod attinet, probanda est vlla legis abrogatio: nam nec abrogari potuit eorum respectu quos nunquam obstrinxit. Sed ab Israelitis ablata est obligatio, quoad ritualia quidem, statim postquam lex Euangelii cæpit promulgari; quod Apostolorum principi clare fuit reuelatum, Act. x. 15. quoad cætera verò, postquam populus ille per excidium vrbis & desolationem præcisam sine spe restitutionis populus esse desijt. Nos vero alienigenæ non id Christi aduentu consecuti sumus, vt Mosis lege non teneremur, sed vt qui antea spem tantùm satis obscuram in Dei bonitate positam habere poteramus, nunc diserto fœdere fulciamur, vtque in vnam Ecclesiam coalescere possimus cum Hebræis filijs Patriarcharum, sublata ipsorum lege, quo velut intersepimento à nobis distinebantur. Eph. II. 14.

XVII. Cum ergo directam obligationem lex per Mosem data in nos inducere non possit, vt iam ostendimus, videamus ecquem alium vsum habere possit tum in hac de iure belli, tum in similibus aliis quæstionibus. Id enim scire ad multa refert. Primum ergo ostendit lex Hebræa, id quod ea lege præcipitur non esse contra ius naturæ. Nam cum ius naturæ, vt ante diximus, sit perpetuum atque immutabile, non potuit

à Deo,

à Deo, qui iniustus nunquam est, quicquam aduersus id ius præcipi. Adde quod lex Mosis vocatur immaculata & recta, Psalm. XIX. qui Latinis XVIII.8.& Apostolo Paulo sancta, iusta, bona, Rom. VII. 12. De præceptis loquor. nam de permissis distinctius agendum est. permissio enim quæ lege fit (nam quæ nudi est facti & impedimenti remotionem significat huc non pertinet) aut plena est, quæ ius dat ad aliquid omnino licite agendum; aut minor plena, quæ tantum impunitatem dat apud homines, & ius ne quis alius impedire licite possit. Ex prioris generis permissione non minus quàm ex præcepto sequitur id de quo lex agit contra ius naturæ non esse. De posteriori genere aliter se res habet. Sed raro locum habet hæc collectio: quia cum permittentia verba sint ambigua, magis ex iure naturæ interpretari nos conuenit vtrius generis sit permissio, quam ex permissionis modo ad ius naturæ argumentando procedere. Huic primæ obseruationi affinis est altera, licere nunc his qui imperiũ inter Christianos obtinẽt leges ferre eius sensus cuius sunt leges per Mosem datæ, nisi si quæ sint leges quarum tota substantia ad tempus Christi exspectati & Euangelii nondum reuelati pertineat, aut nisi Christus ipse contrarium aut in genere aut in specie constituerit. Nam his tribus causis demtis nulla potest alia excogitari, cur quod olim Mosis lege fuit constitutum nunc sit extra ea quæ licent. Tertia obseruatio hæc sit: quicquid ad eas virtutes pertinens quas Christus à suis discipulis exigit, lege Mosis præceptum est, id nunc etiam, si non & amplius, à Christianis præstandum. Fundamentum huius obseruationis est, quod quæ virtutes à Christianis exiguntur, vt humilitas, patientia, dilectio, exiguntur in maiore gradu quam statu legis Hebraicæ exigebantur: idque merito;

rito; quia etiam promissiones cœlestes in Euangelio multo clarius proponuntur. Hinc lex vetus comparatione Euangelii dicitur fuisse nec perfecta, nec ἄμεμπτος, Hebr. VII. 19. VIII. 7. & legis finis dicitur Christus, Rom. X. 5. lex autem manuductrix ad Christum, Gal. III. 25. Sic lex vetus de sabbato & altera de decimis monstrant Christianos obligari, ne minus septima tẽporis parte ad cultum diuinum, nec minus fructuum decima in alimenta eorum qui in sacris rebus occupantur, aut similes pios vsus seponant.

CAP. II.

An bellare vnquam iustum sit.

I. Ius naturæ bello non repugnare probatur rationibus.
II. Historia.
III. Consensu.
IV. Ius Gentium non repugnare bello probatur.
V. Ius diuinum voluntarium ante Euangelii tempus bello non repugnare probatur, cum solutione obiectionum.
VI. Ad quæstionem, an bellum cum iure Euangelico pugnet, prænonita.
VII. Argumenta pro negante sententia ex sacris literis.
VIII. Solutio argumentorum ex sacris literis pro parte aiente.
IX. Examinatur veterum Christianorum circa hanc rem consensio.

I. VIsis iuris fontibus, ad primam ac generalissimam veniamus quæstionem, quæ hæc est, an bellum aliquod iustum sit, siue, an bellare vnquam liceat. Hæc autem ipsa quæstio, vt & aliæ quæ deinceps sequentur, ad ius naturæ primùm exigenda est. M. Tullius

Cicero

Cicero tum 3. de Finibus, tum aliis in locis, ex Stoicorum libris erudtè disserit esse quædam prima naturæ, quædam consequentia, sed quæ illis primis præferenda sint. Prima naturæ vocat, quòd simulatque natum est animal, ipsum sibi conciliatur & commendatur ad se conseruandum, atque ad suum statum & ad ea quæ conseruantia sunt eius status diligenda: alienatur autem ab interitu iisque rebus quæ interitum videãtur afferre. Hinc etiam ait fieri vt nemo sit, quin cùm vtrumuis liceat, aptas malit & integras omnes partes corporis, quàm easdem vsu imminutas aut detortas habere: primùmque esse officium vt se quis conseruet in naturæ statu, deinceps vt ea teneat quæ secundùm naturam sint, pellatque contraria. At post hæc cognita sequi notionem conuenientiæ rerum cum ipsa ratione quæ corpore est potior; atque eam conuenientiam, in qua honestum sit propositum, pluris faciendam quàm ad quæ sola primum animi appetitio ferebatur; quia prima naturæ commendent nos quidem rectæ rationi, sed ipsa recta ratio carior nobis esse debeat quàm illa sint à quibus ad hanc venerimus. Hæc cum vera sint & ab omnibus qui iudicio sano sunt præditi facile sine alia demonstratione assensum impetrent; sequitur in examinando iure naturæ primum videndum quid illis naturæ initiis congruat, deinde veniendum ad illud quod quanquam post oritur, dignius tamen est; neque sumendum tantum, si detur, sed omni modo expetendum. Hoc ipsum vero, quod honestum dicimus, pro materiæ diuersitate, modo vt ita dicam in puncto consistit, vt si vel minimum inde abeas, ad vitium deflectas; modo liberius habet spatium, ita vt & fieri laudabiliter & sine turpitudine omitti aut aliter fieri possit, ferme quomodo ab hoc esse ad hoc non esse statim fit transitus;

at in-

at inter aliter aduersa, vt album & nigrum, reperire est aliquid interpositum, siue mixtum, siue reductum vtrinque. Supra autem diximus, de iure naturæ cùm quæritur, hoc quæri, an fieri aliquid possit non iniustè: iniustum autem id demum intelligi quod necessariam cum natura rationali ac sociali habet repugnantiam. Inter prima naturæ nihil est quod bello repugnet, imò omnia potius ei fauent. nam & finis belli, vitæ membrorumque conseruatio & rerum ad vitam vtilium aut retentio aut acquisitio illis primis naturæ maximè conuenit. & via ad eam rem si opus sit vti, nihil habet à primis naturæ dissentaneum, cùm animantibus singulis vires ideo sint à natura attributæ vt sibi tuendis iuuandisque sufficiant.

Sentit enim vim quidque suam, qua possit abuti.
Cornua nata priùs vitulo quàm frontibus exstant:
Illis iratus petit atque infensus inurget.

Nec in bestiis hoc tantùm sed & in infantibus puerisque conspicitur. Recta autem ratio ac natura societatis, quæ secundo ac potiore loco ad examen vocanda est, non omnem vim inhibet, sed eam demum quæ societati repugnat, id est quæ ius alienum tollit. Nam societas eò tendit vt suum cuique saluum sit communi ope ac conspiratione. Quod facilè intelligi potest locum habiturum, etiamsi dominium quod nunc ita vocamus introductum non esset. nam vita, membra, libertas sic quoque propria cuique essent, ac proinde non sine iniuria ab alio impetrerentur. sic & rebus in medio positis vti & quantum natura desiderat eas absumere ius esset occupantis: quod ius qui ei eriperet faceret iniuriam. Hoc ipsum autem nunc postquam ex lege aut vsu dominium formam suam accepit, multo intelligitur facilius: quod exprimam Tullij verbis: Vt, *si vnumquodque membrum sensum suum haberet, vt posse* *De Offic. III.*

putaret se valere si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari & interire totum corpus necesse est: sic si vnusquisque nostrûm rapiat ad se commoda aliorum detrahatque, quod cuique possit, emolumenti sui gratia, societas hominum & communitas euertatur necesse est: nam sibi vt quisque malit quod ad vsum vitæ pertineat quam alteri acquiri, concessum est non repugnante natura. illud natura non patitur, vt aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus. Non est ergo contra societatis naturam sibi prospicere, atque consulere, dum ius alienum non tollatur: ac proinde nec vis quæ ius alterius non violat iniusta est: quod idem Cicero ita extulit. *Cum sint duo genera decertandi, vnum per disceptationem, alterum per vim, cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius si vti non licet superiore.* Idem alibi. *Quid est quod contra vim fieri sine vi possit?* Apud Vlpianum est: *Vim vi repellere licere Cassius scribit, idque ius natura comparatur. apparet autem, inquit, ex eo arma armis repellere licere.*

Epist. Fam. XII. 3. L. 1. §. vim vi. D. de vi & vi armata.

II. Id quod dicimus, non omne bellum iuri naturæ aduersari, probatur amplius ex sacra historia. Nam cum aduersus Reges quatuor qui Sodoma diripuerant Abrahamus cum ministris ac federatis suis armatus victoriam reportasset, Deus per sacerdotem suum Melchisedecum factum eius probauit. Ita enim illi Melchisedecus. *Laus sit Deo altissimo qui tradidit hostes tuos in manum tuam.* Gen. XIV. 20. At ceperat arma Abrahamus, vt ex historia apparet, sine speciali Dei mandatu: fretus igitur iure naturæ, vir non sanctissimus tantum, sed & sapientissimus, etiam extraneorum Berosi atque Orphei testimonio. Historia septem populorum quos Israëlitis exscindendos Deus tradidit non vtar: fuit enim ibi mandatum speciale ad exsequendam rem à Deo iudicatam in populos maximorum criminum reos. Ad rẽ magis pertinet quod Amale-

Amalecitas vim sibi inferentes Hebræi ducibus Mose ac Iosua armis repulerunt. Exod. xvii. quod Deus ante factum non iusserat, post factum probauit. Sed & leges generales ac perpetuas de modo gerendi belli Deus populo suo præscripsit Deut. xx. 10. 15. eo ipso ostendens iustum bellum etiam sine mandatu speciali suo esse posse. nam apertè ibidem causam septem populorum ab aliorum populorum causa distinguit: ac cùm de iustis causis belli suscipiendi nihil ibidem ediçat, eo ipso ostendit eas naturaliter satis esse manifestas: qualis causa tuendorum finium in bello Iephtæ aduersus Ammonitas, Iud. xi. violatorum legatorum in bello Dauidis aduersus eosdem, II. Sam. x. Simul notandum quod dicit diuinus ad Hebræos scriptor, Gedeonem, Baracum, Samsonem, Iephthen, Dauidem, Samuelem, atque alios per fidem debellasse regna, inualuisse in bello, exercitus exterorum vertisse in fugam, xi. 33. 34. quo loco, vt istius dissertationis series docet, in fidei nomine includit persuasionem qua id quod fit Deo placere creditur. Sic & Dauidem sapiens femina ait præliari Dei prælia, I. Sam. xxv. 28. id est pia ac iusta.

III. Probatur idem quod dicimus omnium gentium ac præcipuè sapientum cõsensione. De vi qua vita defenditur notus Ciceronis locus ipsi naturæ testimonium perhibens: *Est hæc non scripta sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: vt si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.* Item: *Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, vt omnem semper vim, quacunque ope possent à corpore, à* *Pro Milone.*

L. Itaq. D. ad L. Aquil. L. vt vim D. de Iust. & Iure. De Bello Iud. lib. III. c. 25.

capite, à vita sua propulsarent. Caius Iurisconsultus: *aduersus periculum naturalis ratio permittit se defendere.* Florentinus Iurisconsultus: *iure hoc euenit vt quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur.* Iosephus: φύσεως γὰρ νόμος ἰσχυρὸς ἐν ἅπασι τὸ ζῆν ἐθέλειν, ὅθεν καὶ τοὺς φανερῶς ἀφαιρουμένους ἡμᾶς πάντα πολεμίους ἡγούμεθα. *Est enim naturæ lex illa quæ in omnibus valet, vt velint viuere, idque ipsum est quapropter eos qui vitæ manifestè nos volunt spoliare, hostes censemus.* A deoquè manifestam æquitatem hoc habet, vt in bestiis etiam, quæ iuris non rem ipsam vt diximus, sed vmbram habent quandam, distinguamus inter vim quæ iniuriam infert & quæ propulsat. Nam cùm

L. 1. D. si quad. paup. f. d. §. Ait. & §. Cùm arietes.

dixisset Vlpianus animal quod sensu id est rationis vsu caret, non posse iniuriam fecisse, mox tamen subiungit, cùm arietes vel boues commisissent & alter alterum occidisset, Q. Mutio auctore distinguendum, vt si quidem is periisset qui aggressus erat, cessaret actio; si is qui non prouocauerat, competeret actio. Cui explicando seruiet illud Plinii: *Leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petunt serpentes: sed si vis inferatur, nulla est cui non sit ira, non sit anima iniuriæ impatiens, & prompta. si noceas, ad se defendendum alacritas.*

IV. De iure naturali ergo, quod & gentium dici potest, satis constat eo bella non omnia improbari. Iure autem Gentium voluntario itidem non damnari bella satis nos docent historiæ, & omnium populorum leges ac mores. Imò iure gentium introducta esse bella dixit Hermogenianus: quod paulò aliter quàm vulgo accipi solet interpretandum censeo: nempe vt certa bellorum forma à iure gentium sit introducta, quã formam quæ habeant bella ea peculiares ex iure gentium effectus consequantur: vnde distinctio nascitur qua vtendum nobis erit infrà, in bellum solenne iuris gentium, quod & iustum id est plenum dicitur, & non

L. ex hoc iure ff. de Iustit. & Iure.

solenne

solenne, quod tamen non ideo iustum esse desinit, id est iuri congruens. Nam alijs bellis modò æqua subsit causa, ius gentium non adsistit quidem, sed nec resistit, vt infrà latius explicabitur. *Iure Gentium* (inquit Liuius) *ita comparatum est vt arma armis propulsentur.* Et Florentinus ius esse gentium ait vt vim atque iniuriam propulsemus, vt corpus nostrum tutemur. *Lib. 42.* *L. vt vim D de Iust. & iure.*

V. De iure diuino voluntario maior est difficultas. Neque hîc obijciat quisquam ius naturæ esse immutabile, ac proinde à Deo nihil in contrarium potuisse constitui. id enim verum est in iis quæ ius naturæ vetat aut præcipit; non in iis quæ iure naturæ licent tantùm. nam quæ eius sunt generis, cum propriè iuris naturæ non sint, sed extra ius naturæ, & vetari possunt & præcipi. Solet ergo primum à nonnullis contra bellum adferri lex data Noæ eiusque posteris: vbi Deus sic loquitur. Gen. 1 x. 5. 6. *Quinetiam sanguinem vestrum, id est animarum vestrarum reposcam: ab omn bestia reposcam eum: atque etiam de manu hominis alterius, vtpote fratris, reposcam hominis animam. Quisquis effuderit sanguinem hominis qui est in homine, sanguis eius effundetur: quia hominem ad effigiem suam fecit Deus.* Hîc ergo quidam illud quod de reposcendo sanguine dicitur, generalissimè intelligunt; & alterum de effundendo vicissim sanguine; comminationem esse volunt, non approbationem. quorum neutrum mihi se persuadet. Nam interdictum de sanguine non effundendo latiùs non patet quàm quod in lege est, *Non occides*; quod neque capitalibus suppliciis, neque bellis obstitisse manifestum est. Lex ergo tam hæc quàm illa non tam noui aliquid constituit quàm ius naturæ praua consuetudine obliteratum declarat atque repetit. vnde verba illa intelligenda sunt in eo sensu qui vitium includit: sicut homicidij nomine non quamuis hominis cædem in-

telligimus, sed destinatam & innocentis. Quod verò sequitur de sanguine vicissim effundẽdo, videtur mihi non factum nudum, sed ius continere. Rem ita explico. Natura non iniquum est, vt quantum quisque fecit mali tantundem patiatur, iuxta illud quod Rhadamanti ius dicitur:

Εἴκε πάθοι τὰ κ' ἔρεξε δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

Quæ fecit si quisque ferat, ius fiet & æquum.

Exhuius naturalis æquitatis sensu Cain parricidij sibi conscius dixerat. Gen. IV. 14. *Qui inueniet me interficiet me.* Sed Deus primis illis temporibus aut ob hominum raritatem, aut quia paucis adhuc grassantibus minus opus erat exemplo, id quod naturaliter licitum videbatur edicto repressit, & contactum quidem ac commercium homicidæ defugi voluit, at vitam ei non eripi: quomodo & Plato in legibus constituit, & olim in Græcia vsurpatum his versibus docet Euripides:

Καλῶς ἔθεντο ταῦτα πατέρες, οἱ πάλαι·
Εἰς ὀμμάτων μὲν ὄψιν οὐκ εἴων περᾶν,
Οὐδ' εἰς ἀπάντημ', ὅς τις αἷμ' ἔχων κυρεῖ·
Φυγαῖσι δ' ὁσίοιν, ἀνταποκτεῖναι δὲ μὴ.

Quam bene parentum prouida ætas statuerat,
Vt cogeretur de via decedere
Hominumque visu cæde patrata nocens,
Fugáque lueret triste non leto scelus?

Ab vno facto illustri sumpta coniectura diuinæ voluntatis in legem iuit, ita vt Lamechus quoque simili facinore perpetrato impunitatem sibi ab hoc exemplo promiserit. Gen. IV. 24. At cum iam ante diluuium gigantum ætate, promiscua inualuisset cædium licentia, instaurato post diluuium humano genere, ne mos idem inualesceret, seuerius occurrendum Deus censuit: & repressa prioris sæculi lenitate, quod natura

non

non iniquum esse dictabat & ipse permisit, vt insons esset qui homicidam occidisset. quod postea institutis iudicijs summas ob causas ad iudices solos restrictum est; ita tamen vt moris pristini vestigium manserit in iure eius qui occisum sanguine proximè attingeret, etiam post Mosis legem. qua de re infra fusius agetur. Magnum habemus auctorem nostræ interpretationis Abrahamum, qui cum legem Noæ datam non ignoraret, arma sumsit in Reges quatuor, vt quæ plane crederet cum ea lege non pugnare. Sic & Moses Amalecitis populum oppugnantibus arma iussit opponi, naturæ scilicet iure vsus: nam Deum de hac re speciatim consultum non apparet, Exod. xvii 9. Adde iam quod capitalia supplica nec in homicidas tantũ, sed & in alios facinorosos vsurpata apparet, non modo apud populos extraneos, sed apud ipsos pię doctrinæ alumnos, Gen. xxxviii. 24. Nimirum coniectura diuinæ voluntatis ipsa naturali ratione adiuuante à similibus ad similia processerat, vt quod in homicidam constitutum erat, in alios quoque eximiè nocentes non iniquum videretur. Sunt enim quædam quæ viræ æquiparantur, vt existimatio, pudor virginalis, fides matrimonij, aut sine quibus vita tuta esse non potest, vt imperij societatem continentis reuerentia: aduersum quæ qui faciunt, ij homicidis meliores non videntur. Huc pertinet vetus quæ apud Hebræos exstat traditio, leges plures Noæ filijs datas à Deo quæ non omnes à Mose narratę sint, quia satis erat ad ipsius institutum eas postea in lege peculiari Hebræorum esse comprehensas. Sic aduersus nuptias incestas legem veterem quanquam à Mose suo loco non memoratam exstitisse apparet Leuit. xviii. Inter ea autem quæ Noæ liberis Deus edixit hoc quoque aiũt fuisse, vt non homicidia tantum, sed & adulteria & cũ-

cubitus incesti, item violentæ rapinæ morte punirentur. Quòd ipsum confirmant Iobi verba XXXI. 11. Iam verò data per Mosem lex sanctionibus capitalibus rationes adijcit, quæ apud alios populos non minùs quam apud Hebræum populum valent: vt Leuit. XVIII. 24. 25. 27. 28. Psalm. CI. 5. Prou. XX. 8. Et peculiariter de homicidio dicitur terra non posse expiari nisi sanguine homicidæ fuso, Num. XXXV. 31. 33. Præterea absurdum cogitatu est Hebræo populo indultum disciplinam & salutem publicam ac singulorum munire pœnis capitalibus ac se bello tueri, cæteris autem regibus gentibusque idem eodem tempore non licuisse: neque tamen reges eos aut gentes vnquam à Prophetis admonitos improbari à Deo vsum capitalium suppliciorum ac bella omnia, sicut de alijs peccatis admoniti sæpe sunt. Imò contrà quis non credat, cum lex Mosis de iudicijs expressam habuerit diuinæ voluntatis imaginem, recte ac pie facturas fuisse nationes quæ inde sibi exemplum peterent? quod certè Græcos, Atticos præsertim, feciisse credibile est: vnde tanta in iure veteri Attico, & quod inde sumptum est Romano XII. tabularum cum legibus Hebræis similitudo est. Sufficere hæc videntur vt appareat legem Noæ datam non eum habere sensum quem volunt qui bella omnia eo argumento impugnant.

VI. Speciem maiorem habent quæ ex Euangelio contra bellum adferuntur: in quibus examinandis non illud mihi sumam quod sumunt multi, in Euangelio extra præcepta credendi & sacramentorum nihil esse quod non sit iuris naturalis. id enim quo sensu à plerisque sumitur, verum non puto. Illud libens agnosco, nihil nobis in Euangelio præcipi quod non naturalem habeat honestatem: sed non vlterius nos obliga-

obligari legibus Christi quam ad ea ad quæ ius naturæ per se obligat, cur concedam non video. Et qui aliter sentiunt mirum quàm sudent vt probent quæ Euangelio vetantur ipso iure naturæ esse illicita, vt concubinatum, diuortium, matrimonium cum pluribus feminis. Sunt quidem hæc eiusmodi vt eis abstinere honestius esse dictet ipsa ratio; at non talia vt absque lege diuina nefas in illis appareat. Ad illud vero quod Christiana lex præcipit, vt alii pro aliis mortis periculo nos obiiciamus, 1. Ioh. 111. 16. quis dicat ipso naturæ iure nos obligari? Iustini dictum est: τὸ κατὰ φύσιν βίον ἔδειπω πιστευκότος ἐστὶν: *secundum naturam viuere eius est qui nondum credidit.* Sed ne illos quidem sequar qui aliud sibi sumunt non exiguum, Christum scilicet in tradendis præceptis quæ extant Matthæi v. & deinceps, interpretem tantum agere legis per Mosem datæ. Aliud enim sonant verba toties repetita. *Audistis dictum fuisse veteribus: Ego vero dico vobis*: quæ oppositio, sed & Syriaca & aliæ versiones, ostendunt illud *veteribus* significare, ad veteres, non à veteribus, vt *vobis* est ad vos non à vobis. Veteres autem illi non alii fuerunt quam qui Mosis tempore viuebant. nam quæ vt veteribus dicta recitantur, non legisperitorum sunt, sed Mosis, aut verbo tenus, aut sensu. *Non occides*, Exodi xx. 30. *Quisquis occiderit tenebitur iudicio.* Leuit. xxi. 21. Num. xxxv. 16. 17. 30. *Non mœchaberis.* Exod. xx. 30. *Quisquis dimiserit vxorem, det ei libellum diuortii.* Deut. xxiv. 1. *Non peierabis, sed reddes Domino quæ iuraueris.* Exodi xx. 7. Num. xxx. 2. *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (supple, reposcere liceat in iudicio) Deut. xix. 21. Leuit. xxiv. 20. Deut. xix. 21. *Diliges proximum tuum* (id est Israelitam) Leuit. xix. 18. Deut. xxiii. *& odio habebis inimicum tuum*, putà septem populos cum quibus amicitiam colere quorum q; misereri vetantur. Ex. xxxiv.

11. Deut. VII. 1. His addendi Amalecitæ in quos Hebræi iubentur bellum habere implacabile. Exod. XVII. 19. Deut. XXV. 19. Sed ad intelligentiam verborum Christi omnino notandum legem per Mosem datam dupliciter accipi, aut secũdùm id quod commune habet cum aliis legibus, quæ ab hominibus condi solent, quatenus scilicet grauiora delicta pœnarum aspectabilium formidine coercet. Hebr. II. 2. & populũ Hebræum hac ratione in statu ciuilis societatis continet, quo sensu dicitur νόμος ἐντολῆς σαρκικῆς, Hebr. VII. 13. & lex factorum, Rom. III. 27. aut secundum id quod legis diuinæ est proprium, quatenus scilicet etiam mentis requirit puritatem, & actus aliquos qui sine temporali pœna omitti possunt: quo sensu vocatur νόμος πνευματικὸς, Rom. VII. 14. exhilarans animum, Psalm. XIX. qui Latinis XVIII. 9. Legisperiti & Pharisæi priore illa parte contenti, secundam quæ potior est insuper habebant, neque inculcabant populo. quod verum esse non ex nostris duntaxat libris, sed ex Iosepho quoque & magistris Hebræorum ostendi potest. Sed etiam secundam hanc partem quod attinet, sciendum est virtutes quæ à Christianis exiguntur, etiam Hebræis, aut commendari, aut præcipi, sed non præcipi in eo gradu ac latitudine quo Christianis. Vtroque autem hoc sensu Christus sua præcepta opponit veteribus: vnde liquet verba eius non continere nudam interpretationem. Hæc autem sciri non ad hoc tantùm quod nunc in manu est refert, sed & ad multa alia, ne legis Hebraicæ auctoritate suprà quàm æquum est vtamur.

VII. Omissis ergo argumentationibus quæ minus se nobis probãt, primum ac præcipuum testimonium quo bellandi ius à Christi lege non plane tolli probamus esto Pauli illud ad Timotheum I. II. I. 2. 3. *Hortor*

ergo

ergo ante omnia vt fiant deprecationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones pro quibusvis hominibus: pro regibus & quibusvis in eminentia constitutis: vt tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate ac sanctitate. nam id bonum gratumque est apud Deum seruatorem nostrum, qui omnes homines vult seruari & ad agnitionem veritatis venire. Tria enim hinc docemur: Gratum esse Deo vt reges fiant Christiani: vt Christiani facti reges maneant: quod ita expressit Iustinus Martyr: εὐχόμεθα τοὺς βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας μετὰ τῆς βασιλικῆς δωμάτεως καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας εὐσεβῆναι. *Hoc precamur, vt Reges & Principes simul cum regali potestate etiam sanam mentem consequantur:* deinde & hoc Deo gratum esse, vt Christiani reges Christianis aliis vitam tranquillam præstent. Quomodo verò? Alibi id explicat, Rom. XIII. 4. *Dei minister est tuo bono. quòd si feceris quod malum est, metue; non enim frustra gladium gerit. nam Dei minister est vindex ad iram ei qui quod malum est fecerit.* Iure gladii per complexionem omnis quidem coercitio intelligitur, quomodo etiam apud Iurisconsultos interdum; sed ita tamen vt pars eius summa, id est verus gladii vsus, non excludatur. Huic loco illustrando non parum seruit Psalmus secundus, qui quanquam in Dauide suam habuit veritatem, pleniùs tamen & perfectiùs ad Christum pertinet: vt discere est Actor. IV. 25. XIII. 33. Hebr. V. 5. Is autem Psalmus, reges omnes hortatur vt Dei filium venerabundi suscipiant: hoc est, vt se ministros ei exhibeant, quâ reges sunt scilicet, vt rectè explicat Augustinus, cuius verba ad hanc rem pertinentia apponam. *In hoc reges, sicut eis diuinitus præcipitur, Deo seruiunt in quantum reges sunt, si in regno suo bona iubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam quæ pertinent ad diuinam religionem.* Et alibi: *Quomodo ergo Reges Domino seruiunt in timore, nisi ea quæ contra iussa* Contra Cresc. Gram. lib. III.

iussa Domini fiunt, religiosæ severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit quà homo est, aliter quà Rex est. mox: *In hoc ergo serviunt Domino reges in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum illi quæ non possunt facere nisi reges.* Secundum argumentum præbet nobis is ipse locus cuius partem citauimus, ad Rom. XIII. vbi potestas summa, qualis est regia, à Deo esse dicitur, & Dei ordinatio vocatur; vnde infertur ei & parendum & honorem exhibendum; & quidem ex animo: & qui ei resistit eum Deo resistere. Si ordinationis voce res intelligeretur quam Deus tantùm non vult impedire, quomodo se Deus habet circa actus vitiosos, iam inde nulla honoris, nulla obedientiæ, ad animum maximè pertinentis, obligatio sequeretur; nec quicquam diceret Apostolus, vbi hanc potestatem tantopere prædicat atque commendat, quod non latrociniis & furtis conueniret. Sequitur ergo vt ordinata hæc potestas voluntate Dei approbante intelligatur: vnde porrò infertur, cùm Deus sibi cõtraria non velit, hanc potestatem cum voluntate Dei per Euangelium reuelata & omnes homines obligante non pugnare. Neque eliditur hoc argumentum eo quod qui in imperiis erant eo tempore cùm hæc Paulus scriberet, dicuntur alieni fuisse à Christiana pietate. nam primùm id ita vniuersim verum non est. nam Sergius Paulus Cypri prætor Christo nomen pridem dederat. Act. XIII. 12. vt iam taceam quod de Emesenorum rege vetus fama tradidit, nonnihil fortè falsò inquinata, sed vt videatur ex vero originem trahere. Deinde non de personis quæritur, an impiæ fuerint, sed an illa functio in illis impia fuerit: quod dicimus ab Apostolo negari, quando illam functionem dicat à Deo institutam etiam pro illo tempore ac propterea honorandam etiam intra animi recessus, quibus proprie

solus

solus Deus imperat. Potuit ergo & Nero & Rex ille Agrippa quem ad Christi religionem amplectendam Paulus tam seriò inuitat, Act. xxvi. Christo se subiicere, & retinere hic regiam, ille imperatoriã potestatem: quæ sine iure gladii & armorum intelligi nequit. Sicut ergo olim pia erãt sacrificia secundũ legem quãuis ab impiis sacerdotibus celebrata; sic pia res est imperium, quamuis ab impio teneatur. Tertium argumentum petitur ex Ioannis Baptistæ verbis, qui serio interrogatus à militibus Iudæis, cuius gentis multa millia Romanis militasse ex Iosepho & aliis scriptoribus manifestissimum est; quid haberent faciendum, vt iram Dei effugerent; non eos militia abire iussit, quod facere debebat si ea erat Dei voluntas, sed abstinere concussionibus & fallaciis, stipendiisque esse contentos. Luc. iii. 14. Ad hæc Baptistæ verba, cum apertam satis militiæ approbationem contineant, multi respondent, quæ Baptista præscripsit ita discrepare à Christi præceptis, vt aliud docere potuerit Baptista, aliud Christus. quod quominus admittam hæc obstant. Ioannes & Christus eodem exordio doctrinæ quam afferebant summam indicarunt. *Resipiscite: appropinquauit enim regnum cœlorum.* Matth. iii. 2. iv. 17. Christus ipse regnum cœleste (id est legem nouam: nam legem regni nomine appellare Hebræis mos est) dicit cœpisse inuadi à diebus Baptistæ. Matth. xi. 12. Ioannes dicitur prædicasse Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Marc. i. 4. Tantundem fecisse dicuntur Apostoli Christi nomine. Act. ii. 38. Exigit Ioannes fructus dignos pœnitentia, & iis qui talem fructum non proferunt excidium minatur. Matth. iii. 8. & 10. Exigit opera dilectionis supra legem. Luc. iii. 11. Lex dicitur durasse vsque ad Ioannẽ; id est ab illo incepisse doctrina perfectior. Matt. xi. 13.

Et prin-

Et principium Euangelii à Ioanne ducitur. Marc. 1. 1. Luc. 1. 77. Ipse Ioannes hoc nomine maior Prophetis. Mat. x 1. 9. Luc. v 11. 26. missus scilicet ad dandam cognitionem salutarem populo. Luc. 1 1. 77. ad Euangelium annuntiandum. Luc. 1 1 1. 18. Neque vsquam Ioannes Iesum à se distinguit præceptorum discrepantia (quanquam quę generalius & confusius, & rudimentorum more à Ioanne sunt indicata, eadem diserte tradidit Christus vera lux) sed eo quod Iesus esset promissus ille Messias Act. x 1 x. 4. Ioan. 1. 29. rex scilicet regni cœlestis qui daturus esset in se confidentibus vim Spiritus Sancti. Matth. 1 1 1. 11. Marc. 1. 8. Luc. 1 1 1. 16. Quartum hoc est argumentum quod mihi ponderis non exigui videtur: Si tollatur ius capitalium suppliciorum, & armis ciues tuendi aduersus latrones ac prædones, maximam inde secuturam scelerum licentiam & quasi diluuium malorum, cum nunc quoque constitutis iudiciis ægrè reprimatur improbitas. Quare si mens Christi fuisset, talem rerum statum, qualis auditus nunquam fuerat inducere, haud dubie verbis quam maxime disertis ac specialibus edicendum ei fuerat, ne quis de capite iudicaret, ne quis arma ferret; quod fecisse nusquam legitur, nam quæ adferuntur, aut valde sunt generalia, aut obscura. Docet autem ipsa æquitas & communis ratio, non tantum verba generalia contrahi, & ambigua commode explicari, sed & à proprietate vsuque recepto verborum discedi nonnihil, vt is sensus euitetur qui maxima secum incōmoda sit allaturus. Quintum sit, quod nullo argumento ostendi potest lex Mosis quæ ad iudicia pertinebat desiisse priusquam vrbs Hierosolyma exscinderetur, & cum ea tum species tum spes reipublicæ concideret. nam neque in lege Mosis vllus terminus isti legi præfinitur, neque Christus aut

Apostoli

Apostoli vsquam de istius legis cessatione loquuntur, nisi quatenus id comprehensum videri potest in reipublicæ vt diximus destructione: imo contra Paulus summum pontificem ait constitutum vt iudicium ferret secundum legem Mosis. Act. xxiv. 3. Christus ipse in præfatione præceptorum suorum, ait non venisse se ad soluendam legem, sed ad implendam. Matth. v. 17. quod quem de ritualibus sensum habeat non obscurum est; implentur enim lineamenta adumbrantia cum perfecta rei species exhibetur: de legibus autem ad iudicia pertinentibus quomodo verum esse potest, si Christus, vt quidam existimant, aduentu suo ea sustulit? Si autem mansit obligatio legis quamdiu stetit Hebræorum respublica, sequitur vt Iudæi etiam ad Christum conuersi, si ad magistratum vocarentur, eum defugere non potuerint, & vt iudicare non aliter debuerint quàm Moses præscripserat. Ego sane omnia expendens ne leuissimam quidem coniecturam reperio, qua motus vir aliquis pius illa Christi verba audiens aliter existimare potuerit. Illud agnosco, ante Christi tempus quædam fuisse permissa, siue quoad impunitatem externam, siue etiam quoad animi puritatem (nunc enim ista distinctius exquirere, nec opus, nec otium est) quæ Christus suam disciplinam sectantibus licere noluit, vt ob qualemcunque offensam vxorem dimittere, ab eo qui læserit in iudicio exigere vltionem: sed inter Christi præcepta & illas permissiones est diuersitas quædam, non est repugnantia. Nam qui vxorem retinet, qui vltionem sibi priuatim debitam remittit, nihil facit contra legem; imo hoc facit quod lex maxime vult. Longe aliud est in iudice cui lex non permittit, sed imperat vt homicidam morte puniat, reus ipse futurus apud Deum ni fecerit. Huic si Christus interdicit ne homicidam

cidam morte puniat, omnino contrarium legi præcipit, soluit legem. Sextum sit argumentum ab exemplo Cornelii Centurionis, qui & Spiritum Sanctum, signum indubitatum iustificationis, à Christo accepit, & in nomen Christi à Petro Apostolo baptizatus est: militiam autem abdicasse aut ad eam abdicandam à Petro monitus non legitur. Sunt qui respondeant, cum de religione Christiana à Petro sit institutus, simul censeri debere institutum de militia deserenda. Hi, si quidem certum esset atque indubitatum inter Christi præcepta contineri interdictum militiæ, aliquid dicerent. Sed cum id nusquam alibi disertè exstet, certe de ea re aliquid hoc saltem loco, qui id maximè poscebat, dicendum fuerat, ne post ventura ætas officii sui regulas ignoraret. Neque vero solet Lucas, vbi personarum qualitas specialem quandam vitæ mutationem desiderabat, id silentio præterire, vt videre est tum alibi, tum Act. xix. 19. Septimum huic simile petitur ex eo quod de Sergio Paulo cœpimus dicere. nam in eius conuersi historia nullum est indicium eiurati magistratus aut admonitionis factæ vt eiuraretur. Quod autem non narratur, cum narrari, vt diximus, maxime attineat; id nec factum censendum est. Octauum esse potest quod Paulus Apostolus intellectis Iudæorum in se insidiis Tribuno indicari eas voluit; & cùm Tribunus milites ei addidisset, quorum præsidio in itinere aduersus vim omnem tutus esset, nihil contradixit, neque Tribunum aut milites monuit, Deo non placere vt vis vi repellatur. Atqui is erat Paulus qui nullam occasionem edocendi officii, aut omitteret ipse, aut omitti ab aliis vellet, II. Tim. iv. 2. Nonum accedat, quòd rei honestæ ac debitæ finis proprius non potest non esse honestus ac debitus. Tributa vt soluamus honestum est, atque etiam præceptum

ceptum conſcientiam obligans, vt Paulus Apoſtolus explicat: Tributorum autem finis eſt vt poteſtates publicæ habeant vnde ſumtum faciant ad bonos tuendos ac coercendos malos. Rom. XIII. 3. 4. 6. Tacitus appoſitè ad hanc rem: *Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Cui dicto ſimile eſt Auguſtini illud: *Ad hoc tributa præſtamus, vt propter neceſſaria militi ſtipendium præbeatur.* Decimum argumentum præbet locus ille Actor. XXV. 11. vbi Paulus ita loquitur. *Si iniuria quenquam affeci, & dignum aliquid morte commiſi, non recuſo mori.* Vnde colligo ita cenſuiſſe Paulum, etiam poſt publicatam Euangelii legem quædam eſſe crimina quæ morte plecti æquitas ferat, aut etiam exigat: quod & Petrus docet, I. Epiſt. c. 11. 19. 20. Quod ſi ea tum fuiſſet Dei voluntas, vt capitalibus iudiciis abſiſteretur, potuerat quidem purgare ſe Paulus, ſed non debuerat in hominum animis eam relinquere opinionem, quaſi capite plectere nocētes nunc non minus quàm olim liceret. Probato autem capitales pœnas poſt Chriſti aduētum rectè exerceri, ſimul probatum arbitror, bellum aliquod licitè geri, putà aduerſus nocentes multos & armatos: qui vt rei fiant, acie vincēdi ſunt. Vires enim & reſiſtentia nocentum, ſicut in prudenti deliberatione ſuum habere momentum poteſt, ita de iure ipſo nihil imminuit. Vndecimum ſit quod in Apocalypſis prophetia prædicuntur bella quędam piorum cum manifeſta approbatione, XVIII. 4. & alibi. Duodecimū eſſe poteſt quòd Chriſti lex ſolam legem Moſis, qua gentes ab Hebræis ſeparabat, ſuſtulit. Epheſ. II. 14. Quæ autem natura, & benè moratarum gentium conſenſu honeſta cenſentur, adeo non ſuſtulit, vt ſub generali præcepto omnis honeſti ac virtutis comprehenderit. Phil. IV. 8. I. Corin. X. 13. 14. Iam vero criminum

Hiſt. IV.

Libr. XXII. contra Fauſtum. c. 74.

pœnas & arma quæ iniuriam arcent, natura habentur laudabilia, & ad iustitiæ, & ad beneficentiæ virtutem referuntur. Atque hîc obiter notandus e rum est error qui Israelitarum ius ad bellum deducunt, ex eo solo quod terram Cananæam illis Deus dedisset. Est enim hæc iusta quidem causa, sed non vnica. Nam & ante ea tempora pii rationis ductu bella gesserunt: & ipsi Israëlitæ postea aliis de causs, vt Dauid ob legatos violatos. Tum vero quæ humano iure quisque possidet, non minus eius sunt quam si Deus donasset: id autem ius per Euangelium non tollitur.

VIII. Videamus nunc etiam quibus argumentis se fulciat aduersaria sententia, quo facilius iudicet pius æstimator vtra præponderent. Primum adferri solet vaticinium Esaiæ, qui futurum dicit, vt populi gladios contundant in ligones, & lanceas in falces; neque gladium sumant alius in alium, neque bellum vltrà addiscant, 11. 4. Sed hoc vaticinium aut sub conditione quadam accipiẽdum est, quemadmodum multa alia, vt nimirum intelligamus talem fore rerum statum si omnes populi Christi legem suscipiant atque impleant; quam ad rem Deus nihil sua ex parte passurus sit desiderari: certum autem est si omnes sint Christiani, & Christianè viuant, nulla fore bella: Aut purè; quo modo si accipiatur, docet res ipsa impletum hoc nondum esse, sed implementum eius, vt & conuersionis generalis Iudæorum, adhuc exspectandum. Vtrouis autem modo sumas, nihil hinc inferri potest aduersus bellorum iustitiã, quamdiu sunt qui pacis amantes pace frui non sinunt, sed vim eis intentant. Ex quinto Matthæi capite plura argumenta depromi solent, ad quorum diiudicationem opus est animo repeti quod paulo ante diximus: Si Christo id fuisset propositum, omnia capitalia iudicia, & ius bello-

bellorum tollere, facturum id fuisse verbis quàm maxime expressis ac specialibus, ob rei magnitudinem ac nouitatem, eoque magis quòd nemo Iudæus aliter cogitare poterat quàm leges Mosis ad iudicia & rempublicam pertinentes vim suam in homines Iudæos habere debere quādiu staret illa respublica. Hac ergo de re præmoniti locorum singulorum vim ordine exploremus. Aduersariæ ergo sententiæ munimentum secundum ex istis verbis petitur: *Audistis dictum fuisse, Oculum pro oculo & dentem pro dente. Ego vero dico vobis. Ne obsistite iniurioso*, (לרשע quod Græci vertunt τῷ ἀδικοῦντι, Exod. 11. 13. *sed cædenti te in dextram maxillam, alteram quoque obuerte.* Hinc enim inferunt quidam nullam iniuriam aut repellendam, aut vindicandam, siue publicè siue priuatim. Atqui non hoc dicunt verba. neque enim magistratus hîc alloquitur Christus, sed eos qui impetuntur; nec de quauis agit iniuria, sed de tali qualis est alapa. sequentia enim verba restringunt præcedentium generalitatem. Sic in præcepto sequente: *Qui velit tecum litigare, vt tunicam accipiat, dimitte illi etiam pallium:* non omnis prouocatio ad iudicem aut arbitrum prohibetur, Paulo interprete qui lites non omnes prohibet, I. Cor. VI. 4. sed vetat Christianos in profanis auditoriis inter se litigare, idque ad Iudæorum exemplum, apud quos recepta erat sententia, *Qui adducit negotia Israelitica ad extraneos, polluit nomen Dei:* sed vult Christus ad exercendam patientiam nostram, de rebus quæ facile sunt recuperabiles, vt tunica, aut cum tunica, si opus sit, pallium non contendi iudicio, sed quamuis optimo iure nitamur, omitti iuris persecutionem. *Non improbat Prætor* (inquit Vlpianus) *factum eius qui tanti habuit re carere, ne propter eam sæpius litigaret. Hæc enim cogitatio eius qui lites exsecratur non est vituperanda.* Quod hîc probari à probis

ait Vlpianus, hoc Christus imperat, ex rebus honestissimis & probatissimis deligens præceptorum suorum materiam. At non hinc rectè colligas etiam parenti, etiam tutori nefas fore id sine quo liberi, sine quo pupilli sustentari nequeant, si cogatur, apud iudicem defendere. Aliud enim est tunica & pallium, aliud totum illud vnde viuitur. Quod ergo de moralibus dici solet, hîc quoque locum habet, non consistere hæc in puncto, sed habere suam quandam latitudinem. Sic in eo quod deinceps sequitur, *Qui angariabit te ad milliare vnum, abi cum eo duo*: non dixit Dominus de centum milliaribus, quod iter hominem à suis negotijs longius abduceret, sed de vno, & si ita vsu veniat de duobus; quæ deambulatio quasi pro nihilo ducitur. Sensus ergo est, in his quæ nobis nõ multum sunt incommodatura, non vrgendum nobis esse ius nostrum, sed cedendum plus etiam quàm alter postulet, vt & patientia & benignitas nostra omnibus innotescat. Sequitur porro: *Petenti abs te dato, & volentem à te mutuo sumere, ne reiice.* Si in infinitum hoc producas, nihil durius. Qui domesticorum curam non agit, infideli est deterior, inquit Paulus, I. Tim. v. 8. Sequamur ergo eundem Paulum optimum legis herilis interpretem, qui Corinthios excitans ad beneficentiam in Macedonas exercendam: *Non*, inquit, *vt aliis sit laxamentum, vobis res angustæ, sed vt æquabiliter vestra copia succurrat illorum inopiæ.* II. Cor. VIII. 13. Similem æquitatem adhibeamus interpretando præcepto quod iam à nobis recitatum est. Lex Hebræa sicut diuortii libertatem indulgebat, vt sæuitiæ maritorum in vxores occurreret; ita etiam priuatæ vltioni, ad quam gens illa valde prona erat, coercendæ ius læso fecerat ab eo qui læserat, non manu sua, sed apud iudicem exigere talionem: quod lex etiam XII. tabularum secuta est; *si membrum rupit,*

rupit, talio esto. Christus verò maioris patientiæ magister tantum abest, vt illam in iam læso probet vindictæ flagitationem, iniurias quasdam ne arceri quidem vult, aut vi, aut iudicio. At quales iniurias? tolerabiles scilicet, non quod non in atrocioribus quoque laudabile hoc sit, sed quod restrictiore quadam patientia cõtentus sit. Ideo exemplum posuit in alapa, quæ non vitam impetit, non corpus mutilat, sed tantum contemptum quendam nostri significat, qui nos nihilo deteriores facit. Seneca libro de constantia sapientis, iniuriam à contumelia diuidit: *Prior illa,* inquit, *natura grauior est: hæc leuior & tantũ delicatis grauis, qua nõ læduntur, sed offenduntur. Tanta est animorum dissolutio & vanitas, vt quidam nihil acerbius putent. Sic inuenias seruum, qui flagellis quàm colaphis cædi malit* Idem alio loco. *Contumelia est minor iniuria, quam queri magis quam exequi possumus, quam leges quoque nulla dignam vindicta putauerunt.* Sic apud Pacuuium quidam:

Patior facile iniuriam, si est vacua à contumelia.

Et apud Cæcilium alius:

Facile ærumnam ferre possim si inde abest iniuria:
Etiamque iniuriam, nisi contra constat contumelia.

Demosthenes: οὐδὲ γὰρ τὸ τύπτεσθαι τοῖς ἐλευθέροις δεινὸν, καίπερ οὐ δεινὸν, ἀλλὰ πλὴν ἐφ' ὕβρει. *Nec enim tam graue hominibus ingenuis verberari, quamquam & hoc graue, quam per contumeliam verberari.* Is quem dixi Seneca paulo inferius ex contumelia dolorem, affectum esse ait, quem humilitas animi moueat contrahentis se ob factum dictumve inhonorificum. In tali ergo circumstantia patientiam Christus præcipit, & nequis tritum illud obijciat,

Veterem ferendo iniuriam inuitas nouam:

addit potius etiam ferendam esse alteram iniuriam quàm propulsandam priorem: quia scilicet nihil inde

ad nos mali peruenit; nisi quod instulta persuasione positum est. Maxillam obuertere in Hebraismo est patienter ferre, vt apparet Ierem. III. 3. Tertium argumentum peti solet ex eo quod apud Matthæum sequitur: *Audistis dictum fuisse, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego vero dico vobis, Diligite inimicos vestros, benedicite eis qui vos exsecrantur, precamini pro eis qui infesti vobis sunt & vos persequuntur.* Sunt enim qui existimant cum tali dilectione & beneficentia aduersum inimicos & infestos pugnare tum iudicia capitalia, tum bella. Sed facile id refellitur, si ipsum illud legis Hebraicæ dictum consideremus. Præcipiebatur Hebræis vt proximum diligerent, Hebræum scilicet: ita enim vocem proximi ibi sumi ostendit Leuit. XIX. comma 17. collatum cum commate 18. At non eo minus imperatum erat magistratibus occidere homicidas, & alios grauiter sontes: non eo minus tribus vndecim ob delictum atrox iusto bello persecutæ sunt tribum Beniamiticam, Iud. XX. non eo minus rectè Dauid qui prælia Domini præliabatur, regnum sibi promissum ab Isboseto armis repetit. Sit ergo nunc porrecta latius proximi significatio ad homines quosvis: omnes enim in communem gratiam sunt recepti: nulli populi à Deo deuoti: licebit tamen in omnes quod tunc in Israëlitas licuit, qui diligi æquè tunc iubebantur, vt nunc quiuis homines. Quod si etiam velis in Euangelica lege maiorem dilectionis gradum imperari, concedatur & hoc, dum illud quoque constet, non omnes æqualiter diligendos, sed magis patrem, quam extraneum. Sic etiam bonum innocentis bono nocentis, bonum commune priuato ante habendum ordinatæ dilectionis lege. Ex dilectione autem innocentium nata sunt & iudicia capitalia & pia bella. Vide sententiam moralem quæ

exstat

exstat Prou. xxiv. 11. Debent ergo Christi præcepta de singulis diligendis atque adiuuandis ita impleri, nisi maior ac iustior dilectio impediat. Notum est dictum vetus: *Tam omnibus parcere crudelitas est quam nulli.* Adde quod inimicos diligere iubemur Dei exemplo qui malis Solem suum oriri facit. At idem Deus de quibusdam malis, & in hac vita pœnas sumit, & olim sumet grauissimas. Quo argumento simul soluuntur ea quæ de lenitate Christianis præcepta ad hanc rem adferri solent. Nam Deus lenis, misericors, longanimis, appellatur Ionæ iv. 2. Exod. xxxiv. 6. At eiusdem in contumaces iram, hoc est puniendi voluntatem passim describunt sacræ litteræ. Num. xiv. 18. Rom. ii. 8. Et huius iræ minister constitutus est magistratus. Rom. xiii. 4. Moses ab eximia lenitate prædicatur: At idem pœnas de sontibus exegit, etiam capitales. Christi lenitatem & patientiam imitari passim iubemur. At Christus est qui & Iudæos inobedientes suppliciis affecit grauissimis. Matt. xxii. 7. & impios in die iudicij pro meritis est damnaturus. Magistri lenitatem imitati sunt Apostoli, qui tamen potestate sibi diuinitus data vsi sunt ad pœnam facinorosorum, I. Cor. iv. 21. I. Cor. v. 5. I. Tim. i. 20. Quartus locus qui obijcitur est Rom. xii. 17. *Nemini malum pro malo reddite: procurate honesta in omnium conspectu: si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viuentes: non vosmet ipsos vlciscentes, dilecti, sed date locum iræ: scriptum est enim; Meum est vlcisci: ego rependam, dicit Dominus. itaque si esurit inimicus tuus, ciba eum; si sitit, da ei potum. hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput eius. Ne vincitor à malo, sed vince bono malum.* Sed hîc quoque eadem quæ ad locum superiorem patet responsio. Nam quo tempore dictum fuerat à Deo, Meum est vlcisci, ego rependam; eo ipso

tempore & iudicia capitalia exercebantur, & de bellis scriptæ erant leges. Quin & beneficia inimicis (popularibus scilicet) exhiberi iubentur. Exod. xxiii. 4. 5. Hæc tamen, vt diximus, neque pœnis capitalibus, neque bellis iustis in ipsos etiam Israelitas obstabant. Quare ne nunc quidem verba eadem, aut præcepta similia, quamuis latius patentia, in talem sensum rapienda sunt: eoque minus quia capitum sectiones non ab Apostolis sunt, aut eorum ætate, sed multò serius factæ ad diuidendam lectionem & faciliorem locorum allegationem. Quare quod nunc xiii. caput inchoat, *Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto*, & quæ sequuntur, cum illis de vltione non expetenda præceptis cohæsit. In hac autem dissertatione dicit Paulus potestates publicas Dei ministras esse, & vindices ad iram (id est ad pœnam) in maleficos: eo ipso apertissime distinguens inter vltionem publicam, quæ Dei vice exigitur, & ad vltionem Deo reseruatam referenda est; & priuatam, quam paulo ante interdixerat. Nam si publicam etiam vltionem in illo interdicto comprehensam velis, quid erat absurdius, quàm cum dixisset abstinendum à pœnis capitalibus, deinde subijcere, in hoc potestates publicas à Deo constitutas, vt pœnas vice Dei exigant? Quintus quo nonnulli vtuntur locus est II. Cor. x. 3. *Quanquam in carne ambulantes, nequaquam carnis bella gerimus. Nam arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed diuinitus valida ad destructionem munitionum*: & quæ sequuntur. Sed hic locus nihil ad rem facit. Ostendunt enim tum præcedentia, tum quæ sequuntur, carnis nomine à Paulo ibi intelligi, imbecillam corporis conditionem qualis in aspectum veniebat, & cuius nomine contemnebatur. Huic opponit Paulus arma sua, potestatem scilicet sibi vt Apostolo datam ad coercendos refra-

refractarios, quali vsus fuerat in Elymam, Corinthium incesti reum, Hymenæum & Alexandrum. Hanc ergo potestatem negat esse carnalem, id est infirmam, imo contra validissimam eam esse asserit. Quid hoc ad ius capitalium suppliciorum, aut belli? Imo contra, quia Ecclesia eo tempore publicarum potestatum auxilio destituebatur, ideo ad eius tutelam prodigiosam illam potestatem Deus excitauerat, quæ deficere fermè cœpit ex quo Imperatores Christiani Ecclesiæ contigerunt, sicut Manna defecit vbi in terras frugiferas populus Hebræorum peruenerat. Qui sexto affertur locus Eph. VI. 12. *Induite vniuersam illam armaturam Dei; vt positis stare aduersus artes diaboli: quia non est vobis lucta aduersus sanguinem & carnem* (supple, tantum, more Hebræo,) *sed aduersus imperia*, & quæ sequuntur: agit de pugna quæ Christianorum est quà sunt Christiani, non quam communem habere cum aliis hominibus certis euentibus possunt. Iacobi locus qui septimo affertur IV. 1. *Vnde bella & pugnæ inter vos? nonne ex voluptatibus vestris quæ militant in membris vestris? Concupiscitis & non habetis: inuidetis & affectatis, nec potestis nanciscì: pugnatis & bella geritis, nec obtinetis eo quod non petitis: Petitis & non accipitis, eo quod male petitis, vt in voluptates vestras absumatis*; nihil continet vniuersale: tantum dicit bella & pugnas quibus tum Hebræi dispersi inter se miserè collidebantur (cuius historiæ partem aliquam apud Iosephum videre est) ortum habuisse ex causis non probis: quod nunc etiam contingere scimus & dolemus. Quod vero Petro dictum est, *Qui gladio ferit, gladio peribit*, cum non ad bellum communiter spectatum, sed ad bellum priuatum proprie pertineat (nam & Christus ipse inhibitæ aut neglectę defensionis hanc reddit causam, quod regnũ

ſuum de hoc Mundo non eſſet, Ioan. xviii. 36.) ſuo loco rectius pertractabitur.

IX. Quoties de ſcripti ſenſu quæritur, magnã vim habere ſolet tum vſus ſequens, tum prudentum auctoritas: quod etiam in diuinis ſcriptis ſequendum eſt. Neque enim probabile eſt Eccleſias quæ ab Apoſtolis conſtitutæ ſunt, aut ſubito, aut omnes defeciſſe ab iis quæ Apoſtoli breuiter perſcripta ore liberalius explicauerant, aut etiam in vſum introduxerant. Solent autem ab iis qui bella impugnant adferri dicta quædam veterum Chriſtianorum: ad quæ tria dicenda habeo. Primum eſt, ex iis dictis nihil amplius colligi quàm priuatam quorundam ſententiam, non publicam Eccleſiarum: adde quod fermè quorum ea dicta ſunt, amant ab aliis ſeorſim ire & docere quiddam magnificentius; quales ſunt Origenes & Tertullianus qui nec ſibi ſatis conſtant. Nam idem Origenes apes ait à Deo documentum datas πρὸς τὸ δικαίους καὶ τεταγμένους πολέμους, εἴ ποτε δέοι, γίγνεσθαι ὑπ' ἀνθρώποις: *Vt bella iuſta atque ordinata inter homines gerantur, ſi quando id iubeat neceſſitas.* & idem ille Tertullianus qui alibi ſupplicia capitalia minus probare videtur dixit, *Bonum eſſe cum puniuntur nocentes nemo negat:* Et de militia hæſitat. nam libro de Idololatria: *Quæritur*, inquit, *an fideles ad militiam conuerti poſſint, & an militia ad fidem admitti:* Et videtur eo loco propendere in eam ſententiam quæ militiæ aduerſatur. At libro de corona militis cum quædam aduerſus militiam diſputaſſet, mox diſtinguit qui ante baptiſmum militabant ab iis qui poſt baptiſmum nomen dant militiæ. *Plane*, inquit, *ſi quos militia præuentos fides poſterior inuenit, alia conditio eſt, vt illorum quos Ioannes admittebat ad lauacrum; vt centurionum fideliſſimorum, quem Chriſtus probat, & quem Petrus catechizat: dum tamen ſuſcepta fide atque ſignata, aut deſerendum*

ſtatim

statim sit, vt multis actum, aut omnibus modis cauillandum (id est cauendum) *ne quid aduersus Deum committatur.* Sensit ergo illos post baptismum in militia permansisse; quod sanè minimè facturi fuerant si intellexissent militiam à Christo interdictam; non magis quam aruspices, magi & alii vetitarum artium professores in sua arte post baptismum manere permissi sunt. Eodem libro militem quendam & quidem Christianum laudans; *O militem*, inquit, *in Deo gloriosum.* Secunda obseruatio est, quod militiam Christiani sæpe aut improbarunt, aut euitarunt ob temporum circumstantias, quæ vix ferebant militiam exerceri sine actibus quibusdam cum Christiana lege pugnantibus. In literis Dolabellæ ad Ephesios, quæ apud Iosephum extant, videmus Iudæos ab expeditionibus militaribus immunitatem postulasse, quod externis permixti non satis ritus legis suæ obseruare possent, & quia sabbatis ferre arma & magna itinera facere cogerentur. Atque easdem ob causas à L. Lentulo missionem Iudęos impetrasse docet idem Iosephus: alibique narrat, cum Iudæi Roma vrbe iussi essent excedere, quosdam militiæ adscriptos, alios punitos quod militare nollent patriarum legum reuerentia; ob eas scilicet quas diximus causas: quibus accedebat interdum tertia, quod aduersus populares suos pugnandum haberent. at κατὰ τῶν ὁμοφύλων ὅπλα λαβεῖν ἀθέμιτον, *nefas in populares suos arma sumere*, tunc scilicet cùm populares ob patriæ legis obseruationem periclitabantur. Quoties verò hæc incommoda cauere poterant Iudęi, militabant etiam sub externis regibus, sed ἐμμένοντες τοῖς πατρίοις ἔθεσι καὶ κατὰ ταῦτα ζῶντες. *perstantes in patriis institutis, & ex eorum præscripto viuentes:* quod paciſci priùs solebant eodē Iosepho auctore. His periculis simillima sunt quæ Tertullianus militiæ suorum temporum

rum obiicit, vt libro de Idololatria: *Non conuenit sacramento diuino & humano, signo Christi & signo diaboli*: quia scilicet per Deos Gentium, Iouem, Martem atque alios iurare milites iubebantur. Libro autem de Corona militis: *Excubabit pro templis quibus renuntiauit, & cœnabit illic vbi Apostolo non placet: & quos interdiu exorcismis fugauit, noctibus defensabit?* mox: *Quanta alia in delictis circumspici possunt castrensium munium, transgressioni interpretanda?* Tertium quod notamus hoc est, Christianos primorum temporum tanto ardore succensos fuisse ad præclarissima quæque capessenda, vt sæpe consilia diuina pro præceptis amplecterentur. Christiani, inquit Athenagoras, οὐ δικάζυται τοῖς ἁρπάζουσι, *aduersus sua rapientes iudicio non contendunt.* Saluianus iussum à Christo ait, vt ea ipsa de quibus lis est relinquamus dummodo litibus exuamur. Atqui id ita generaliter sumtum consilii fortè est & vitæ sublimioris, at non in præcepto positum. Simile est quod plurimi veterum omne iuramentum improbant nulla exceptione addita, cùm tamē Paulus in re graui iurauerit. Christianus apud Tatianum, στρατηγὸν παραίτημαι, *præturam recuso*: apud Tertullianum, *Christianus nec ædilitatem affectat.* Sic Lactantius iustum (qualem vult esse Christianum) negat belligeraturum; sed ita vt simul nauigaturum neget. A secundis nuptiis quam multi veterum Christianos dehortantur? Quæ omnia sicut laudabilia, eximia, Deo apprimè grata sunt, ita nullius legis necessitate à nobis exiguntur. Atque hæc soluēdis quæ obiiciuntur sufficient. Nunc vt nostra firmemus, primùm non desunt nobis scriptores & quidem antiquiores, qui & capitalia supplicia & quæ inde pendent bella sentiant à Christianis licite posse vsurpari. Nam Clemens Alexandrinus Christianum ait, si ad imperium vocetur, vt Moses, futurum viuam subditis le-

Lib. V. capit. 18.

tis legem, & præmio affecturum bonos, pœnis malos. Et alibi habitum Christianorum describens, decere eum ait intectis esse pedibus, nisi fortè militet. Sed auctoritatibus priuatis sepositis ad publicam Ecclesiæ veniamus, quæ maximi debet esse ponderis. Dico igitur nunquam ab Ecclesia excommunicatos eos qui militabant. quod tamen & factum oportuit, & factum fuisset si militia cum noui federis conditionibus pugnasset. Tertullianus in Apologetico ex persona loquens Christianorum; *Nauigamus*, inquit, *& nos vobiscum & militamus.* Cap. XLII. Paulo ante dixerat: *Externi sumus & vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa.* Cap. XXXVII. Eodem libro narrauerat M. Aurelio Imperatori Christianorum militum precationibus imbrem impetratum. In corona militem illum qui coronam abiecerat, constantiorem ait fuisse cæteris fratribus, & multos ei ostendit fuisse Christianos commilitones. Et hinc apparet quid de militia senserit communitas Christianorum, etiam priusquam Imperatores Christiani essent. Capitalibus suppliciis si non libēter interfuerunt Christiani illis temporibus, haud mirum videri id debet, cùm plerumque de Christianis ipsis esset iudicādum: adde quod & in cæteris rebus leges Romanæ duriores erant quam lenitas Christiana patiatur: quod vel solo Silaniani Senatusconsulti exemplo satis patet. Postquam vero Constantinus Christianam religionem & probare & promouere cœpit, non ideo desierunt capitalia supplicia. Imo ipse Constantinus inter alias leges de parricidis culeo insuendis legem tulit, quæ exstat Codice, Titulo de iis qui parentes vel liberos occiderunt. quanquam alioqui in suppliciis exigendis mitissimus fuerit, ita vt ab historicis non paucis reprehendatur nimiæ lenitatis nomine. Tum vero in exercitu suo pluri-

plurimos habuit Christianos, vt nos historiæ docent, & labaro Christi nomen inscripsit. Ex eo etiam mutatum est sacramentum militare in eam formam quæ exstat apud Vegetium: *Per Deum & Christum & Spiritum Sanctum, & per maiestatem Imperatoris quæ secundum Deum generi humano diligenda est & colenda.* Neque eo tempore ex tot Episcopis, inter quos multi erant, durissima quæque passi pro religione, vel vnus fuisse legitur qui aut Constantinum, ab omnibus omnino capitalibus suppliciis & bello, aut Christianos à militia iniecto diuinæ iræ metu absterruerit, cum tamen plurimi essent acerrimi custodes disciplinæ & minimè dissimulantes eorum quæ ad officium tum Imperatorum, tum aliorum pertinerent: qualis & Theodosij tempore fuit Ambrosius, qui sermone VII. ita ait. *Non militare delictum est, sed propter prædam militare peccatum est.* & de Officijs: *Fortitudo quæ vel bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est.* Hoc argumentum tanti mihi videtur, vt nihil vltra requiram. Neque tamen ignoro sæpe Episcopos, & plebem Christianam interpositis precibus suis auertisse pœnas, præsertim capitales: morem quoque introductum, vt qui ad Ecclesiam confugissent, non nisi vitæ seruandæ fide data redderentur; & vt circa Pascha carcere emitterentur quos sua crimina attinebant: sed qui cum cura hæc omnia, & si qua his sunt similia, expendet, inueniet, signa hæc esse Christianæ bonitatis omnem rapientis clementiæ occasionem, non omnia iudicia capitalia damnantis animi: vnde & locorum & temporum illa beneficia & preces ipsę exceptionibus quibusdam temperabantur. Obijciunt hîc nobis nonnulli XII. canonem Synodi Nicenæ qui Latinè sic habet. *Quicumque vocati per gratiam, primum quidem ardorem, fidemve suam ostenderunt, & cingu-*

Lib. 1. cap. 27.

cingulum militiæ depoſuerunt, poſtea vero vt canes ad ſuum vomitum reuerſi ſunt; ita vt aliqui & pecuniam darent, & beneficijs militiam repeterent, hi decem annis iaceant, poſt triennij auditionis tempus. In his autem omnibus obſeruari oportet propoſitum & modum pœnitentiæ. Quicunque enim, & timore, & lachrymis, & patientia, & bonis operibus conuerſionem abſque ſimulatione demonſtrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum orationibus cõmunicabunt, & poſtea licebit Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicumque verò indifferenter tulerunt, & habitum Eccleſiam introeundi ſibi arbitrati ſunt ad conuerſionem ſufficere, hi definitum tempus omnino impleant. Vel ipſum trecedim annorum tempus ſatis indicat non de leui aut ambiguo, ſed graui aliquo atque indubitato crimine hîc agi. Agitur autem haud dubiè de idololatria. nam quæ canone XI. præceſſerat mentio temporum Licinij, in hoc canone repetita tacite haberi debet. Licinius enim, verba ſunt Euſebij, στρατιώτας ἐκέλευεν ἀποβάλλεσθαι τοῦ ἀξιώματος εἰ μὴ τοῖς δαίμοσι θύειν αἱροῖντο, *milites militia exuebat niſi Dijs ſacrificare vellent.* Quare his qui ſemel conſcientia puncti cingulum abiecerant, reditus ad militiam ſub Licinio non patebat niſi per fidei Chriſtianæ abnegationem: quæ quia eò erat grauior, quò prior ille actus maiorem in illis legis diuinæ cognitionem teſtabatur, ideo hi defectores grauiùs etiam puniuntur quam illi de quibus egerat præcedens canon, qui ſine periculo vitæ aut facultatum amittendarum Chriſtianiſmum abiecerant. Generaliter autem de omni militia interpretari canonem quem produximus ab omni ratione alienum eſt. Aperte enim teſtatur hiſtoria his qui ſub Licinio militiam abiecerant, neque Licinio imperante ad eam redierant, ne fidem Chriſtianam violarent, à Conſtantino datam optionem, immunéſne eſſe à militia vellent, an ad militiam

militiam redire : quod haud dubiè multi fecerunt. Sunt & qui Leonis Epistolam obiiciant, quæ dicit, *Contrarium esse Ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularem.* Sed sciendum in pœnitentibus non minùs quàm in clericis & ascetis exactam fuisse vitam non quouis modo Christianam, sed eximiæ cuiusdam puritatis, vt tanto exemplo essent ad correctionem, quanto ad peccandum fuerant. Similiter in consuetudinibus antiquissimis Ecclesiæ, quæ quo augustiori nomine commendabiliores essent, canones Apostolici vulgo appellabantur, Canone LXXXII. edicitur: *Ne quis Episcopus, presbyter aut diaconus militiæ vacet, & vtrumque retineat officium Romanum & functionem sacerdotalem. Quæ enim Cæsaris sunt Cæsari, quæ Dei Deo.* Quo ipso ostenditur his qui cleri honorem non sperarent Christianis militiam non fuisse interdictam. Hoc amplius, etiam ad clerum admitti vetabātur, qui post baptismum aut magistratus attigissent, aut munera bellica, vt in epistolis Syricii & Innocentii & in concilio Toletano videre est. Legebantur scilicet Clerici non ex quouis modo Christianis, sed ex iis qui vitæ exactissimæ specimen dedissent. Adde quod militiæ & quorundam magistratuum perpetua erat obligatio. at sacro ministerio addicti nulla alia cura ac labore quotidiano inde abstrahi debebant. qua de causa & sextus canon constituit ne Episcopus Presbyter, aut diaconus sæculares curas administret, octuagesimus ne publicis se administrationibus immittat: & inter Africanos canones sextus, ne procurationem rerum alienarum suscipiat, aut causarum patrocinium, sic eosdem tutores constitui nefas iudicat Cyprianus. At pro nostra sententia expressum Ecclesiæ iudicium habemus in Concilio primo Arelatensi quod habitum est sub Constantino. Eius enim Concilii Canon III. sic ha-

sic habet : *De his qui arma proïciunt in pace, placuit abstinere eos à communione :* Id est qui militiam deserunt extra tempora persecutionis. Id enim pacis nomine intelligi volebant Christiani, vt ex Cypriano & aliis apparet. Accedat exemplum militum sub Iuliano non modico profectu Christianorum, vt qui morte sua Christo reddere testimonium parati essent : de quibus sic Ambrosius. *Iulianus Imperator, quamuis esset apostata, habuit tamen sub se Christianos milites : quibus cùm diceret ; Producite aciem pro defensione reipublicæ ; obediebant ei : cum autem diceret eis ; Producite arma in Christianos ; tunc agnoscebant Imperatorem cœli.* Talis & multo ante fuerat Thebæa legio, quæ Diocletiano imperante à Zabda tricesimo Hierosolymorum Episcopo Christianam religionem acceperat, & deinde in omne æuum memorabile edidit Christianæ constantiæ & patientiæ exemplum, quod infrà à nobis memorabitur. Hoc loco satis sit illam eorum adferre vocem, quæ Christiani militis officium solida breuitate exprimit : *Offerimus nostras in quemlibet hostem manus, quas sanguine innocentium cruentare nefas ducimus. Dexteræ ipsæ pugnare aduersus impios & inimicos sciunt ; laniare pios & ciues nesciunt. Meminimus nos pro ciuibus potius quam aduersus ciues arma sumsisse. Pugnauimus semper pro iustitia, pro pietate, pro innocentium salute : hæc fuerunt hactenus pretia periculorum. Pugnauimus pro fide, quam quo pacto conseruemus tibi* (ad Imperatorem sermo est) *si hanc Deo nostro non exhibemus?*

Cap. III.

Belli partitio in publicum & priuatum. Summi imperii explicatio.

I. *Belli diuisio in publicum & priuatum.*
II. *Non omne bellum priuatum post iudicia constituta illicitū esse iure naturali, defenditur; additis exemplis.*
III. *Ac ne iure quidem Euangelico, cum solutione obiectionum.*
IV. *Belli publici diuisio in solenne & minus solenne.*
V. *An bellum sit publicum quod geritur auctoritate magistratus summam potestatem non habentis, & quando.*
VI. *In quibus rebus consistat potestas ciuilis.*
VII. *Quæ potestas sit summa.*
VIII. *Refellitur sententia quæ statuit summam potestatem semper esse penes populum: & soluuntur argumenta.*
IX. *Refellitur sententia quæ statuit semper mutuam subiectionem regis & populi.*
X. *Ad veram sententiam rectè intelligendam adhibentur cautiones: prima est de distinguenda vocum similitudine in re dispari:*
XI. *Secunda de distinguendo iure & modo habendi ius.*
XII. *Ostenditur quædam imperia summa haberi plenè, id est alienabiliter:*
XIII. *Quædam non plenè:*
XIV. *Quædam non summa plenè, id est alienabiliter haberi.*
XV. *Adstruitur dicta distinctio ex discrimine dandi tutoris in regnis.*
XVI. *Summam potestatem nō tolli promissione etiam eius quod nec naturalis, nec diuini sit iuris.*
XVII. *Summum imperium diuidi interdum per partes subiectiuas aut potentiales.*

XVIII. Ma-

XVIII. *Malè tamen hoc colligi ex eo quòd reges acta quædam sua nisi à cœtu aliquo probentur rata esse nolunt.*
XIX. *Alia quoque exempla quædam malè huc trahi.*
XX. *Vera exempla.*
XXI. *Summam potestatem habere posse qui inæquali fœdere teneatur: cum solutione obiectionum:*
XXII. *Et qui tributum pendat:*
XXIII. *Et qui feudi lege teneatur.*
XXIV. *Distinctio iuris & exercitii cum exemplis.*

I. BELLI prima maximeque necessaria partitio hæc est, quòd bellum aliud est priuatum, aliud publicum, aliud mixtum. Publicũ bellum est quod auctore eo geritur qui iurisdictionem habet; priuatum, quod aliter; mixtum, quod vna ex parte est publicum, ex altera priuatum. Sed de priuato, quod antiquius, primùm videamus. Bellum aliquod priuatum licitè geri, quantum ius naturæ attinet, satis apparere arbitror ex iis quæ suprà diximus, cùm ostensum est vt quis iniuriam etiam vi à se arceat, iuri naturali non repugnare. Sed fortè putet aliquis id saltem post constituta iudicia publica non licere: quanquam enim iudicia publica non à natura, sed à facto sunt humano, cùm tamen multò sit honestius, & ad quietem hominum conducibilius, ab eo cuius nihil interfit rẽ cognosci quàm homines singulos nimiùm sæpe amantes sui, quod ius putant id manu exsequi, tam laudabili instituto obsequendum ipsa dictat æquitas & ratio naturalis. Paulus Iurisconsultus: *Non est singulis concedendum quod per magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit maioris tumultus faciendi. Hinc est*, inquit Rex Theodoricus, *quòd legum reperta est sacra reuerentia, vt nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu. quid enim â bellica confusione pax tranquilla distat, si per vim litigia terminantur?* Et vim vocant leges,

Syl. verbo Bellum. 1. n. 1.

l. Non est. de R. I.

Cass. l. IV. Var. Epist. 4.

l. Extat. ff. quod metus.

ges, *quoties quis id quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcit.*

II. Certè quin restricta multum sit ea quæ ante iudicia constituta fuerat licentia, dubitari non potest. Est tamen vbi locum nunc quoque habeat, nimirum vbi cessat iudicium : nam lex vetans sine iudicio suum consequi, intelligi commode debet vbi copia est iudicii. Cessat autem iudicium momentaneè, aut continuè. Momentaneè cessat, vbi expectari iudex non potest sine certo periculo aut damno. Continuè vero, aut iure, aut facto. Iure, si quis versetur in locis non occupatis, vt mari, solitudine, insulis vacuis, & si qua alia sunt loca in quibus nulla est ciuitas : facto, si subditi iudicem non audiant, aut iudex apertè cognitionem reiecerit. Quod diximus etiam post iudicia constituta, naturali iuri non repugnare omne bellum priuatum, etiam ex lege Iudæis data intelligi potest, vbi sic per Mosem Deus loquitur. Exod. x x 11. 2. *Si in effossione deprehensus fur, ita percutiatur vt moriatur, ne reus cædis esto percussor, ni iam dies illuxerat, tunc enim reus cædis erit.* Omnino enim videtur hæc lex tam accurate distinguens, non solum impunitatem inducere, sed ius etiam naturale explicare; neque fundari in peculiari aliquo mandato diuino, sed in communi æquitate : vnde alias etiam gentes id sequutas videmus. Notum est illud x 11. tabularum haud dubie ex veteri iure Attico profectum : *Si nox furtum faxit, si im aliquis occisit, iure cæsus esto.* Sic insons omnium quos nouimus populorum legibus iudicatur qui aduersus aggressorem armis vitam periclitantem defenderit : qui tam manifestus consensus testimonium præbet, nihil in eo esse quod naturali iuri aduersetur.

Molin. disp. 100. § dubium vero.

III. De iure diuino voluntario perfectiore, Euangelico scilicet, plus est difficultatis. Quin Deus, cui plus

plus iuris est in vitam nostram quàm nobis ipsis, potuerit à nobis patientiam eò vsque exigere, vt etiam priuatim in periculum adducti, occidi deberemus potiùs quàm occidere, ego non dubito. An autem voluerit nos eò vsque obstringere, id est quod inquirimus. Solent pro affirmante sententia adferri duo loca quæ suprà adduximus, ad quæstionem generalem: ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, μὴ ἀνθεστῆναι τῷ πονηρῷ. *Ego autem dico vobis; Ne resistite iniuriam facienti.* Matth. v. 39. & Roman. XII. 19. μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες ἀγαπητοί, vbi Latina versio habet, *non vos defendentes, charissimi.* Tertius autem locus est in illis Christi verbis ad Petrum: *Repone gladium tuum in vaginam; nam quicumque acceperint gladium, gladio peribunt.* Addunt his nonnulli Christi exemplum qui pro inimicis sit mortuus. Roman. v. 8. 10. Neque desunt inter Christianos veteres qui bella quidem publica non improbauerint, sed defensionem priuatam putarint vetitam. Ambrosii loca pro bello suprà attulimus. Augustini, multò etiam plura sunt & clariora, omnibus nota. At idem Ambrosius dixit: *Et ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, Satis, dicit, quasi licuerit vsque ad Euangelium, vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio veritatis.* Lib. X. in Lucam. Idem alibi: *Christianus etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non potest; ne dum salutem defendit, pietatem contaminet.* De offic. 3. c. 3. Augustinus verò: *Legem quidem non reprehendo quæ tales* (latrones & alios inuasores violentos) *permittit interfici, sed quomodo istos qui interficiunt, defendam, non inuenio.* Lib. de liber. arbit. c. 5. Et alibi: *De occidendis hominibus ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro se hoc faciat, sed pro aliis, acceptâ legitimâ potestate.* Ep. 54. ad Publicolam. Sed opposita sententia sicut receptior est, ita verior nobis videtur, vt talis patientia non sit in obligatione: iubemur enim in Euangelio proximum amare iuxta nos ipsos, non præ

nobis ipsis: imò vbi par malum imminet, non vetamur nobis potiùs quàm aliis consulere, vt suprà ostendimus auctoritate Pauli beneficentiæ regulam explicantis. Instet fortè aliquis, & dicat: Etiamsi meum bonum præferre possim bono proximi, hoc tamen locum non habere in bonis inæqualibus; quare vitam meam mihi potiùs deferendam, quàm inuasor permittatur incidere in perpetuam damnationem. Sed responderi potest, sæpe etiam eum qui impetitur opus habere tempore ad pœnitentiam, aut probabiliter ita existimare; & ipsi quoque aggressori ante mortem posse ad pœnitentiam spatium supereſſe. Deinde morali iudicio non videri æstimandum illud periculum in quod ipsum se quis coniiciat, & vnde se potest eximere. Certè Apostolorum aliqui ad vltimum vsque tempus Christo vidente & sciente videntur iter fecisse armati gladio, quod & alios Galilæos è patria vrbem versus properantes ob infestas latronibus vias factitasse ex Iosepho discimus. Hinc enim factum est, vt cùm diceret Christus tale tempus imminere, vt gladii comparandi causa vel vestis vendenda esset, Lucæ xxii. 36. statim Apostoli responderint in suo comitatu duos esse gladios. erant autem in eo comitatu nulli præter Apostolos. Tum verò illud ipsum quod dixit Christus, quanquam præceptum reuera non continet, sed prouerbium est significans grauissima pericula imminere, vt clarè ostendit oppositio primi temporis, quod tutum ac prosperum fuerat, commate 35. est tamen tale, vt sumtum appareat ex eo quod fieri solebat, quodque Apostoli licitum censebant. Illud verò, *Ne resistite iniuriam facienti*, non magis vniuersale est, quàm quod sequitur, *Date omni petenti*; quod tamen exceptionem admittit, dum ne nimium nos prægrauemur: imò isti præcepto

pto de dando nihil adiicitur quod vim habeat restringentem, sed ex solo sensu æquitatis adstringitur, cùm præceptum de non resistendo suam habeat adiunctam explicationem per exemplum alapæ; vt intelligatur tum demum præcisè nos obligare, cùm ea impetimur iniuriâ, quæ aut alapa sit, aut alapæ par: nam alioqui rectius fuerat dicere: *Ne resistite iniuriam facienti, sed vitam profundite potiùs quàm armis vtamini.* In verbis ad Romanos, μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες, omnino ἐκδικεῖν non tuendi, sed vlciscendi habet significationem, vt & 1. Iudith. 11. & 11. 1. Lucæ XVIII. 7. 8. XX 1. 22. II. Thess. 1. 8. I. Pet. 11. 14. Roman. XIII. 4. I. Thess. IV. 6. Idque ipsa verborum connexio manifestè ostendit: præcesserat enim: *Ne rependatis vlli malum pro malo:* hæc autem est vltionis, non defensionis descriptio. Et monitum suum fulcit Paulus Deuteronomii loco, ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, vbi in Hebræo est לִי נָקָם, quo vltionem significari tum vocis proprietas indicat, tum ipsa loci sententia, quæ defensionem intelligi non patitur. Quod verò Petro dictum est, continet quidem prohibitionem vtendi gladio, sed non in defensionis causa: neque enim se opus habebat defendere. Iam enim dixerat Christus de discipulis, *Sinite hos abire: idque vt impleretur sermo quem dixerat: Ex iis quos dedisti mihi non perdidi quenquam.* Ioan. XVIII. 8. 9. neque Christum, nam defendi nolebat. Ideo apud Ioannem hanc causam interdictioni subiicit, *An non bibam poculum quod dedit mihi Pater?* com. 11. & apud Matthæum ait, *Quomodo ergo implerentur scripturæ quæ dicunt ita oportere fieri?* Vlciscendi ergo animo Petrus, vt erat feruidus, non defendendi ferebatur. adde quòd arma sumebat in eos qui nomine publicarum potestatum aduentabant, quibus an vllo casu resistere liceat, peculiaris est quæstio, infrà à nobis peculiariter tractanda.

Quod autem adiicit Dominus, *Omnes qui gladium acceperint gladio peribunt*, aut prouerbium est ex vulgi vsu desumptum, quo significatur sanguinem sanguine elici, ideoque armorum vsum periculo nunquam vacare, aut quæ Origenis, Theophylacti, Titi & Euthymij sententia est, indicat, non esse quod nos Deo præripiamus vltionem quam ipse suo tempore satis sit exacturus: planè quo sensu in Apocalypsi dicitur XIII. 10. *Qui gladio occidit, eum gladio occidi oportet: in hoc sita est spes & patientia sanctorum.* qui cum conuenit Tertullianí illud: *Adeo satis idoneus patientiæ sequester Deus: si iniuriam deposueris penes eum, vltor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est: quantum patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem?* Simulque his Christi verbis vaticinium videtur inesse de pœnis quas à sanguinarijs Iudæis erat exacturus gladius Romanorum. Ad Christi exemplum, qui pro inimicis mortuus dicitur, responderi potest, Christi facta omnia quidem virtutis esse plena, & quę imitari laudabile sit, & suo prędio non carituru; non tamen omnia eiusmodi esse, vt aut ex lege veniant, aut legem faciant. Nam quod Christus pro inimicis atque impijs est mortuus, id non fecit ex lege aliqua, sed ex speciali quasi pacto & fœdere inito cum Patre; qui si id faceret, non modo summam ei gloriam, sed & gentem in æternum duraturam promisit. Esaiæ III. 10. Alioqui esse hoc factum quasi singulare, & cui vix quicquam reperiatur simile, ostendit Paulus, Rom. v. 7. Et Christus nos animam nostram periculis obijcere iubet, non pro quibusvis, sed pro eiusdem disciplinæ consortibus, I. Ioan. III. 6. Quæ vero ex Christianis scriptoribus allatæ sunt sententiæ, partim videntur consilium magis, & sublimis propositi commentationem, quam destrictum præceptum continere; partim priuatæ sunt ipsorum,

non

non communes totius Ecclesiæ. Et hanc sententiam ipse etiam Augustinus, quem in contrariam partem adduximus, probare videtur, Quæst. LXXXIV. in Exodum. *c. si verò. de sent. excom. & c significasti. de homicidio.*

IV. Publicum bellum aliud est solenne ex iure gentium, aliud minus solenne. Solenne quod hîc voco, plerumque iustum dici solet eo sensu quo iustum testamentum eodicillis, iustæ nuptiæ seruili contubernio opponuntur: non quod non liceat & codicillos facere ei qui velit, & seruo secum mulierem habere in contubernio; sed quod testamentum & nuptiæ solennes peculiares quosdam ex iure ciuili effectus habeant. quod notari vtile est; multi enim voce iusti malè intellectâ damnari putant vt iniqua aut illicita bella omnia, quibus illa iusti appellatio non conuenit. Vt bellum solenne sit ex iure gentium, duo requiruntur; primum vt geratur vtrimque auctore eo qui summam potestatem habeat in ciuitate: Deinde vt ritus quidam adsint de quibus agemus suo loco. Hæc quia coniunctim requiruntur, ideo alterum sine altero non sufficit. Bellum autem publicum minus solenne, potest & ritibus illis carere, & geri in priuatos, & auctorem habere magistratum quemuis. Et sane si citra leges ciuiles res spectetur, videtur omnis magistratus sicut ad tuendam plebem sibi creditam, ita ad exercendam iurisdictionem, si vis occurrat, ius habere belli gerendi. Sed quia ex bello tota ciuitas in periculum venit, ideo ferme omnium populorum legibus cautum est, ne bellum geri possit, nisi auctore eo qui summam in ciuitate potestatem habeat. Extat lex talis Platonis vltimo de legibus. Et in Romano iure maiestatis teneri dicitur qui iniussu principis bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitum comparauerit. Iniussu populi dixerat lex *L. 3. ff. ad l. Iul. maiest.*

Cornelia lata à L. Cornelio Sylla. In Iustinianeo Codice extat constitutio Valentiniani, & Valentis. *Nulli prorsus nobis insciis atque inconsultis quorumlibet armorum mouendorum copia tribuatur.* Huc pertinet illud Augustini: *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sit.* Sicut autem omnia dicta quantumuis vniuersalia æquitatem recipiunt interpretem, ita & hæc lex. Nam primum quin ei qui iurisdictioni præest liceat per apparitores suos vi cogere paucos imparentes, quoties ad eam rem copijs maioribus opus non est, nec periculum imminet ciuitati, dubitari nequit. Rursum si ita præsens sit periculum, vt tempus non ferat eum consuli qui supremum in ciuitate ius habeat; hîc etiam necessitas exceptionem porriget. Hoc iure vsus L. Pinarius præsidio Ennæ in Sicilia præfectus, cum certo sciret oppidanos ad Carthaginienses defectionem moliri, cæde in eos factâ, Ennam retinuit. Extra talem necessitatem ad vindicandas iniurias quas rex persequi negligit, ius bellandi oppidanis in ciuitatibus dare ausus est Franciscus Victoria: sed eius sententia merito ab alijs repudiatur.

Vict. de iure belli, n. 9. Molin. disp. 100. §. idem Victoria. Bart. in l. ex hoc iure. ff. de Iust. & iur. Bart. de Repres. 3. principali ad secundam n. 6. Mart. Laud. de bello, qu. 2. Liuius lib. XXXIV.

V. At quibus euentibus ius armorum mouendorum esse magistratibus minoribus constat, an bellum tale publicum sit dicendum dissentiunt iuris interpretes. Sunt qui aiunt *a*. Sunt qui negant *b*. Sanè si publicum non aliud dicimus quàm quòd fit iure magistratus, dubium non est quin talia bella publica sint, ac proinde qui in tali facti specie magistratibus se opponunt, in pœnas incidant contumacium aduersus supra se positos. Si vero publicum sumitur in excellentiore significatu pro eo quod solenne est, vt sæpe sumi extra controuersiam est; non sunt bella ista publica, quia ad istius iuris plenitudinem, tum

a Aiala de iure belli. l. 1. c. 2. n. 9. Sil. de iure belli n. 2. ibi, sufficit etiã. b Innoc. c. olim de rest. spol. n. 8. & c. sicut de inreiur. n. 5. Panormib. Bart. ad l. hostes. ff. de captiuis.

iudicium

iudicium summæ potestatis, tum alia requiruntur. Neque me mouer quod etiam in tali contentione soleant res auferri obsistentibus, ac militibus etiam concedi. c. Nam id belli solennis non ita proprium est, vt non alibi etiam locum habere possiit. Sed & illud accidere potest, vt in imperio late patente inferiores potestates belli inchoandi concessam habeant potestatem: quod si fit, iam sane censendum erit bellum geri ex vi summæ potestatis. nam quod faciendi quis alij ius dat, eius ipse auctor censetur. Illud magis controuersum, an vbi tale mandatum non est, sufficiat coniectura voluntatis. Mihi id admittendum non videtur. Neque enim hoc sufficit videre, quid hoc rerum statu summam potestatem habenti, si consulatur, placiturum sit: sed hoc magis videndum, quid ille, vbi res moram fert, aut dubiam habet deliberationem, se inconsulto cupiat fieri, si ea de re lex ferenda sit. Nam vt maxime in aliquo facto particulari cesset inspecta particulariter ratio quæ voluntatem summi imperantis mouet, non tamen cessat ratio sumpta vniuersaliter quæ periculis occurri vult. quod fieri non potest si eius rei ad se magistratus quisque iudicium trahat. Non ergo iniuriâ à legatis suis accusatus fuit Cn. Manlius, quod Pop. Rom. iniussu bellum Gallogræcis intulisset: nam quanquam in Antiochi exercitu Gallorum legiones fuerant, tamen pace facta cum Antiocho, an ea iniuria in Gallogræcos exequenda esset, non in Cn. Manlij, sed in Pop. Rom. arbitrio esse debuit. C. Cæsarem quod bellum Germanis intulisset, dedi Germanis Cato voluit; credo non tam ius respiciens, quàm quòd imminentis domini metu vellet vrbem liberari. Nam Germani Gallos populi Romani hostes adiuuerant, ac proinde non erat quod iniuriam sibi factam quererentur, si modo iusta fuit populi

Liuius d. loco. Vict. n. 29. Caiet. sec. sec. quæst. 40. art. 1. Situ. verbo Bellum p. 1. n. 3. Lorca disp. 50. n. 12.

Liu. l. 42.

puli Romani causa in Gallos bellandi. At Cæsar contentus esse debuit Germanos Galliâ mandatâ sibi prouinciâ pepulisse, nec Germanos, præsertim cùm nullum inde periculum immineret, intra suos fines, bello persequi, nisi consulto priùs populo Romano. Non ergo Germani ius habebant deditionem postulandi, sed populo Romano punire Cæsarem ius erat, planè vt Carthaginienses Romanis responderunt: *Ego non priuato publicóve consilio Saguntum oppugnatum sit quærendum censeo; sed vtrum iure an iniuria: nostra enim hæc quæstio atque animaduersio in ciuem nostrum est, nostro an suo fecerit arbitrio; vobiscum vna disputatio est, licueritne per fœdus fieri.* Defendit M. Tullius Cicero factum & Octauii & Decimi Bruti, qui priuato consilio in Antonium arma ceperant. Atqui etiam si constaret meritum hostilia Antonium, Senatus Populique Romani iudicium expectari debuit, an è Republica esset dissimulare factũ, an vlcisci; ad pacis venire conditiones, an ad arma procurrere. Nam iure suo quod sæpe cum damni periculo coniunctum est vti nemo cogitur. Tum verò etiam hoste iudicato Antonio permittenda Senatui, & populo Romano deliberatio fuit, per quos potissimum bellum id geri vellet. Sic Cassio auxilia ex fœdere petenti respondere Rhodii, missuros se si Senatus iuberet. Moniti hoc exemplo, & plura occurrent, meminerimus non omnia probare quæ à quamuis præclaræ famæ auctoribus dicuntur. sæpe enim tempori, sæpe affectibus seruiunt, & aptãt τῷ πέτρῳ στάθμην. quare danda est opera vti in his rebus defecato vtamur iudicio, nec quæ excusari magis quàm laudari possunt temerè in exemplum rapiamus, in quo perniciosè errari solet. Cùm verò dictum sit, bellum publicum geri nõ debere nisi eo auctore qui summam potestatem habeat, & ad huius rei, & ad quæstionis illius

Liu. Lib. XXXI.

App. ciu. IV.

quæ

quæ est de bello solenni intellectum, atque adeò ad alia multa, necessarium erit, quę sit summa illa potestas, quique eam habeant intelligere: eoque magis quia nostro sæculo viri eruditi, quisque ex vsu magis rerum præsentium, quàm ex vero illud argumentum exsequuti, rem per se haud expeditam multò impediorem reddiderunt.

VI. Facultas ergo moralis ciuitatem gubernandi, quæ potestatis ciuilis vocabulo nũcupari solet, à Thucydide tribus rebus describitur, cùm ciuitatem, quæ verè ciuitas sit, vocat αὐτόνομον, αὐτόδικον, αὐτοτελῆ, *suis vtentem legibus, iudiciis, magistratibus.* Aristoteles tres facit partes in administrandâ republicâ, consultationem de rebus communibus, curam legendorum magistratuũ, & iudicia: ad primam autem partem refert deliberationem de bello, pace, fœderibus faciendis ac dissoluendis, de legibus; addit de morte, exilio, publicatione, & repetundis, hoc est, vt ego interpretor, iudicia publica, cùm priùs iudiciorum nomine priuata intellexisset. Dionysius Halicarnassensis tria maximè notat, ius magistratuum creandorum, ius legum condendarum & tollendarum, ius decernendi de bello ac pace. Alibi addit quartum, iudicia: Rursum, alibi adiicit curationem sacrorum & conuocationem comitiorum. At si quis rectè partiri velit, facilè quæ huc spectant reperiet omnia; ita vt nihil aut desit, aut redundet: Nam qui ciuitatem regit, eam partim per se, partim per aliõs regit. Per se autem versatur, aut circa vniuersalia, aut circa singularia. Circa vniuersalia versatur condendo leges easq; tollendo, tam circa sacra (quatenus eorum cura ad ciuitatem pertinet) quàm circa profana. Ars circa hæc Aristoteli ἀρχιτεκτονικὴ, architectalis. Singularia circa quæ versatur, sunt aut directè publica, aut priuata quidem, sed quatenus ad publicum

Lib. IV. Pol. c. 4.

Lib. IV.

Lib. VII.

Lib. II.

publicum ordinantur. Directè publica sunt actiones, vt pacis, belli, fœderum faciendorum; aut res, vt vectigalia, & si quæ his sunt similia: in quibus comprehenditur & dominium eminens, quod ciuitas habet in ciues, & res ciuium ad vsum publicum. Ars circa hęc Aristoteli nomine generis πολιτικὴ, id est ciuilis, & βουλευτικὴ, consultatrix. Priuata sunt res controuersæ inter singulos, quas publica auctoritate dirimi publicæ quietis interest. Ars circa hæc eidem Aristoteli δικαστικὴ, iudicialis. Quæ per alterum expediuntur, ea expediuntur, aut per magistratus, aut per alios curatores, in quibus sunt & legati. His ergo in rebus consistit potestas ciuilis.

VII. Summa autem illa dicitur, cuius actus alterius iuri non subsunt, ita vt alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti possint reddi. Alterius cum dico ipsum excludo qui summa potestate vtitur; cui voluntatem mutare licet, vt & successorem, qui eodem iure vtitur, ac proinde eandem habet potestatem, non aliam. Hæc ergo summa potestas, quod subiectum habeat videamus. Subiectum aliud est commune, aliud proprium: vt visus subiectum commune est corpus, proprium oculus; ita summæ potestatis subiectum commune est ciuitas, quam perfectum cœtum esse suprà diximus. Excludimus ergo populos qui in alterius populi ditionem concesserunt, quales erant prouinciæ Romanorum: hi enim populi non per se ciuitas sunt, vt nunc quidem eam vocem sumimus, sed membra minus digna magnæ ciuitatis, quomodo serui membra sunt familiæ. Rursum accidit, vt plurium populorum idem sit caput, qui tamen populi singuli perfectum cœtum constituunt: neque enim vt in naturali corpore non potest caput vnum esse plurium corporum, ita in morali quoque corpore; nam

ibi

ibi eadem persona diuersa ratione considerata caput potest esse plurium ac distinctorum corporum. Cuius rei certum indicium esse potest, quod extincta domo regnatrice imperium ad quemque populum seorsim reuertitur. Sic etiam accidere potest, vt plures ciuitates arctissimo inter se fœdere colligentur, neque tamen singulæ desinant statum perfectæ ciuitatis retinere: quod tum ab aliis, tum ab Aristotele etiam notatum est non vno loco. Subiectum ergo commune summæ potestatis esto ciuitas, ita vt iam diximus intellecta. Subiectum proprium est persona vna pluresve pro cuiusque gentis legibus ac moribus.

Vict. de iur. bell. n. 7.

Lib. 11. Pol. c. 20. l. III. c. 9.

VIII. Atque hoc loco primum reiicienda est eorum opinio, qui vbique & sine exceptione summam potestatem esse voluntatem populi, ita vt ei reges quoties imperio suo malè vtuntur, & coercere & punire liceat: quæ sententia quot malis causam dederit, & dare etiamnum possit penitus animis recepta, nemo sapiens non videt. Nos his argumentis eam refutamus. Licet homini cuique se in priuatam seruitutem cui velit addicere, vt & ex lege Hebræa & Romana apparet. quidni ergo populo sui iuris liceat se vni cuipiam, aut pluribus ita addicere, vt regendi sui ius in eum planè transcribat nulla eius iuris parte retenta? Neque dixeris minimè id præsumi: non enim iam quærimus quid in dubio præsumendum sit: sed quid iure fieri possit. Frustra quoque afferuntur incommoda quæ hinc sequantur, aut sequi possint. nam qualemcunque formam gubernationis animo finxeris, nunquam incommodis aut periculis carebis. *Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his amittenda sunt*, ait Comœdia. Sicut autem multa sunt viuendi genera, alterum altero præstatius, & cuique liberum est ex tot generibus id eligere ꝙ ipsi placet; ita & populus eligere

Exod. XXI. 6. Inst. de iure pers. §. Serui autem. Gell. Lib. II. c. 18.

potest

potest qualem vult gubernationis formam : neque ex præstantia huius aut illius formæ, qua de re diuersa diuersorum sunt iudicia, sed ex voluntate ius metiendum est. Neque vero non multæ extare possunt causæ cur populus ius totum imperandi à se abdicet, aliique tradat, puta quia in periculum vitæ adductus alia lege qui se defendat reperire non potest: aut quia inopiâ pressus aliter habere non potest copiam vnde se sustentet. Nam si Campani olim necessitate subacti populo Romano se subiecerunt in hunc modum: *Populum Campanum, vrbemque Capuam, agros, delubra Deûm, diuina humanaque omnia, in vestram P. C. ditionem dedimus*: & quidam populi cum Romanorum ditioni subijcere se vellent, ne recepti quidem sunt; quod narrat Appianus: quid obstat quominus & vni homini præpotenti populus aliquis eundem ad modum dedere se possit? Accidere etiam potest, vt paterfamilias lati fundia possidens neminem aliâ lege in suas terras habitantem recipere velit. Adde quod sicut Aristoteles dixit quosdam homines naturâ esse seruos, id est ad seruitutem aptos; ita & populi quidam eo sunt ingenio, vt regi quam regere norint rectius; quod de se sensisse Cappadoces videntur, qui oblatæ à Romanis libertati vitam sub rege prætulerunt. Neque verò non aliquos mouere potuerunt exempla gentium quæ per sæcula plurima sub imperio plane regio satis feliciter vixerunt. Iam vero bello iusto, vt ante diximus, sicut acquiri potest dominium priuatum; ita & dominium ciuile, siue ius regendi non aliunde pendens. Neque vero hæc tantum pro vnius imperio, vbi id receptum est, conseruando dicta censeri debent: nam idem ius eademque ratio est procerum qui plebe exclusa ciuitatem regunt. Quid, & nulla respublica adeo reperta est popularis, in qua non aliqui aut valde inopes

inopes aut externi, tum verò & fœminæ à deliberationibus publicis arceantur? Iam verò & populi quidam alios sub se populos habent, non minùs addictos sibi quàm si regibus parerent: vnde illa interrogatio: *Estne populus Collatinus in sua potestate?* quæ omnia conuelli necesse est, si id recipimus, ius regendi semper subditum esse eorum iudicio ac voluntati qui reguntur. At verò esse reges qui populi etiam vniuersim sumti arbitrio non subsint, tum sacra, tum profana historia testatur. *Si dixeris*, inquit Deus populum Israëliticum alloquens: *Statuam supra me regem.* & ad Samuelem: *Indica eis ius regis qui regnaturus est super eos.* Hinc rex vnctus dicitur super populum, super hereditatem Domini, super Israëlem: Salomo rex super totum Israëlē. Sic Dauid Deo gratias agit quod populum suum ipsi subiecerit. Et Christus: *Reges*, inquit, *gentium dominantur eis.* Notum illud Horatii:

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis.

Tres gubernandi formas ita describit Seneca: *Interdum populus est quem timere debeamus; interdum si ea ciuitatis disciplina est, vt plurima per senatum transigantur, gratiosi in ea timentur viri: interdum singuli quibus potestas populi & in populum data est.* Tales sunt quos Plutarchus ait: ὃ κατὰ τοὺς νόμους μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ νόμων ἄρχειν, *imperium habere non ex legibus modò, sed & in leges.* Sic postquam Romani principes imperium verè regium vsurpare cœperunt, dicitur populus in eos omne suum imperium & potestatem contulisse, etiam in se, vt interpretatur Theophilus. Hinc illud dictum M. Antonini Philosophi: *Nemo nisi solus Deus, iudex principis esse potest.* Dion lib. LIII. de tali principe: αὐτοτελῆς ὄντως καὶ αὐτοκράτωρ, καὶ ἑαυτῆς, καὶ τῶν νόμων, πάντα τε οἷα βούλοιτο ποιῆν, καὶ πάνθ' ὅσα ἂν μὴ βέλοιτο μὴ ποιῆν. *Liber est, suiq; ac legum potens, vt & quod vult faciat,*

Liu. lib. 1.

Deuter. XVII. 14. I. Sam. VIII. 4. I. Sam. IX. 16. X. 1. XV. 1. II. Sam. V. 2. I. Reg. IV. 1. Psalm. CXLIV. 2. Luc. cap. XXII. 25. Epist. XIV. Flamin.

Instit. de iur. nat. §. sed & quod. Xiph. vita M. Anto. l. 4.

ciat, & quod non vult non faciat. Tale regnum iam antiquitus erat in Græcia regnum Inachidarũ Argis: nam in Argiua Tragœdia Supplicibus, sic populus Regem affatur apud Æschylum:

Σὺ μὲν πόλις, σὺ δὲ τὸ δήμιον,
Πρύτανις ἄκριτος ὤν,
Κραίνεις βωμὸν ἑσίας χθονὸς,
Μονοψήφοισι νεύμασι σέθεν.
Tu res populi tuq; vrbs tota es,
Non iudiciis subditus vllis,
Regni solio fultus vt ara,
Vnoq; regens cuncta arbitrio.

Longè aliter quàm de Athenienſium republica Theſeus ipſe apud Euripidem loquitur:

——— ἃ γὰρ ἄρχεται
Ἑνὸς τῳὸς ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐλευθέρα πόλις·
Δῆμος δ' ἀναστὰς διαδοχαῖσιν ἐν μέρει
Ἐνιαυσίαισιν.
——— *haec iuris sui*
Parere domino ciuitas vni negat:
Rex ipse populus annuas mandat vices
Honoris huic, illive.

Hinc factum vt reges qui populo ſubſunt, nõ niſi impropriè reges appellari dicantur: Itaque poſt Lycurgum magisque poſt Ephoros conſtitutos, reges Lacedæmoniorum, reges nomine, non re fuiſſe dicuntur Polybio, Plutarcho, Cornelio Nepoti. Quin & in populis qui perpetuò regibus non ſubſunt exempla videmus quaſi temporarii regni, quod populo non ſubſit. Talis erat poteſtas Amymonum apud Cnidios, & apud Romanos Dictatorum primis temporibus, cùm ad populum prouocatio non eſſet: vnde Dictatoris edictum pro Numine obſeruatum ait Liuius: Dictaturâ obſeſſam vim regiæ poteſtatis Cicero. Quæ pro cõtraria

Lib. IV. Vit. Cleom. Vit. Ageſilai. Liu. l. II. Plut. in Marcell. Halic. l. V.

traria sententia adferuntur argumenta, ea soluere difficile non est. Nam primùm quòd asseuerant eum à quo aliquis constituitur esse superiorem constituto, verum duntaxat est in ea constitutione, cuius effectus perpetuò pendet à voluntate constituentis; non etiam in ea quæ ab initio est voluntatis, postea verò effectum habet necessitatis: quomodo mulier virum sibi constituit cui parere semper necesse habet. Valentinianus Imperator militibus qui se Imperatorem fecerant, postulantibus quod ipsi non probabatur, respondit: *Vt me ad imperandum vobis eligeretis, in vestra situm erat potestate, ô milites: at postquam me elegistis, quod petitis in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere, mihi quæ faciẽda sunt cogitare.* Sed nec verum est quod assumitur, omnes reges à populo constitui: quod exemplis patrisfamilias aduenas sub obediendi lege acceptantis, & gentium bello deuictarum, quæ suprà attulimus, satis intelligi potest. Alterum argumentum sumunt ex dicto Philosophorum, regimen omne eorum qui reguntur, non qui regunt causa esse paratum: vnde sequi existimant ex finis nobilitate, eos qui reguntur, superiores esse eo qui regit. Sed nec illud vniuersaliter verum est, omne regimen eius qui regitur causâ esse comparatum; nam quædam regimina per se sunt regentis causâ, vt dominicum: nam serui vtilitas ibi extrinseca est & aduentitia: sicut medici lucrum ad ipsam medicinam non pertinet. Sunt alia regimina mutuæ vtilitatis causa, vt maritale. Sic imperia quædam esse possunt comparata ad regũ vtilitatem, vt quæ victoriâ parta sunt, & non ideo tyrannica dicenda sunt, cum tyrannis iniustitiã includat. Possunt & quædam vtilitatem respicere tam eius qui regit quàm eius qui regitur, vt cùm populus impotens sibi tuendo regem potentem imponit. Cæterùm non

Sozom. hist. Eccl. lib. XVI.

nego in pleriſque imperiis reſpici per ſe vtilitatem eorum qui reguntur: & verum eſſe quod Cicero dicit, fruendæ iuſtitiæ cauſa reges conſtitutos. Sed non ideò conſequens eſt quod illi inferunt, populos rege eſſe ſuperiores: nam & tutela pupilli cauſa reperta eſt, & tamen tutela ius eſt ac poteſtas in pupillum. Nec eſt quòd inſtet aliquis, tutorem, ſi malè rem pupillarem adminiſtret, amoueri poſſe; quare & in rege idem ius eſſe debere. Nam in tutore hoc procedit, qui ſuperiorem habet. at in imperiis, quia progreſſus in infinitum nos datur, omnino in aliqua aut perſona, aut cœtu cõſiſtendum eſt, quorum peccata, quia ſuperiorem ſe
7. Item. xxv. iudicem non habent, Deus ſibi curæ peculiari eſſe teſtatur; qui ea aut vindicat, ſi ita opus iudicet; aut tolerat in pœnam aut explorationem populi. Optimè Tacitus: *Quomodo ſterilitatem aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita luxum vel auaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines, ſed neque hæc continua, & meliorum interuẽtu penſantur.* Et M. Aurelius magiſtratus dixit de priuatis, principes de magiſtratibus, Deum de principibus iudicare. Inſignis eſt apud Gregorium Turonenſem locus, vbi Epiſcopus Regem Francorum ſic affatur: *Si quis de nobis, ô Rex, iuſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, à te corripi poteſt, ſi vero tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te damnabit niſi is qui ſe pronunciauit eſſe iuſtitiam?* Irenæus
Hiſt. 4. Lib. 5. optimè: *Cuius iuſſu homines naſcuntur, huius iuſſu & reges conſtituuntur apti iis, qui in illis temporibus ab ipſis regnantur.*
1. Reg. IV. 16. II. Reg. X. 17. Nec obſtat his quæ diximus, quòd populi interdũ puniti leguntur ob regum peccata: non enim: ideò euenit, quòd populus regem aut non puniret, aut non reprimeret, ſed quòd vitiis eius tacitè ſaltem conſentiret. Quanquam etiam ſine eo Deus ſummo dominio, quod in vitam necemque ſingulorum habet, vti

potuit

potuit in pœna regis, cuius supplicium est subditis orbari.

IX. Sunt alii qui mutuam quandam subiectionem sibi fingunt, vt populus vniuersus regi rectè imperanti parere debeat, rex autem malè imperans populo subiiciatur. qui si hoc dicerent, non facienda ob regis imperium ea quæ manifestè iniqua sunt, verum dicerēt, & quod apud omnes bonos confessum est: sed id nullam includit coactionē, aut ius aliquod imperii. Quòd si etiam populo alicui propositum fuisset partiri cum rege imperium (qua de re infrà dicēdum erit aliquid) fines certè potestati vtriusque assignari debuissent tales, qui cognosci facilè possent ex locorum, personarum, aut negotiorum discrimine. Bonitas autem aut malitia actus, præsertim in ciuilibus quæ sæpe obscuram habent disceptationem, apta non sunt ad partes distinguendas; vnde summam confusionem sequi necesse est, cognitionem de re eadem pro iure potestatis, obtentu actus boni malive, hinc ad se rege trahente, inde populo: qualem rerum perturbationem introducere nulli, quod sciam, populo in mentem venit.

X. Sublatis opinionibus falsis restat cautiones adhibeamus aliquas, quæ viam nobis monstrare possint ad certè dijudicandum cui ius summæ potestatis in gente quaque competat. Prima cautio hæc sit, ne decipiamur ambiguo nominis sono, aut rerum externarum specie. Exempli causa, quanquam apud Latinos opponi solent principatus & regnum, vt cùm Vercingetorigis patrem dicit Cæsar principatum obtinuisse Galliæ, sed quòd regnum affectaret interfectum. Et cùm Piso apud Tacitum Germanicum dicit principis Romanorum, non Parthorum regis esse filium: & cùm Suetonius parum abfuisse ait Caligulam, quin

ſpeciem principatus in regnum conuerteret: & cùm Vellejo Marobodus dicitur non principatum parentium voluntate conſtantem, ſed vim regiam complexus animo. Videmus tamen confundi hæc ſæpe: nam & Lacedæmonii duces ex Herculis poſteritate, poſtquam Ephoris ſubiecti fuere, reges dicebantur nihilominus, vt modò vidimus: & veteri Germaniæ reges erant quos Tacitus præfuiſſe ait auctoritate ſuadendi, non poteſtate iubendi: Et de Euandro rege Liuius, rexiſſe eum auctoritate magis quàm imperio: & Sufetem Carthaginenſium Polybius βασιλέα appellat. Contra Romani imperatores, poſtquam palam & ſine vlla diſſimulatione regnum liberrimum tenuerunt, principes tamen vocabantur. Sed & inſignia regiæ maieſtatis in liberis quibuſdam ciuitatibus tribui principibus ſolent. Iam verò comitia ordinum, id eſt conuentus eorum qui populum in claſſes diſtributum referunt, nimirum, vt Guntherus loquitur,

Lib. 1.

Prælati, proceres miſſiſque potentibus vrbes:

alibi quidem in hoc ſeruiunt duntaxat, vt ſint maius regis conſilium, per quod querelæ populi, quæ ſæpe in conſiſtorio reticentur, ad regis aures perueniant; cui deinde liberum ſit ſtatuere quod ex vſu ipſi videatur. alibi etiam ius habent de actis principis cognoſcendi, atq; etiam leges præſcribendi quibus princeps teneatur. Sunt multi qui exiſtimant diſcrimen ſummi imperii, aut ſummo minoris, petendum ex delatione imperii per electionem aut ſucceſſionem. Nam quæ hoc modo deferuntur imperia, ea ſumma eſſe contendunt, non item quæ illo. At hæc vniuerſim vera non eſſe pro certo haberi debet. Nam ſucceſſio non eſt titulus imperii, qui imperio formam aſſignet, ſed veteris continuatio. Ius enim ab electione familiæ

miliæ cœptum succedendo continuatur; quare quantum prima electio tribuit, tantum defert successio. Apud Lacones regnum ad hæredes transibat etiam post Ephoros constitutos. Contrà Romanum imperium etiam sublata omni senatus, & populi potestate per electionem conferebatur.

XI. Altera cautio hæc esto. Aliud esse de re quærere, aliud de modo habendi, quod non in corporalibus tantùm, sed & in incorporalibus procedit. Vt enim res est ager, ita & iter, actus, via. Sed hæc alii habẽt iure pleno proprietatis, alii iure vsufructuario, alii iure temporario. ita summum imperium Dictator Romanus habebat iure temporario: reges deniq́uetam qui primi eliguntur, quàm qui electis legitimo ordine succedunt, iure vsufructuario: at quidam reges pleno iure proprietatis, vt qui iusto bello imperium quæsiuerũt, aut in quorum ditionem populus aliquis, maioris mali vitandi causa, ita se dedidit vt nihil exciperetur. Neque enim illis assentio qui Dictatori negant fuisse summum imperium, quia perpetuum nõ erat. nam rerum moralium natura ex operationibus cognoscitur: quare quæ facultates eosdem effectus habent, eodem nomine nuncupandæ sunt. At Dictator intra tempus suum omnes actus eodem iure exercet, quo rex qui est optimo iure; neque eius actus ab alio reddi irritus potest. Duratio autem naturam rei non immutat. quanquam si de dignitate quæritur, quæ maiestas dici solet, dubium non est, quin ea maior sit in eo cui ius perpetuum datum est, quàm cui temporarium, quia ad dignitatem facit habendi modus. Atque idem dictum volo de his, qui antequam reges ad suam tutelam peruenerint, aut dum furore, aut captiuitate impediuntur, curatores regni ita constituuntur, vt populo non sebsint, neque ante legiti-

Procop. Vand. 1. Aimo. lib. II. c. 20. lib. IV. c. 35.

mum tempus potestas eorum sit reuocabilis. Aliud censendum de his qui ius acceperunt quouis tempore reuocabile, id est precarium, quale olim Vandalorum regnum fuit in Africa, & Gothorum regum in Hispania, cum ipsos deponerent populi quoties displicerent. horum enim singuli actus irriti possunt reddi ab his qui potestatem reuocabiliter dederunt; ac proinde non idem est effectus, nec ius idem.

Hotom. cõt. ill. q. 1.

XII. Quod autẽ dixi, quædam imperia esse in pleno iure proprietatis, id est in patrimonio imperantis; quidam viri eruditi hoc argumento oppugnant, quòd liberi homines in commercio non sint. At sicut alia est potestas dominica, alia regia; ita & alia est libertas personalis, alia ciuilis, alia singulorum, alia vniuersorum. Nam & Stoici quandam seruitutem constare dicebant ὑποταξιν, in subiectione; & in sacris literis subiecti regis serui vocantur. Sicut ergo libertas personalis dominum excludit, ita libertas regnum, atque aliam quamuis proprie dictam ditionem. Sic Liuius ista opponit: *Regem vocabant libertatis dulcedine nondum experta.* Idem: *Indignum videbatur populum Romanum seruientem cum sub regibus esset, nullo bello ac ab hostibus vllis obsessum esse, liberum eundem populum ab Hetruscis obsideri.* Et alibi: *Non in regno populum Romanum, sed in libertate esse.* Cicero dixerat: *Aut exigendi reges non fuerant, aut plebi re, non verbis danda libertas.* Post hos Tacitus: *Vrbem Romam ab initio reges habuere: libertatem & consulatum L. Brutus instituit.* Et alibi: *Acrior Arsacis regno Germanorum libertas.* Et passim in legibus Romanis de bello & de iudiciis recuperatoriis, externi distinguuntur in reges & populos liberos. Hîc ergo non de hominum singulorum, sed de populi libertate quæritur. Cæcina apud Senecam: *Regalia fulmina sunt quorum vi tangitur, vel comitium, vel principalia vrbis liberæ loca; quorum significatio*

Diogen. Laert. I. Sam. XXII. 18. II. Sam. X. 2. I. Reg. IX. 22. Liu. lib. 1. lib. II. Lib. III. de leg. An. 1. De morib. Germ.

regnum

regnum ciuitati minatur. Quin & sicut ob priuatam, ita ob hanc publicam subiectionem, aliqui dicuntur esse non sui iuris, non suæ potestatis. Hinc illa: *quæ vrbes, qui agri, qui homines AEtolorum iuris aliquando fuerunt*: &, *Estne populus Collatinus in sua potestate*? Propriè tamen cum populus alienatur, non ipsi homines alienantur, sed ius perpetuum eos regendi, quà populus sunt. Sic cùm vni liberorum patroni libertus assignatur, non hominis liberi fit alienatio, sed ius quod in hominem competit transscribitur. Neque illud magis firmum est, quod aiunt; si quos populos rex bello quæsierit, cum eos nõ sine ciuium sanguine ac sudore quæsierit, ciuibus quæsitos potius credi debere quàm regi. Nam & fieri potuit, vt rex ex sua priuatâ substantia exercitum aluerit, aut etiam ex fructibus eius patrimonii quod principatum sequitur. Nam vt in ipsum illud patrimonium rex aliquis non nisi vsufructum habeat, perinde vt in ipsum ius imperandi populo qui se elegit, fructus tamen ipsius sunt proprii. sicut in iure ciuili est proditum, hereditatis quæ restitui iussa est fructus non restitui, quia non hereditati accepti feruntur, sed rei. Euenire ergo potest vt rex in quosdam populos imperium habeat proprio iure; ita vt alienare etiam possit. Sic rex Solomo regi Phœnicum Hiromo (ita enim eum Græcè vocat Philo Byblius qui Sanchuniathonis historiam vertit) dedit vrbes viginti: non ex vrbibus populi Hebræi: nã Cabul (quod nomen illis vrbibus datum est) ponitur extra fines Hebræorum, Ios. XIX. 27. sed ex iis vrbibus quas populi deuicti hostes Hebræorum ad eum diem retinuerant, quasque partim Rex Ægypti Solomonis socer vicerat, & Solomoni dotales dederat, partim subegerat ipse Solomo. Nam eo tempore ab Israelitis nõ habitatas argumento est, quòd postquam Hiromus

Liu. lib. XXXVIII. Idem lib. V.

L. infidelis commissario. §. plane. ff. ad Sc. Trebell.

1. Reg. XII. 1. Reg. IX. 6. ibid. 12.

1. Par. VIII. 14.

eas reddidit, tum demũ Solomo'eo deduxit Hebræorum colonias. Sic Alexandri ſucceſſores in ius illud plenum ac proprietatem imperandi populis, qui ſub Perſis fuerant, pro ſua quiſque parte ſucceſſiſſe, aut etiam ipſi victoriæ iure id imperium ſibi quæſiuiſſe cenſendi ſunt. quare non eſt mirandum ſi alienandi ius ſibi arrogarunt. Sic cum Attalus rex Eumenis filius populum Romanum teſtamento bonorum ſuorum heredem feciſſet, populus Romanus ſub bonorum nomine etiam regnum complexus eſt. Et poſtea cum Nicomedes Bithyniæ rex moriens populum Romanum feciſſet heredem, regnum in prouinciæ formam redactum eſt. Sic Libyæ pars Cyrenaica eadem ab Apione rege teſtamento relicta. Cicero de lege Agraria: *Quis ignorat regnum AEgypti teſtamento regis Alexandrini, populi Romani eſſe factum?*

Florus li. II. Epit. Liu. 58. Epit. Liu. 43. Ap. Mithr. & lib. I. Liuii.

XIII. At in regnis quæ populi voluntate delata ſunt, concedo non eſſe præſumendum eam fuiſſe populi voluntatem, vt alienatio imperij ſui Regi permitteretur. Quare quod Crantzius vt rem nouam notat in Vnguino, quod is Noruagiam teſtamento reliquiſſet, non eſt quod improbemus, ſi Germanorum mores reſpicit, apud quos regna eo iure minime habebãtur. Nam quod Carolus Magnus, & Ludouicus Pius, & alij poſtea etiam apud Vandalos & Hungaros de regnis teſtati leguntur, id commentationis magis vim apud populum habebat, quam veræ alienationis. Atque id de Carolo ſpeciatim Ado memorat, voluiſſe eum teſtamentum ſuum à Francorum optimatibus confirmari. Simile eſt quod apud Liuium legimus, regem Macedonum Philippum cum Perſea à regno arcere & eius loco regem facere vellet Antigonum fratris ſui filium, obijſſe Macedoniæ vrbes, vt principibus Antigonum commendaret. Nec quod idem ille

Lib. II. Dan. c. 4.

Liu. lib. I.

Ludoui-

Ludouicus vrbem Romam Paschali Pontifici reddidisse legitur, ad rem facit, cum Franci imperium in vrbem Romam à Populo Romano acceptum, reddere eidem populo recte potuerint: cuius populi quasi personam sustinebat is qui primi ordinis princeps erat.

XIV. Quod autem huc vsque monuimus, distinguendam esse summitatem imperij ab habendi plenitudine, adeo verum est vt non modo pleraque imperia summa non plene habeantur, sed & multa non summa habeantur plenè: quo fit vt marchionatus & comitatus facilius quam regna vendi & testamento relinqui soleant.

XV. Est & alterum huius discriminis indicium in regni tutela, dum rex ætate, aut morbo fungi potestate sua impeditur. Nam in regnis quæ non sunt patrimonialia, tutela eorum est quibus lex publica, aut ea deficiente consensus populi eam mandat. In regnis patrimonialibus eorum quos pater aut propinqui elegerint. Sic videmus in Epirotarum regno, & cõsensu populi ortum fuerat, Aribæ regi pupillo publicè tutores constitutos. At in Asiâ minore bello parta rex Eumenes Attalo filio fratrem suum tutorem dedit. Siue vero rex simul sit priuato iure fundorum dominus, vt Rex Ægypti post Iosephi tempus, seu non sit, hoc imperio extrinsecum est, nec ad eius naturã pertinet. Quare nec imperij speciem aliam, neque alium habendi imperij modum hoc quidem constituit. *Iust. lib. LXVII.* *Plut. de amore frat.*

XVI. Tertia obseruatio sit, non desinere summum esse imperium, etiam si is qui imperaturus est promittat aliqua subditis aut Deo, etiam talia quæ ad imperij rationem pertineant. Nec iam de obseruatione iuris naturalis & diuini, adde gentium, loquor, ad

quam

quam reges omnes tenentur, etiamsi nihil promiserint, sed de regulis quibusdam ad quas sine promisso non tenerentur. Verum esse quod dico ex similitudine patrisfamilias apparet, qui si quid familiæ facturum se promiserit, quod ad familiæ gubernationem pertineat, non eò desinet in sua familia ius summum, quantum fert familia, habere. Nec maritus maritali potestate priuatur eò quod aliquid vxori promiserit. Fatendum tamen, id vbi fit, arctius quodammodo reddi imperium, siue obligatio duntaxat cadat in exercitium actus, siue etiam directè in ipsam facultatem. Priore specie actus contra promissum factus erit iniustus, quia, vt alibi ostendemus, vera promissio ius dat ei cui promittitur: altera autem specie erit etiam nullus defectu facultatis. Neque inde tamen sequitur, ita promittente superiorem dari aliquem; nullus enim is actus non redditur hoc casu ex vi superiore, sed ipso iure. Apud Persas rex summo cum imperio erat, & vt imago Dei adorabatur. Rex erat qui dicebat proceribus Persarum; *Ne viderer meo tantummodo vsus consilio, vos contraxi. cæterum mementote, parendum vobis magis esse quam suadendum.* Tamen leges certa quadam forma latas mutare illi nefas erat, vt & Danielis historia & Plutarchus in Themistocle nos docent, & multo post tempore Procopius Persici belli libro primo, vbi insignis ad hanc rem historia extat. Idem de Æthiopum regibus tradit Diodorus Siculus. Eodem tradente Ægyptiorum reges, quos tamen, vt alios reges Orientis, summo imperio vsos non est dubium, ad multarum rerum obseruationem iureiurando se obligabant: verum si contra fecissent, accusari viui non poterant, sed mortuorum accusabatur memoria, sicut & Hebræorum regum quimalè regnassent, cadauera abijciebantur insepulta; egregio temperamento, quo & sanctimonia

Val. Max. lib. IX. c. 5.

Lib. III. Lib. I.

monia summæ potestatis maneret, & tamen futuri iudicij metu reges à fide mutanda retraherentur. Quid si addatur, si rex fidem fallat, vt tum regno cadat? ne sic quidem imperium desinet esse summum, sed erit habendi modus imminutus per conditionem & imperium temporario non absimile. Sic fundus qui fideicommisso tenetur, est quidem fundus non minus quàm si pleno dominio possideretur, sed habetur amissibiliter. Talis autem lex commissoria non tantum in regni delatione adijci potest, sed & in alijs contractibus. Nam & fœdera quædam cum vicinis videmus cum tali sanctione inita.

XVII. Quartò notandum, quanquam summum imperium vnum quiddam sit ac per se indiuisum, constans ex illis partibus quas supra enumerauimus, addita summitate, id est τῷ ἀνυπευθύνῳ, fieri tamen interdum vt diuidatur, siue per partes quas vocant potentiales, siue per partes subiectiuas. Sic cum vnum esset Romanum imperium, factum tamen sæpe est, vt alius orientem, alius occidentem teneret, aut vt tres etiam tripartito orbem regerent. Sic etiam fieri potest, vt populus regem eligens quosdam actus sibi seruet, alios autem regi deferat pleno iure. Neque tamen id fit, vt iam ostendimus, quotiescunque rex promissis quibusdam obligatur; sed tunc id fieri intelligendum est, si aut expresse instituatur partitio, qua de re supra iam diximus, aut si quid populus adhuc liber futuro regi imperet per modum manentis præcepti; aut si quid sit additum quo intelligatur regem cogi aut puniri posse. Nam præceptum est superioris, saltem in eo quod præcipitur: Et cogere non est quidem semper superioris: nam & naturaliter quisque ius habet cogendi debitorem, sed cum inferioris natura repugnat. Itaque ex coactione saltem paritas sequitur, ac proinde summitatis

mitatis diuisio. Multi aduersus talem statum quasi bicipitem incommoda multa adferũt; sed vt suprà quoque diximus, in ciuilibus nihil est quod omni ex parte incommodis careat; & ius non ex eo quod optimum huic aut illi videtur, sed ex voluntate eius vnde ius oritur metiendum est.

XVIII. Multum tamen falluntur qui existimant, cùm reges acta quædam sua nolunt rata esse nisi à Senatu aut alio cœtu aliquo probentur, partitionem fieri potestatis: nam quæ acta eum in modum rescinduntur, intelligi debent rescindi regis ipsius imperio, qui eo modo sibi cauere voluit, ne quid fallaciter impetratum pro vera ipsius voluntate haberetur. quale erat Antiochi tertii regis rescriptum ad magistratus, ne sibi parerent, si quid legibus aduersum iussisset; & Cõstantini, ne pupilli aut viduæ cogantur venire iudicii causa ad comitatum Imperatoris, etiamsi Imperatoris rescriptum proferatur. Quare hæc res similis est testamentis, quibus adiectum est ne posterius testamentum valeat: nam hæc quoque clausula efficit, vt posterius testamentum non ex vera voluntate profectum præsumatur. Sed sicut hæc clausula, ita & illa regis iussu expresso ac speciali posterioris voluntatis significatione tolli potest.

Boer. ad c. de const. in Decret. Plut. Apophteg. L. vnica. C. quando Imperator.

XIX. Sed neque Polybij hîc vtor auctoritate qui ad mixtum genus reipublicæ refert Romanam rempublicam, quæ illo tempore, si non actiones ipsas, sed ius agendi respicimus, merè fuit popularis: Nam & Senatus auctoritas, quam ad optimatum regimen refert, & consulum quos quasi reges fuisse vult, subdita erat populo. Idem de aliorum politica scribentium sententijs dictum volo, qui magis externam speciem & quotidianam administrationem, quam ius ipsum summi imperij spectare congruens ducunt suo instituto.

XX. Ma-

XX. Magis ad rem pertinet quod Aristoteles scripsit, inter regnum plenum quod παμβασιλείαν vocat, (eadem est παντελὴς μοναρχία, Sophocli Antigone) & regnum Laconicum, qui merus est principatus, aliquot regni species esse interiectas. Ego exemplum huius rei dari arbitror posse in regibus Hebræis: nam hi quin in rebus plerisque summo iure imperauerint, dubitari nefas arbitror. Voluerat enim populus regem quales habebant vicini: at orientis populi addictè admodum regnabantur. Æschylus Persis de rege Persarum sic loquentem facit Atossam:

——οὐχ ὑπεύθυνος πόλει.
——*non est ciuitati obnoxius.*

Notum illud Maronis:

——*Regem non sic AEgyptus & ingens*
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Obseruant.——

Apud Liuium: *Syri & Asiatici genera hominũ seruituti nata.* Libr. XXXVI. Et apud Tacitum Ciuilis Batui illud ad Gallos: *Seruirent Syria Asiaq; & suetus regibus oriens:* nam & in Germania, & in Gallia tum reges erant, sed vt idem Tacitus notat, precario iure regnandi & auctoritate suadendi, non iubendi potestate. Supra quoque notauimus totum populum Hebræum fuisse sub rege: & Samuel ius regum describens satis ostendit aduersus regis iniurias uullam in populo relictam potestatem. quod rectè colligunt veteres ex illo Psalmi: *Tibi soli peccaui.* ad quem locum Hieronymus: *Quòd rex erat, & alium non timebat.* Et Ambrosius: *Rex erat, nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt reges à vinculis delictorum: Neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii potestate. homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius.* Idem legere est apud Isidorum Pelusiotam epistola postremò editarum CCCLXXXIII. Hæc cùm ita sint, tamen aliqua iudicia arbi- Hist. IV. Lib. 6.

arbitror regibus ademta, manſiſſe penes ſynedrium LXX. virûm, quod diuino imperio à Moſe inſtitutum ad Herodis tempora perpetua cooptatione durauit. Itaque & Moſes & Dauid iudices Deos vocant, & iudicia vocantur iudicia Dei: & iudices dicuntur non humana, ſed diuina vice iudicare. imò apertè diſtinguuntur res Dei à rebus regis, vbi res Dei, monentibus doctiſſimis Hebræorum, iudicia intelligi debent. Non nego regem Iudæorum capitalia quædam iudicia per ſe exercuiſſe: qua in re ipſum regi decem tribuum Iſraëliticarum præfert Maimonides: quod & exempla non pauca, tum in Sacris literis, tum in ſcriptis Hebræorum euincunt: ſed quædam cognitionum genera regi videntur non permiſſa, vt de tribu, de Propheta. Eiusque rei argumentum eſt in Ieremiæ Prophetæ hiſtoria, quem cùm proceres ad mortem deposcerent, reſpondit Rex: *Ecce in poteſtate veſtra eſt, nam contra vos rex nihil poteſt*: in hoc negotiorum genere ſcilicet. Simile quid in Romanorum regum temporibus obſeruo; nam tum omnia fermè negotia manu regis expediebantur. *Romulus nobis, vt libitum, imperauerat*, inquit Tacitus. *Conſtat initio ciuitatis reges omnem poteſtatem habuiſſe*, inquit Pomponius. tamen quædam populo excepta etiam illo tempore vult Halicarnaſſenſis. Quòd ſi Romanis magis credimus, in cauſis quibuſdã prouocationem ad populum à regibus fuiſſe ex Ciceronis de Republica libris, ex pontificalibus quoque libris & Feneſtella annotauit Seneca. Mox Seruius Tullius non tam iure quàm auris popularibus ad regnum peruectus, plus etiã vim regni imminuit: quippe, vt loquitur Tacitus, *ſanctor legum queis etiam reges obtemperarent*. Quominus mirandum quod Liuius dicit, primorum conſulum poteſtatem à regia hoc fermè vno diſtitiſſe quòd annua eſſet. Similis etiam mixtura ex po-

Exod. XXII 8. Deut. I. 17. Pſalm. LXXXII. 1. II. Chron. XIX. 6. 8. I. Chron. XXVI. 32. & II. Chro. XIX. 11.

Ierem. XXXVIII. 5.

Epiſt. 100.

III. Annal.

ex populari & optimatũ potentia Romæ fuit tempore interregini & primis Consulum temporibus: nam in rebus quibusdam iisque maioribus, ita demum ratum erat quod populus iussisset, si patres auctores fierent: quod postea, vi populi aucta, speciem tantum veterem retinuit, cum in incertũ comitiorum euentum patres auctores fieri cœperunt, vt Liuius & Dionysius notant. Quin & serius aliquanto mixturæ mansit aliquid, quamdiu, vt idem loquitur Liuius, imperium penes Patricios (id est Senatum;) penes tribunos (id est plebem) auxilium erat. His positis quæstiones quasdam quæ frequentem in hoc argumentõ vsum habent examinemus. *Liu. lib. VI.*

XXI. Prima est, an summum imperium habere possit is qui inæquali fœdere tenetur. Inæquale fœdus hîc intelligo, non quod inter viribus dispares initur, quomodo Thebana ciuitas Pelopidæ tempore fœdus cum Persarum rege habuit, & Romani cum rege Masanissa: nec quod actum habet transeuntem, vt cum hostis qui sit ad amicitiam recipitur, dum impensas belli soluat, aut aliud quid præstet: sed quod ex ipsa vi pactionis manentem prælationem quandam alteri donat; hoc est vbi quis tenetur alterius imperium, ac maiestatem conseruare, vt in fœdere Ætolorum cum Romanis erat, idest tum operam dare vt eius imperium in tuto sit, tum vt dignitas, quæ maiestatis nomine significatur, ei constet. Imperij reuerentiam dixit Tacitus: ad quod genus referenda sunt iura quæ nunc vocantur protectionis, aduocatiæ, mundiburgij: Item ius vrbium matricum incolonias apud Græcos: Nam vt Thucydides ait, coloniæ cum vrbibus matricibus pari erant iure libertatis, sed debebant πᾶν τὸ μητροπολιν, & exhibere τὰ γέρα τὰ νομιζόμενα, reuerentiam scilicet & honoris signa quædam. *Val. Max. lib. VII. c. 1.* *Lib. 1.*

Lib. 1. Liuius de veteri fœdere inter Romanos qui Albæ ius omne acceperant, & Latinos Alba oriundos : *In eo fœdere superior Romana res erat.* Scimus quid ad hanc quæstionem Proculus responderit, scilicet liberum esse populum qui nullius alterius potestati subiectus sit, etiamsi in fœdere comprehensum sit vt is populus comiter alterius populi maiestatem conseruaret. Si ergo populus tali fœdere obligatus liber manet, si alterius potestati subiectus non est, sequitur, vt summum imperium retineat. Atque idem de rege pronuntiandum est. Est enim populi liberi & regis qui vere rex sit, eadem ratio. Addit Proculus, illud adijci in fœdere, vt intelligatur alterum populum superiorem esse, non vt intelligatur alterum non esse liberum. Superiorem hîc intelligere debemus non potestate (iam enim dixerat talem populum alterius potestati subiectum non esse) sed auctoritate, & dignitate: quod verba sequentia aptâ admodum similitudine explicant. *Quemadmodum*, inquit, *clientes nostros intelligimus liberos esse, etiamsi neque auctoritate, neque dignitate, neque iure omni nobis pares sunt: sic & eos qui maiestatem nostram comiter conseruare debent, liberos esse intelligendum est.* Clientes in fide sunt patronorum; sic populi fœdere inferiores in fide populi, qui dignitate est superior. Sunt ἐπὶ προστασίαις, οὐχ ὑποτελεῖς, *sub patrocinio, non sub ditione*, vt Sylla apud Appianum loquitur: & Cicero officiorum secundo sanctiora illa Romanorum tempora describens, patrocinium sociorum ait penes eos fuisse, non imperium. Sicut patrocinium priuatum non tollit libertatem personalem, ita patrocinium publicum non tollit libertatem ciuilem, quæ sine summo imperio intelligi nequit. Ideo apud Liuium opponi videas, in fide esse & inditione : Et Syllæo Arabum regi minatus est Augustus, teste Iosepho, ni iniuriis in vicinos abstineret,

L. non dubito. D. de capt.

Ap. Mithr.

neret, curaturum se vt ex amico subditus fieret: Cuius conditionis erant reges Armeniæ, quos in ditione Romanâ fuisse ad Vologesen scribebat Pætus, & proinde sono magis nominis quàm re ipsa reges. Obstare his quæ diximus videtur, quod addit Proculus: *Et fiunt apud nos rei ex ciuitatibus fœderatis, & in eos damnatos animaduertimus.* Sed vt hæc res intelligatur, sciendum est quatuor incidere posse controuersiarum genera. primùm, si subditi populi aut regis qui in fide est alterius, dicantur feciſſe contra fœdus: deinde, si ipsi populi aut reges accusentur: tertiò si socii qui in eiusdem populi aut regis fide sunt inter se litigent: quartò, si subditi conquerantur de iniuriis eorum quorum sunt in ditione. Primâ specie si peccatum appareat, tenetur rex aut populus, eum qui nocuit aut punire, aut ei cui nocitum est dedere: quod non tantùm inter inæquales, sed & inter æqualiter fœderatos locum habet, imò etiam inter eos qui nullo fœdere tenentur, vt ostendemus alibi. Tenetur etiam dare operam vt damna resarciantur; quod officium Romæ erat recuperatorum. Gallus Ælius apud Festum: *Reciperatio est cùm inter populum & reges nationesque ac ciuitates peregrinas lex conuenit, quomodo per reciperatorem reddantur res, reciperenturque, resque priuatas inter se prosequantur.* Secundâ specie ius habet socius cogendi socium, vt stet fœderis legibus, atq; etiam puniendi ni steterit. Sed hoc quoque inæquali fœderi proprium non est. Idem enim locum habet in fœdere æquali, quale fuerat Romanorum cum Albanis, quo tempore Tullus à Metio pœnas perfidiæ exegit. Nam vt quis vltionem sumat ab eo qui peccauit, satis est, vt ipse ei qui peccauit subditus non sit; quod alibi à nobis tractabitur. Quare etiam inter reges aut populos non fœderatos idem vsuuenit. Tertia specie sicut in fœdere æquali solent controuersiæ deferri ad

conuentum ſociorum, quos ſcilicet res non tangit, vt Græcos, Latinos veteres, & Germanos olim feciſſe legimus; aut alioqui ad arbitros, aut etiam ad principem fœderis tanquam communem arbitrum: ita in fœdere inæquali plerumque conuenire ſolet, vt controuerſiæ diſceptentur apud eum qui ſuperior eſt in fœdere. Quare ne hoc quidem oſtendit imperii poteſtatem. Nam & reges apud iudices à ſe conſtitutos iudicio contendere ſolent. In poſtrema ſpecie ius cognoſcendi nullum eſt ſociis. Ideo cùm Herodes quædam aduerſus liberos ad Auguſtum ſua ſponte deferret, dixerunt illi: *Poteras de nobis ſupplicium ſumere tuo iure, tum quà pater, tum quà rex.* Et hoc eſt in quo Ariſtoteles ait ſocietatem à ciuitate differre, quòd ſociis curæ ſit ne iniuria in ipſos committatur, non verò ne ſociæ ciuitatis ciues inter ſe iniurias committant. Solet & illud obiici, quòd in hiſtoriis ei qui fœdere ſuperior eſt imperandi, & ei qui inferior eſt parendi vox interdum tribuitur. Sed nec hoc mouere nos debet. aut enim agitur de rebus ad commune bonum ſocietatis pertinentibus, aut de vtilitate priuatâ eius qui ſuperior eſt in fœdere. In rebus communibus, extra tempus conuentus, etiam vbi fœdus æquale eſt, ſolet is qui lectus eſt princeps fœderis ſociis imperare, vt Agamemnon regibus Græcis, Lacedæmonii Græcis poſtea, deinde Athenienſes. In oratione Corinthiorum apud Thucydidem legimus: χρὴ τοὺς ἡγεμόνας τὰ ἴδια ἐξ ἴσου νέμοντας τὰ κοινὰ προσκοπεῖν. *Decet eos qui fœderis principes ſunt, circa ſuas quidem vtilitates nihil præcipuum ſumere, at in communibus rebus curandis eminere ſupra cæteros.* Iſocrates priores Athenienſes ductum exercuiſſe ait ὅλων ἐπιστατοῦντας, ἰδίᾳ δ' ἑκάστους ἐλευθέρους ἐῶντας εἶναι. *curam gerentes pro ſociis omnibus, ita vt iis libertatem integram relinquerent.* Hoc ipſum Latini imperare, Græci modeſtiùs τάσσειν dicunt. Athenienſes delato ſibi

Ioſ. lib. XVI. c. 7. 8.
Polit. III. c. 9.

ductu

ductu belli in Persas, ἔπαξαν, inquit Thucydides, ὅσ π ἔδει παρέχειν τῶν πόλεων χρήματα πρὸς τὸν βάρβαρον καὶ ἂς ναῦς. *ordinarunt* (sic qui Roma in Græciam mittebantur dicebãtur mitti ad ordinandum statum liberarum ciuitatum) *quæ vrbes pecunias in barbarum, quæ naues conferrent.* Hoc enim si facit qui princeps tantùm est in fœdere, non mirum est si in fœdere inæquali idem faciat is qui superior est fœdere. Imperium ergo hoc sensu, id est, ἡγεμονία, libertatem aliorum non tollit. Rhodii in oratione apud Senatum Romanum quæ apud Liuium extat: *Græci domesticis quondam viribus etiam imperium amplectebantur: nunc imperium vbi est, ibi vt sit perpetuum optant: libertatem vestris tueri armis satis habent, quoniam suis non possunt.* Libr. XXXVII. In iis verò rebus quæ ad propriam vtilitatẽ spectant superioris, postulata solent imperia dici, non ex iure, sed ex effectus similitudine, sicut regum preces imperia sæpe esse dicuntur, & ęgroti imperare medicis. Liuius libro XLII. *Ante hunc consulem* (C. Posthumium) *nemo vnquam sociis in vlla re oneri aut sumptui fuit: ideo magistratus mulis, tabernaculis, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis.* Interim verum est accidere plerumque, vt qui superior est in fœdere, si is potentiâ multùm antecellat, paulatim imperium propriè dictum vsurpet: præsertim si fœdus perpetuum sit, & cum iure præsidia inducendi in oppida, sicut Athenienses fecerunt, cùm à sociis ad se prouocari passi sunt; quod nunquam fecerant Lacedæmonii. Sic Latini querebãtur sub vmbra fœderis Romani seruitutem se pati. Sic Ætoli vanam speciem & inane nomen libertatis: Achæi postea *fœdus specie iam esse precariam seruitutẽ.* Hal. lib. VI. Liu. lib. XXXIV. Eumenes Rhodiorum socios ait, *verbo esse socios, reuera subiectos imperio & obnoxios.* Liu. lib. XXXVII. Sic apud Tacitum Ciuilis Batauus de eisdem Romanis cõque- Hist. IV. ritur; *neque enim societatem, vt olim, sed tanquam mancipia haberi:*

beri: & alibi, *Miseram seruitutẽ falsò pacem vocari.* Sic Thessalos in speciem fuisse liberos, sed reuera sub imperio Macedonum notat Polybius. Hæc cùm fiunt, & ita fiunt vt patientia in ius transeat, qua de re alibi erit disputandi locus, tunc aut qui socii fuerant fiunt subditi, aut certè partitio fit summi imperii, qualem accidere posse suprà diximus.

XXII. Qui verò certum quid pensitant aut ad redimendas iniurias, aut ad tutelam comparãdam, quales Hebræorum reges, & vicinarum gentium post Antonii tempora, ὑποφόροις πεπαμένοις, vt Appianus loquitur, quo minus summum imperium habere possint, nullam dubitandi causam video, quanquam infirmitatis confessio de dignitate aliquid delibat.

XXIII. Difficili or multis videtur quæstio de nexu feudali, sed quæ ex antedictis facilè solui potest. Nam in hoc contractu qui proprius est Germanicarum gentium, neque vsquam inuenitur nisi vbi Germani sedes posuerunt, duo sunt consideranda, obligatio personalis, & ius in rem. Obligatio personalis eadem est, siue quis ipsum ius imperandi, siue aliud quidquis etiam alibi situm feudi iure possideat. Talis autem obligatio sicut priuato nõ erat demtura ius libertatis personalis, ita nec regi aut populo ius demit summi imperii, quæ libertas est ciuilis. quod apertissimè conspici datur in feudis liberis quæ Franca vocant, quæ nullo iure in rem, in sola personali obligatione consistunt. Hæc enim nihil sunt aliud quàm species fœderis inęqualis de quo egimus, quo alter alteri operam pollicetur, alter alteri præsidium & tutelam. Pone etiam aduersus omnes promissam operam, quod nunc feudum ligium vocant, (nam olim ea vox latiùs patebat) nihil id de iure summi imperii in subditos detrahit: vt iam taceam semper inesse conditionem

nem tacitam, dum iustum sit bellum, de qua agendum erit alibi. Ius verò in rem quod attinet, id quidem tale est, vt ipsum imperandi ius, si feudi iure teneatur, aut familia extincta, aut etiam ob certa crimina amitti possit. Sed interim summum esse non desinit: aliud enim est res, vt sæpe diximus, aliud rem habẽdi modus.

XXIV. Distinguendum quoque non minùs in imperio quàm in dominio, ius ab vsu iuris, siue actus primus ab actu secundo. Nam sicut rex infans ius habet, sed imperium exercere non potest; sic & furiosus & captiuus, & qui in alieno territorio ita viuit, vt actiones circa imperium alibi situm liberæ ei non permittantur: omnibus enim his casibus curatores siue prodici dandi sunt.

CAP. IV.

De bello Subditorum in superiores.

I. *Status quæstionis.*

II. *Bellum in superiores quà tales ordinariè licitum non esse iure naturæ.*

III. *Nec concessum lege Hebræa.*

IV. *Minus etiam lege Euangelica: quod probatur ex sacris literis.*

V. *Et factis Christianorum veterum.*

VI. *Refellitur sententia statuens inferioribus magistratibus licitum esse bellum aduersus summam potestatem: idque rationibus, & sacris literis.*

VII. *Quid sentiendum si summa & alioqui ineuitabilis sit necessitas?*

VIII. *Ius belli dari posse in principem populi liberi:*

IX *In regem qui imperium abdicauerit:*

X. *In regem qui regnum alienet, ad impediendam traditionem tantùm.*

XI. In regem qui manifestè totius populi hostem se ferat:
XII. In regem post amissum regnum ex lege commissoria:
XIII. In regem qui partem duntaxat imperii habeat pro ea parte quæ ipsius non sit:
XIV. Si resistendi libertas certis casibus reseruata sit.
XV. Inuasori alieni imperii quatenus parendum.
XVI. Inuasori alieni imperii vi resisti posse ex iure belli manetis:
XVII. Ex lege antecedente:
XVIII. Ex mandato ius imperandi habentis.
XIX. Cur extra hoc casus id non liceat.
XX. In controuerso iure priuatos sibi iudicium sumere non debere.

I. BELLVM gerere possunt & priuati in priuatos, vt viator in latronem; & summum imperium habentes in eos qui itidem id habent, vt Dauid in regem Ammonitarum; & priuati in eos qui imperio summo, at non in se, vtuntur, vt Abrahamus in regem Babyloniæ & vicinos; & qui summum imperium habent in priuatos aut sibi subditos, vt Dauid in partem Isbosethi; aut non subditos, vt Romani in piratas. Tantùm illud quæritur, an aut priuatis aut publicis personis bellum gerere liceat in eos, quorum imperio siue summo siue minori subsunt. Ac primùm id minimè controuersum est arma sumi posse in inferiores ab iis qui summæ potestatis auctoritate armantur: qualis fuit Nehemias armatus edicto Artaxerxis aduersus vicinos regulos. Sic metatores expellendi domino prædii licentiam Imperatores Romani concedunt. Verùm aduersus summam potestatem aut inferiores, sed agentes quod agunt summæ potestatis auctoritate, quid liceat quæritur. Illud quidem apud omnes bonos extra controuersiam est; si quid imperent naturali iuri aut diuinis præceptis contrarium, non esse faciendum quod iubent. Nam Apostoli cùm dixerunt Deo magis

L. deustum. C. de Metatoribus, lib. XII.

magis quàm hominibus obediẽdum, ad certissimam prouocarunt regulam, omnium inscriptam mentibus, quam totidem fermè verbis expressam apud Platonem reperias: at si qua ex tali causa, aut alioqui quia summum imperium habenti ita libet, iniuria nobis inferatur, ea toleranda est potiùs quàm vi resistendum.

II. Et naturaliter quidem omnes ad arcendam à se iniuriam ius habent resistendi, vt suprà diximus. Sed ciuili societate ad tuendam tranquillitatem institutâ, statim ciuitati ius quoddam maius in nos & nostra nascitur, quatenus ad finem illum id necessarium est. Potest igitur ciuitas ius illud resistendi promiscuum publicæ pacis & ordinis causa prohibere: Et quin voluerit, dubitandum non est, cùm aliter non posset finem suum consequi. Nam si maneat promiscuum illud resistendi ius, non iam ciuitas erit, sed dissociata multitudo, qualis illa Cyclopum:

——— Θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
Παίδων ἠδ' ἀλόχων.
——— *Dant coniugibus ius*
Quisque suis soboliq;.
Νομάδες· ἀκούει δ' οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός.
Confusa turba, nemo vbi audit neminem.

Ita vt dixi habent mores omnium ciuitatum: *Generale pactum est societatis humanæ*, inquit Augustinus, *Regibus obedire.* Æschylus:

Τοιαῦτ' ἄναρχος κ' οὐχ ὑπεύθυνος κρατεῖ.
Rex est suo vtens iure, nulli obnoxius.

Sophocles:

Ἄρχοντές εἰσιν, ὥς γ' ὑπεικτέον. πῶς δ' οὐ;
Nam principes sunt: obsequendum. quippe ni?

Euripides:

Τὰς τῶν κρατούντων ἁμαρτίας χρεὼν φέρειν.

Imperia habentum perferenda inscitia est.

Adde quod suprà ex Tacito in hanc rem adduximus: cuius & hoc est; *Principi summum rerum arbitrium dii dederunt, subditis obsequii gloria relicta est.* Hîc quoque

Indigna digna habenda sunt Rex quæ facit:

Seneca:

Æquum atque iniquum regis imperium feras.

quòd ex Sophocle sumtum, qui dixerat:

ἀλλ' οὐ πόλις σήπεις, τῶδε χρὴ κλύειν
καὶ σμικρὰ καὶ δίκαια καὶ τἀναντία.

Et quod apud Sallustium est: *Impune quiduis facere, id est regem esse.* Hinc vbiq; maiestas, id est dignitas, siue populi, siue vnius qui summo fungitur imperio, tot legibus, tot pœnis defenditur: quæ constare non potest si maneat resistendi licentia. Miles qui castigare volenti se centurioni restiterit, si vitem tenuit, militiam mutat: si ex industriâ fregit vel manum centurioni intulit, capite punitur. Et apud Aristotelem est: εἰ ἀρχὼν ἐπάταξεν ἢ δεῖ ἀνυπεύθυνον; *si magistratum gerens aliquem verberauerit, ipse reuerberandus non est.*

L. Milites. §. Irreuerēs. D. de re milit.

III. In lege Hebræa mortis supplicio damnatur, qui inobediens fuerit, aut summo Pontifici, aut principi senatus, aut ei qui extra ordinem rector populi à Deo esset constitutus. Quod verò apud Samuelem est de iure regis, omnino rectè inspicienti apparet, nec de iure vero intelligendum, id est de facultate honestè & iustè aliquid agendi, (longè enim alia viuendi ratio præscribitur regi in ea parte legis, quæ est de officio regis) neque nudum factum indicari: nihil enim esset in eo eximium, cùm iniurias facere etiam priuati priuatis soleant: sed factum quod effectum aliquem iuris habeat, id est non resistendi obligationem. Ideo additur, populum pressum istis iniuriis Dei opem imploraturum, quia scilicet humana remedia

Deuteron. XVIII. 2.

Sam. VIII. 11.

Deuter. XVII. 14.

nulla

nulla exstarent. Sic ergo hoc ius vocatur, quomodo prætor ius reddere dicitur, etiam cùm iniquè decernit. *L. Ius plurib. D. de iust. & iure.*

IV. In nouo fœdere Christus præcipiens dari Cæsari quæ Cæsaris sunt, intelligi voluit à suæ disciplinæ sectatoribus non minorem, si nō maiorem, obedientiam cum patientia, si opus sit, coniunctam summis potestatibus deberi, quàm ab Hebræis regibus Hebræis debebatur; quod latiùs exsequens optimus eius interpres Paulus Apostolus, officia subditorum latè describens; inter alia: *Qui obsistit*, inquit, *potestati, Dei ordinationi obsistit: tum verò qui obsistunt, sibi ipsis condemnationem accipient.* Addit mox: *Dei enim minister est qui potestate fungitur tuo bono.* Deinde, *quapropter necesse est subiici, non solùm propter iram, sed & propter conscientiam.* In subiectione includit non resistendi necessitatem, neque eam solùm quæ ex formidine maioris mali oritur, sed quæ ex ipso sensu officii nostri manat, neque hominibus tantùm, sed & Deo nos obligat. Rationes addit duas: primùm, quòd Deus ordinem illum imperandi, & parendi approbauerit, & olim in lege Hebræa, & nunc in Euangelio. quare potestates publicæ eo loco nobis habendę sunt, quasi ab ipso Deo essent constitutæ. Nostra enim facimus, quibus auctoritatem nostrā impartimur. Alteram, quòd hic ordo nostro bono inseruiat. Atqui, dicat aliquis, iniurias pati vtile non est. Hîc quidam, verè magis quàm ad sensum Apostoli, vt arbitror, appositè, dicunt has quoque iniurias vtiles nobis esse, quia ista patientia suâ non sit caritura mercede. Mihi videtur Apostolus considerasse finem vniuersalem isti ordini propositum, qui est tranquillitas publica, in qua & singulorum comprehenditur. Et sanè quin plerumque hoc bonum per potestates publicas consequamur, dubitandum non est: nemo enim *Rom. XIII.*

enim sibi male vultiat imperantis felicitas, in subditorum felicitate consistit. *Sint quibus imperes*, aiebat ille. Quod si quando nimiâ formidine, aut iracundiâ aliisve affectibus, transuersi agantur rectores, quo minus rectam ineant viam quæ ad tranquillitatem ducit, id inter minus frequentia habendum est; & quæ, vt ait Tacitus, interuentu meliorum pensantur. Leges autem satis habent id quod plerumque accidit respicere, vt aiebat Theophrastus, quo & illud Catonis pertinet: *Nulla lex satis commoda est: id modo quæritur, si maiori parti & in summa prodest.* quæ autem rarius contingunt, communibus tamen regulis constringenda sunt, quia etsi ratio legis in isto particulari facto particulariter locum non habeat, manet tamen ratio in sua generalitate, cui particularia subijci fas est. Id enim satius quàm sine normâ viuere, aut normam cuiusque arbitrio permitti. Seneca appositè ad hanc rem. *Satius erat à paucis etiam iustam excusationem non accipi, quam ab omnibus aliquam tentari.* Locum & hîc habere debet illa nunquam satis memorata Periclis apud Thucydidem sententia: *Sic existimo, etiam singulis hominibus plus eam prodesse ciuitatem quæ tota rectè se habeat, quam si qua priuatis floreat vtilitatibus, ipsa autem vniuersim laboret. qui enim domesticas fortunas bene collocatas habet, patria tamen euersa, pereat & ipse necesse est: Contra vero etiam si quis in beatâ republicâ parum fœlix est, multo tamen facilius per illam incolumis seruatur. Quare cum ciuitas quidem singulorum possit sustentare calamitates, singuli autem publicas non item; quid est cur non vniuersim ipsi consulere, ipsamque tueri oporteat, nec id facere quod vos facitis, dum quasi attonsi iacturâ rei familiaris, salutem proditis reipublicæ?* Quem sensum breuiter ita explicat Liuius: *Respublica incolumis & priuatas res saluas facile præstat: publica prodendo tua nequicquam seruues.* Plato dixerat legum IV. τὸ μὲν δὴ κοινὸν ξωσδεῖ, τὸ δὲ ἴδιον

L. τὸ δ. D. de legibus. L. III. in fine. D. de pet. hered.

Lib. VII. de benef. c. 16.

Lib. XXVI.

ἴδιον διασῴζει τὰς πόλεις· καὶ συμφέρει τῷ κοινῷ τε καὶ ἰδίῳ ἀμφοῖν, ὧν τὸ κοινὸν πάντως καλῶς μᾶλλον ἢ τὸ ἴδιον. *Quod commune est connectit ciuitates, quod singulorum, dissipat; quare & publice & priuatim vtilius est, vt publica magis quam priuata curentur.* Eodem & illa Iamblichi pertinent: *Non disiuncta est priuata vtilitas à publica, imò in bono communi singulare etiam continetur: & vt in animalibus cæteraque naturâ, ita in ciuitatibus in totius salute salus est partium.* In publicis autem præcipuum haud dubie est ordo ille quem dixi imperandi parendique; is vero cum priuata resistendi licentiâ consistere nequit. Paulo comitem addamus Petrum; cuius hæc sunt verba: *Regem honorate. Serui, subditi estote cum omni timore dominis, non solum bonis & æquis, sed etiam prauis. Hoc enim cedit gratiæ, si quis propter conscientiam Dei suffert molestiam iniuste afflictus. quæ enim gloria est si peccantes & colaphis cæsi subsistitis? sed si bene agentes, & tamen male habiti subsistitis, hoc cedit vobis gratiæ apud Deum.* Confirmat mox hoc à Christi exemplo. Notanda hîc duo: quod dicitur subiectionem dominis deberi, etiam prauis, idem ad reges quoque referendum: Nam quod sequitur ei fundamento superstructum, non minus subditorum, quam seruorum officium respicit. Ac deinde talem à nobis requiri subiectionem quæ iniuriarum patientiam secum ferat. 1. Epist. 11. 18

V. Nec ab hac lege Domini discedit consuetudo veterum Christianorum, optima legis interpres. Nam quamquam pessimi sæpe homines imperium Romanum tenuerunt, nec defuerunt qui obtentu adiuuandæ reipublicæ ijs se opponerent, nunquam tamen eorum conatibus se adiunxerunt Christiani: In Clementis Constitutionibus est, βασιλείας ἡμῖν ἐπανίστασθαι. *regiæ potestati resistere nefas.* Tertullianus Apologetico: *Vnde Cassij, & Nigri, & Albini? vnde qui inter duas lauros obsident Cæsarem? vnde qui faucibus eius exprimendis palæstricam exercent?*

exercent? vnde qui armati palatium irrumpunt, omnibus tot Sigerijs (sic diserte habet manuscriptus qui est apud omni laude ornatissimos iuuenes Puteanos) *ac Parthenijs audaciores? De Romanis, ni fallor, id est de non Christianis.* De palæstrica, quod ait, ad Commodi mortem pertinet, peracta imperio præfecti Ælij Læti, manu palæstritæ; quo tamen Imperatore vix quisquam fuit sceleratior, aut Christianis infestior. Parthenius cuius factum itidem detestatur Tertullianus, erat ille qui pessimum Imperatorem Domitianum oppresserat. His comparat Plautianum præfectum Prætorio, qui Septimium Seuerum valde sanguinarium Imperatorem occidere in palatio volucrat. In eundem Septimium Seuerum arma quasi pro reipublicæ caritate sumpserant in Syria Pescennius Niger, in Gallia & Britannia Clodius Albinus. Sed horum quoque factum Christianis displicuit, quod & ad Scapulam iactat Tertullianus: *Circa maiestatem Imperatoris infamamur: tamen nunquam Albiniani, vel Nigriani, vel Cassiani inueniri potuerunt Christiani.* Cassiani illi erant qui secuti erant Auidium Cassium virum egregium, qui in Syria sumptis armis causabatur rempublicam se ire restitutum, quam M. Antonini negligentia perderet. Accedat hoc Cypriani: *Quamuis nimius & copiosus noster sit populus, non tamen aduersus violentiam se vlciscitur: patitur.* Ambrosius cum iniuriam non sibi tantum, sed & gregi suo, & Christo fieri crederet à Valentino Valentiniani filio, populi satis concitati motu ad resistendum vti non voluit. *Coactus*, inquit, *repugnare non noui: dolere potero, potero flere, potero gemere: aduersus arma, milites, Gothos quoque, lachrimæ meæ arma sunt. aliter nec debeo nec possum resistere.* Mox: *Exigebatur à me vt compescerem populum: referebam in meo iure esse vt non excitarem; in Dei manu vt mitigaret.* Idem Ambrosius Maximi copijs aduersus Impera-

Ad Demetriad.

Theodoret. hist. Eccles. Lib. V. c. 4.

Imperatorem & Arianum, & Ecclesiæ gratiem vti noluit. Sic Iulianum defectorem cum pessima consilia agitaret, lachrymis Christianorum repressum, ait Nazianzenus, addens, *quia solum hoc contra persequutorem erat remedium.* Atqui exercitus eius fermè omnis ex Christianis constabat. Adde quod, vt obseruat idem Nazianzenus, sæuitia illa Iuliani, non tantum in Christianos erat iniuria, sed & rempublicam in summum adduxerat periculum. *Orat. I. in Iulian.*

VI Inuenti sunt nostro sæculo viri eruditi quidem illi, sed temporibus & locis nimium seruientes, qui sibi primum (ita enim credo) deinde aliis persuaderent ea quæ iam dicta sunt locum habere in priuatis, non etiam in magistratibus inferioribus, quibus ius esse putant resistendi iniuriis eius, cuius summum est imperium; imo & peccare eos, ni id faciant. quæ opinio admittenda nõ est. Nam sicut in dialecticis species intermedia, si genus respicias, est species; si speciem infra positam, genus: ita magistratus illi, infetiorum quidem ratione habitâ sunt publicæ personæ; at superiores si considerentur, priuati sunt. Nam omnis facultas gubernandi quæ est in magistratibus, summæ potestati ita subiicitur, vt quicquid contra voluntatem summi imperantis faciant, id defectum sit eâ facultate; ac proinde pro actu priuato habendum. Locum enim hîc quoque habet, quod dicunt Philosophi, ordinem non dari nisi cum relatione ad aliquid primum. Ac mihi videntur qui contra sentiunt, talem statum rerum inducere, qualem antiqui fabulantur in cœlo fuisse antequam Maiestas oriretur, quo tempore aiunt minores Deos Ioui non concessisse. At is quem dixi ordo, & ὑποπλησμὸς, non tantum sensu communi cognoscitur: vnde illud, *Auerr. V. Metaph. com. 6.*

Omne sub regno graniore regnum est.

Et

Et Papinij illud:

vice cuncta reguntur:
Alterniſque regunt.

c. qui reſtitit. XI. q. 3. Et Auguſtini dictum celebre: *Ipſos humanarum rerum gradus aduerte: ſi aliquid iuſſerit curator, faciendum: non tamen ſi contra proconſul iubeat: aut ſi conſul aliquid iubeat, & aliud Imperator. non vtique contemnis poteſtatem, ſed eligis maiori ſeruire: nec hinc debet minor irasci ſi maior prælatus eſt.* Et hoc eiuſdem de Pilato: *Talem ei Deus dederat poteſtatem, vt eſſet ſub Cæſaris poteſtate.* Sed & diuina probatur auctoritate.

1. Ep. II. 13. Nam Apoſtolorum princeps ſubiectos nos eſſe vult aliter regi, aliter magiſtratibus: Regi, vt ſupereminenti, id eſt, ſine vlla exceptione, præter ea quæ Deus directè imperat, qui iniuriæ patientiam probat, non interdicit: Magiſtratibus, tanquam miſſis à rege, id eſt poteſtatem ſuam à rege ducentibus. Et cùm Paulus omnem animam ſupremis poteſtatibus eſſe ſubiectam vult, etiam magiſtratus inferiores incluſit. Neque in populo Hebræo, vbi tot fuere reges diuini humanique iuris contemptores, vnquam inferiores magiſtratus, in quibus plurimi fuere viti pii & fortes, id ſibi iuris ſumpſerunt, vt regibus vim vllam opponerent, niſi ſi qui à Deo, cuius in reges ſummum ius eſt, mandatum ſpeciale acceperant. quin contra quod procerum officium ſit oſtendit Samuel, cùm proceribus & populo inſpectante, Saulem iam peruersè regnantem ſolita veneratione eſt proſequutus. Atque adeo religionis quoque publicæ ſtatus nunquam non à regis arbitrio pependit. Quod enim poſt regem magiſtratus ſimul cum populo Deo ſe fideles fore promiſerunt, id intelligi debet quatenus in cuiuſque id futurum erat poteſtate. Ne ſimulacra quidem falſorum Deorum, quæ publicè extabant, deiecta vnquam legimus, niſi iuſſu aut populi in libera republica, aut regum cùm

1. Sam. XV. 30.

regna-

regnabantur. Quod si quid aliquando factum est vi contra reges, narratur in testimonium diuinæ prouidentiæ id permittentis. non in facti humani approbationem. Solet à contrariæ sententiæ auctoribus proferri dictum Traiani, cum pugionem præfecto prætorio traderet: *Hoc pro me vtere, si rectè impero; si male, contra me.* Sed sciendum est Traianum, vt ex Plinij Panegyrico apparet, id vnice curasse ne quid regium ostentaret, sed verum principem gereret, qui proinde subesset senatus populique iudicio; quorum sententias exequi præfectus deberet etiam in ipsum principem. Simile est quod de M. Antonino legimus, qui publicam pecuniam attingere noluit nisi consulto senatu. *Dion. lib. LVI.*

VII. Grauior illa est quæstio, an lex de non resistendo nos obliget in grauissimo & certissimo discrimine. Nam leges etiam Dei quædam, quanquam generaliter prolatæ, tacitam habent exceptionem summæ necessitatis: quod de lege sabbati & Hasamonæorum temporibus à sapientibus definitum erat & probatum à Christo: non quod Deo ius non sit ad certam mortem subeundam nos obstringere, sed quod leges quædam eius sint argumenti, vt non credibile sit datas ex tam rigida voluntate. quod in legibus humanis magis etiam procedit. Non nego à lege etiam humanâ quosdam virtutis actus posse præcipi, sub certo mortis periculo, vt de statione non deserenda; sed nec temere ea voluntas legem condentis fuisse intelligitur, neque videntur homines in se, & alios tantum ius accepisse, nisi quatenus summa necessitas id exigat. Ferri enim leges ab hominibus solent & debent cum sensu humanæ imbecillitatis. Hæc autem lex de qua agimus pendere videtur à voluntate eorum, qui se primum in societatem ciuilem consociant, à quibus ius

porro ad imperantes manat. Hi vero si interrogarentur an velint omnibus hoc onus imponere vt mori præoptent, quàm vllo casu vim superiorum armis arcere, nescio an velle se sint responsuri, nisi forte cum hoc additamento, si resisti nequeat, nisi cum maxima reipublicæ perturbatione, aut exitio plurimorum innocentium. Quod enim tali circumstantia caritas commendaret, id in legem quoque humanam deduci posse non dubito. Dicat aliquis, rigidam illam obligationem mortem potius ferendi, quam vllam vnquam superiorum iniuriam repellendi, non ex lege humana, sed diuina proficisci. Sed notandum est, primo homines non Dei præcepto, sed sponte adductos experimento infirmitatis familiarum segregum aduersus violentiam, in societatem ciuilem coijsse, vnde ortum habet potestas ciuilis, quam ideo humanam ordinationem Petrus vocat: quanquam alibi & diuina ordinatio vocatur, quia hominum salubre institutum Deus probauit. Deus autem humanam legem probas censetur probare vt humanam & humano modo. Barclaius regij imperij assertor fortissimus, huc tamen descendit, vt populo & insigni eius parti ius concedat se tuendi aduersus immanem sæuitiam; cum tamen ipse fateatur totum populum regi subditum esse. Ego facile intelligo quo pluris est id quod conseruatur, eo maiorem esse æquitatem, quæ aduersus legis verba exceptionem porrigat: attamen indiscriminatim dãnare aut singulos aut partem populi minorem, quæ vltimo necessitatis præsidio sic vtatur, vt interim & communis boni respectum non deserat, vix ausim. Nam Dauid, qui extra pauca facta testimonium habet vitæ secundum leges exactæ, armatos circum se primum quadringentos, deinde plures aliquanto habuit; quo nisi ad vim arcendam si inferretur? Et hoc ipso

1. Pet. II. 13.

Lib. III. adu. Monarchom. c. 8. Lib. VI. c. 23. & 24.

1. Sam. XXII. 2. & XXIII. 13.

ipso tempore Dauid à prudente fœmina dicitur bella Dei, id est pia gerere, quod male multi ad sola bella priora trahunt, cum potius emendatio sit eius quod Nabal dixerat, multos subditos à rege suo deficere: & vt corrigat Abigail, bella Dauidis pia esse dicit vtpote non defectionis, sed solo vitæ tuendæ consilio suscepta. Sed simul illud notandum est, non factum id à Dauide, nisi postquam & Ionathanis indicio, & pluribus aliis certissimis argumentis compererat Saulem vitæ suæ imminere. Deinde vero nec vrbes inuadit, nec pugnandi captat occasiones, sed latebras quærit, modo in locis deuijs, modo apud populos externos, & hac religione vt popularibus suis nunquam noceat. Simile videri potest factum Maccabæorum: nam quod quidam hæc arma eo titulo defendunt, quasi Antiochus non rex, sed inuasor fuerit; vanum puto: cum nusquam in omni historiâ Maccabæi, & qui eorum partes sequebantur, Antiochum alio quam regis nomine compellent; & merito sane, cum iam pridem Macedonum imperia agnouissent Hebræi, in quorum ius Antiochus successerat. Nam quod lex vetat alienigenam populo præfici, de voluntaria electione intelligendum est, non de eo quod temporum necessitate adductus populus facere cogebatur. Quod vero aiunt alij, vsos Maccabæos iure populi, cui αὐτονομία deberetur, ne id quidem firmum. Nam Iudæi primum à Nabuchodonosore deuicti iure belli ex eodem iure successoribus Chaldæorum Medis & Persis paruerant: quorum totum imperium ad Macedones deuenit. Hinc Iudæi Tacito vocantur: *Dum Assyrios penes Medosque & Persas Oriens fuit vilissima pars seruientium.* Nec quicquam ab Alexandro, eiusque successoribus stipulati sunt, sed sine vlla conditione in eorum ditionem venerunt, sicut ante sub ditione

1. Sam. XXV. 28.

Ib. 10.

Hist. 1. lib. v.

Darii fuerant. Quod si & Iudæi interdum ritus suos & leges palàm exercere permissi sunt, id fuit ex regum beneficio ius precarium, non ex lege aliquâ imperio additâ. Nihil ergo est quod Maccabæos tueatur, præter summum certissimumque periculum: quamdiu scilicet intra sui defendendi terminos ita se continuerunt, vt in loca deuia exemplo Dauidis secederent, quærendæ securitati; nec arma expedirent, nisi vltrò oppugnati. Illa interim cautio tenenda est, etiam in tali periculo personæ regis parcendum: quod qui factum à Dauide putant non ex officii necessitate, sed ex sublimiore proposito falluntur. Ipse enim Dauid apertè dixit, insontem neminem esse posse qui manus regi inferret. Nimirum sciebat scriptum in lege: *Dijs*, id est Iudicibus summis, *non maledices, & Principi in populo tuo non maledices.* in qua lege mentio facta specialis eminentium potestatũ, ostendit aliquid præcipi speciale. At falsa maledicta ne in priuatum quidẽ licet iacere; in regem ergo veris quoque abstinẽdum. quia, vt ait scriptor problematum, quæ Aristotelis nomen præferunt: ὁ κακηγορῶν τὸν ἄρχοντα, εἰς τὴν πόλιν ὑβρίζει. *Qui rectori maledicit, in ciuitatem est iniurius.* quòd si voce lædendus non est, manu certè multo minùs: vnde & pœnitentia tactum Dauidem legimus, quòd vestem eius violasset: tantam intelligebat personæ istius esse sanctitudinem. nec immeritò. nam cùm summum imperium non possit non multorum odiis patere, securitas fungentis peculiariter fuit munienda. quod Romani etiam in Tribunis plebis cõstituerunt, vt ἄσυλοι, id est inuiolabiles essent. Inter Essenorum dicta erat, reges sanctos esse habendos: & insigne illud apud Homerum:

1. Sam. XXVI. 9.
Deut. XXII. 28.
Sect. XL.
1. Sam. XXIV. 6.

περὶ γὰρ δίε ποιμένι λαῶν,
μή τι πάθοι.

Nam

Nam pro populi pastore timebat,
Nequid ei accideret.

Nec immeritò, vt apud Curtium est, *regium nomen gentes quæ sub regibus sunt pro Deo colunt.* Artabanus Persa: ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμον καὶ καλῶν ὄντων κάλλιστος οὗτός ἐστι τὸ τιμᾶν βασιλέα καὶ προσκυνεῖν, εἰκόνα Θεοῦ τὰ πάντα σώζοντος. *Nobis inter leges multas easq; bonas hæc optima est, regem colendum & adorandum, vt Dei cuncta sospitantis effigiem.* Illa quæstio grauior, an quantum Dauidi, an quantum Maccabæis licuit, liceat & Christianis, quorum magister crucem subiri toties iubens, exactiorem patientiam videtur requirere. Certè Christianis veteribus qui recentes ab Apostolorum & Apostolicorum virorum disciplinâ eorum præscripta & intelligebant meliùs & perfectiùs implebant, summam iniuriam fieri puto ab iis qui quò minùs ipsi se defenderent in certissimo mortis periculo, vires putant illis non animum defuisse. Impudens certè & imprudens fuisset Tertullianus, si apud Imperatores, qui eius rei ignari esse non poterant, ita confidenter ausus esset mentiri: *Si enim & hostes apertos, non tantùm vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni ipsiq; Parthi, vel quantæcumque vnius tamen loci & suorum finium gentes, quàm totius orbis? Externi sumus, & vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum: sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam copiis impares, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret quàm occidere?* Sequitur hîc quoque magistrum suum Cyprianus, & apertè prædicat: *Quamuis nimius & copiosus noster populus, non tamen aduersus violentiam se vlciscitur: patitur.* Nec aliud putem spectasse Augustinum, cùm dicit: *Nihil iustus præcipuè cogitet in his rebus, nisi vt bellum suscipiat,*

piat, cui bellare fas est: non enim fas est omnibus. Eiusdem est illud: *Quoties Imperatores in errore sunt, leges ad tuendum errorem contra veritatem condunt, per quas iusti examinantur & coronantur.* Idem alibi: *Ita à plebibus principes & à seruis domini ferendi sunt, vt sub exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia, & sperentur æterna.* Thebæa legio, vt Acta nos docent, militibus constabat sexies millibus sexcentis sexaginta sex Christianis omnibus: Qui, cum Maximianus Cæsar apud Octodurum exercitum cõpelleret sacra Dijs falsis facere, primum Agaunum iter arripuerunt: & cum eo misisset Imperator qui eos ad sacrificandum venire iuberet, ipsique se id facturos negassent, Maximianus decimum quemque iussit interfici per apparitores: qui nemine repugnante facile imperium sunt executi. Mauritius eius legionis primicerius, narrante Eucherio episcopo Lugdunensi, eo tempore commilitones sic allocutus legitur. *Quam timui, ne quisquam, quod armatis facile est, specie defensionis, beatissimis funeribus manus obuiam afferre tentaret? iam mihi ad huius rei interdictum Christi nostri parabatur exemplum, qui exemptum vagina Apostoli gladium propriæ vocis iussione recondidit: docens maiorem armis omnibus Christianæ confidentiæ esse virtutem, ne quisquam mortali operi mortalibus dexteris obsisteret, quin imo cœpti operis fidem perenni religione compleret.* Cum hoc supplicio peracto Imperator superstitibus eadem quæ ante præciperet, sic omnes respondent: *Milites quidem, Cæsar, tui sumus, & ad defensionem reipublicæ Romanæ arma suscepimus: nec vnquam aut desertores bellorum, aut proditores militiæ fuimus, aut ignauæ formidinis meruimus subire flagitium. Tuis etiã obtemperaremus præceptis, nisi instituti legibus Christianis, dæmonũ cultus & aras semper pollutas sanguine vitaremus. Cõperimus præcepisse te, vt aut sacrilegijs polluueres Christianos, aut de denis interfectis nos velles terrere. Non inquiras longius latitantes: nos omnes Christianos esse cognosce: habebis*

Lib. VI. qu. 10. in Ios.

Ep. C. LXVI.

bebis potestati tuæ subdita omnium corpora: auctorem verò suum respicientes Christum animas non tenebis. Tum Exuperius legionis signifer, sic eam allocutus ibidē narratur: *Tenere me, commilitones optimi, sæcularium quidem bellorum signa perspicitis: sed non ad hæc arma prouoco, non ad hæc bella animos vestros virtutemq; compello. Aliud vobis genus eligendum est præliorum. Non per hos gladios potestis ad regna cœlestia properare.* Deinde Imperatori hæc nuntiari iubet: *Non nos aduersum te, Imperator, armauit ipsa, quæ fortissima est in periculis, desperatio. Tenemus ecce arma & non resistemus, quia mori magis quàm vincere volumus, & innocentes interire quàm noxii viuere præoptamus.* Et postea; *Tela proïcimus: exarmatas quidē dexteras satelles tuus, sed armatū side catholica pectō inueniet.* Sequitur post hæc laniena in non repugnantes, in cuius narratione hæc sunt Eucherij verba: *Ne iusti punirētur multitudo non obtinuit, cùm inultum* (malè editur *multorum*) *esse soleat quod multitudo delinquit.* In veteri Martyrologio res eadem sic narratur: *Cædebantur itaque passim gladiis non reclamantes, sed & depositis armis cernices persecutoribus, vel intectum corpus offerētes, non vel ipsa suorum multitudine, non armorum motione elati sunt, vt ferro conarentur asserere iustitiæ causam, sed hoc solum reminiscentes, se illum confiteri qui nec reclamando ad occisionem ductus est; & tanquam agnus non aperuit os suum, ipsi quoque tāquam grex Dominicarum ouium, lamari se tanquā ab irruentibus lupis passi sunt.* Valens impiè & crudeliter sæuiit in eos qui secundùm sacras literas, & Patrum traditionem ὁμούσιον profitebantur, quorum quamuis maxima multitudo nunquam se armis tutata est. Certè vbi patientia nobis præscribitur, sæpe adduci videmus, & à Thebæis militibus adductum iam audiuimus Christi exemplum, vt nobis imitandum, cuius patientia ad mortē se extendit. quòd maximè locū habere debet, vbi pro vera religione ad mortē poscimur. Qui enim ita animam perdit, is verè eam acqui-

1. Pet. II. 21.

Matth. X. 39.

Luc. XIII. 33. acquisiuisse à Christo pronuntiatur. Quod si etiam concedere volumus consilij ista esse non præcepti, tutius tamen est apud Deum hanc partem eligere, cum veteres illi Christiani, etiam cum fugere, aut tacere liceret, sæpe se tam honestæ morti obtulerint cum certa fiducia, qui ita fidem suam testarentur, his & peccata omnia condonari, & gloriam qualis post resurrectionem expectatur, aliquatenus repræsentari, & præmia in posterum ingentia promitti. Diximus summum imperium tenentibus resisti iure non posse. Nunc quædam sunt quæ lectorem monere debemus, ne putet in hanc legem delinquere eos qui reuera non delinquunt.

VIII. Primũ ergo, qui principes sub populo sunt, siue ab initio talem acceperunt potestatem, siue postea ita conuenit, vt Lacedæmone, si peccent in leges ac rempublicam, non tantum vi repelli possunt, sed, si opus sit, puniri morte: quod Pausaniæ regi Lacedæmoniorum contigit.

IX. Secundo, si rex, aut alius quis imperium abdicauit, aut manifestè habet pro derelicto, in eum post id tempus omnia licent quæ in priuatum. Sed minimè pro derelicto habere rem censendus est, qui eam tractat negligentius.

Lib. IV. c. 16. X Tertio existimat Barclaius, si rex regnum alienet, aut alij subijciat, amitti ab eo regnum. Ego hîc subsisto. Nam talis actus, si regnum electione aut successoria lege deferatur, nullus est: quæ autem nulla sunt, nullum habent iuris effectum. Vnde & de vsufructuario, cui regem talem similem diximus, verior mihi videtur Iurisconsultorum sententia, si extraneo ius suum cedat, nihil eum agere. Et quod dicitur ad dominum proprietatis reuerti vsumfructum, intelligendum legitimo tempore. Si tamen rex reipsa etiam tradere

Iust. de vsuf. §. fruitur. L. vsusfructus. D. de iure dotium.

regnum

regnum aut subijcere moliatur, quin ei resisti in hoc possit, non dubito. Aliud est enim, vt diximus, imperiū; aliud habendi modus, qui ne mutetur obstare potest populus: id enim sub imperio comprehensum nō est. quo non male aptes illud Senecæ in re nō dissimili: *Et si parendum in omnibus patri, in eo non parendum quo efficitur ne pater sit.* *Lib. III. Controu.*

XI. Quarto, ait idem Barclaius amitti regnum, si rex vere hostili animo in totius populi exitium feratur. quod concedo. consistere enim simul non possunt voluntas imperandi, & voluntas perdendi. quare qui se hostem populi totius profitetur, is eo ipso abdicat regnum. sed vix videtur id accidere posse in rege mentis compote, qui vni populo imperet. Quod si pluribus populis imperet, accidere potest, vt vnius populi in gratiam alterum velit perditum, vt colonias ibi faciat.

XII. Quinto, si regnum committatur, siue ex felonia in eum cuius feudum est, siue exclausula posita in ipsa delatione imperij, vt, si hoc aut hoc rex faciat, subditi omni obedientiæ vinculo soluantur, tunc quoque rex in priuatam personam recidit.

XIII. Sexto, si rex partem habeat summi imperij, partem alteram populus aut senatus, regi in partem non suam inuolanti, vis iusta opponi poterit, quia eatenus imperium non habet. Quod locum habere censeo, etiamsi dictum sit, belli potestatem penes regem fore. id enim de bello externo intelligendum est: cum alioqui quisquis imperij summi partem habeat, non possit non ius habere, eam partem tuendi. quod vbi fit, potest rex etiam suam imperij partem belli iure amittere.

XIV. Septimo, si in delatione imperij dictum sit, vt certo euentu resisti regi possit, etiamsi eo pacto pars

imperii retenta censeri non possit, certè retenta est aliqua libertas naturalis, & exempta regio imperio. Potest autem qui ius suum alienat, id ius pactis imminuere.

XV. Vidimus de eo qui ius imperandi habet aut habuit. Restat vt de inuasore imperii videamus, non postquam longa possessione, aut pacto ius nactus est, sed quamdiu durat iniustè possidendi causa. Et quidem dum possidet, actus imperii quos exercet, vim habere possunt obligandi, non ex ipsius iure quod nullum est, sed ex eo quòd omnino probabile sit eum qui ius imperandi habet, siue is est populus ipse, siue rex, siue senatus, id malle, interim rata esse quæ imperat, quàm legibus iudiciisque sublatis summâ induci confusionem. Improbabat Cicero Syllanas leges, vt crudeles in proscriptorum liberos, ne honores petere possent. Seruandas tamẽ censuit, affirmans (vt nos docet Quintilianus) ita his legibus contineri statum ciuitatis, vt his solutis ipsa stare non posset. In his tamen quæ ita necessaria non sunt, & pertinent ad raptorem in iniquâ possessione firmandum, si sine graui periculo potest non pareri, parendum non est. Sed an talem raptorem imperii vi deijcere, aut denique occidere liceat, quæritur.

Vict. de potest. ciu. n. 23. Suarez de legibus lib. III. c. 10. n. 9. Lessius de iust. & iure. lib. II. c. 29. dub. 5. n. 73.

Lib. XI. c. 1.

XVI. Ac primùm si bello iniusto, & cui iuris gentium requisita non adsint, imperium arripuerit, neque pactio vlla sequuta sit, aut fides illi data, sed sola vi retineatur possessio; videtur manere belli ius, ac proinde in eum licere quod in hostem licet, qui à quolibet etiam priuato iure potest interfici. *In reos maiestatis*, inquit Tertullianus, *& publicos hostes omnis homo miles est.* Sic & aduersus militiæ desertores, cunctis ius pro quiete communi exercendæ publicæ vltionis indultum est.

Apolog. C. quando licet vnicuique, &c.

XVII. Idem

XVII. Idem cum Plutarcho, qui ita sentit libro de fato ad Pisonem, statuendum censeo, si ante inuasionem lex publica extiterit, quæ vnicuique potestatem faciat occidendi eum qui hoc aut illud quod in aspectum cadit, ausus fuerit; putà qui priuatus satellitium sibi circumdederit, arcem inuaserit; qui ciuem indemnatum, aut non legitimo iudicio necauerit; qui magistratus sine iustis suffragiis creauerit. Tales leges multæ extabant in Græciæ ciuitatibus, vbi proinde iusta censenda fuit talium tyrannorum interfectio. Vt & Romæ lege Valeria siquis iniussu populi magistratum gereret.

XVIII. Nec minus licebit inuasorem imperii interficere, si diserta auctoritas accedat eius, qui ius verum imperandi habet, siue is rex est, siue senatus, siue populus. His annumerandi & regum puerorum tutores, qualis Ioaso erat Ioiada, cum Athaliam regno depelleret. *II. Paralip. XXIII.*

XIX. Extra hæc vt priuato vi deiicere aut interficere liceat summi imperii inuasorem, probare nō possum: Quia fieri potest, vt is qui ius habet imperii, malit inuasorem in possessione relinqui, quàm periculosis & cruentis motibus occasionem dari, qui plerunque sequi solent iis violatis aut interfectis, qui validam habent factionem in populo, aut externos etiam amicos. Certè an rem in id periculum adduci velit rex aut populus, incertum est, quorum sine cognita voluntate vis iusta esse non potest. Fauorinus dicebat, χεῖρον εἶναι μοναρχίας ἀνόμου πόλεμον ἐμφύλιον, *peius esse bellum ciuile dominatu illegitimo*: Et Cicero, *Mihi pax omnis cum ciuibus bello ciuili vtilior videtur*. Profectò grauissima cum sit deliberatio, libertas an pax placeat, vt Tacitus loquitur, & difficillimum hoc σκέμμα πολιτικὸν Ciceroni: Εἰ τυραννουμένης τῆς πατρίδος παντὶ ἔστιν τυραννίδος κατάλυσιν πειρᾶσθαι. *Lib. IX. ad Att. Ep. 4.*

τέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύειν: *An cum patria illegitimo imperio premitur, omnimodo danda sit opera eius demendi, etiamsi ciuitas eam ob rem in summum discrimen adducenda sit:* non debent singuli quod populi commune est iudicium ad se rapere. Illud verò planè iniquum:

Detrahimus dominos vrbi seruire paratæ.

App. ciu. 1. Sicut Sylla interrogatus quid ita armatus patriam peteret, respondit, ἐλευθερώσων ἀπὸ τῶν τυραννούντων, *vt eam à tyrannis liberem.* Melius Plato epistolâ ad Perdiccam suadet, cuius verba Latinè sic posuit Cicero: *Tantum contendere in republica, quantum probare tuis ciuibus possis vim neque parenti, neque patriæ afferri oportere.* Qui sensus & apud Sallustium extat: *Nam vi quidem regere patriam aut parentes, quanquam & possis & delicta corrigas, tamen importunum est, cùm præsertim omnes rerum mutationes cædem, fugam, aliaq; hostilia portendant.* Huc & Ambrosii illud non male referas: *Adiuuat hoc quoque ad profectum bonæ existimationis, si de potentis manibus eripias inopem, de morte damnatum eruas, quantum sine confusione fieri potest; ne videamur iactātiæ magis facere causa quàm misericordiæ & grauiora inferre vulnera, dū minoribus mederi desideramus.* Thomas seditiosam esse dicit interdum quamuis tyrannici regiminis destructionem. Non debet mouere nos in contrariam sententiam factum Aodis in Eglonem regem Moabitarum. Nam apertè testatur sacra auctoritas, huncà Deo ipso vindicem suscitatum, mandatu scilicet speciali. Neque verò constat hunc Moabitarum regem nullum ius imperandi ex pactione habuisse. Nam & in alios reges Deus per quos volebat ministros sua iudicia exsequebatur, vt per Iehun in Ioramum.

Epist. fam. lib. 1. *Bello Iug.* *Deoff. 11. c. 2.* *2. 2. q. 42. art. 2.* *Iud III. 15.* *Nehe. IX. 27.* *II. Reg. IX.*

XX. Maximè autem in re controuersa iudicium sibi priuatus sumere non debet, sed possessionem sequi. Sic tributum solui Cæsari Christus iubebat, quia eius

Matth. XXII. 20.

eius imaginē nummus præferebat, id est, quia in possessione erat imperii.

CAP. V.

Qui bellum licitè gerant.

I. *Belli causas effectrices alias esse principales in sua re.*
II. *Aut in aliena:*
III. *Alias instrumentales, vt seruos & subditos.*
IV. *Naturæ iure neminem à bello prohiberi.*

VT in aliis rebus, ita & in voluntatis actionibus tria esse solent efficientium genera, principales, adiuuantes, & instrumenta. Causa effectrix principalis in bello plerumque est is cuius res agitur: in priuato priuatus: in publico potestas publica, maximè summa. An & pro aliis nihil mouentibus bellum moueri ab alio possit, alibi videbimus. Illud interim tenebimus, naturaliter quemque sui iuris esse vindicem. ideo manus nobis datæ.

II. Sed & alteri prodesse quo possimus non licitum modò, sed & honestum est. Rectè qui de officiis scripserunt, aiunt, nihil esse homini vtilius homine altero. Sunt autem diuersa hominū inter se vincula, quę ad mutuam opem inuitant: nam & cognati ad opem ferendam coeunt, & vicini inclamātur, & qui eiusdem ciuitatis sunt participes; vnde illud, *Porro Quirites*, & *quiritari*. Aristoteles dixit oportere quemque, aut pro se arma sumere, si iniuriam acceperit, aut pro cognatis, aut pro benefactoribus, aut sociis iniuriâ affectis auxilia ferre. Et Solon docuerat beatas fore respublicas in quibus alienas iniurias quisque suas existimaret. Sed vt cætera desint vincula, sufficit humanæ na-

L. seruus. ff. de seruis export. Cic. lib. 11. off. ex Panætio. DD. ad l. Si quis in seruitutem. D. de fur. l. prohibemus. C. de iure fisci. Rhet. ad Alex. c. 3.

Bart in l. Vt vim. D. de iust. & iure. num. 7 & 8. Ias. ib. n. 29. Cast. ad l. 1. §. ius gent. eod. Bart ad l. hostes. ff. de capt. n. 9. Innoc. ad c. sicut. de iureiur. & in c. olim. de rest. spol. n. 16. Panorm. n. 18. Sylvest. in verbo Bellum, q. 8.

næ naturæ communio. Ab homine enim nihil humani alienum est. Menandri dictum est:

Iniuriarum si improbis auctoribus
Reponeremus vltionem singuli,
Nobis putantes fieri quod fit alteri,
Inter nos iuncti conspiratis viribus,
Non præualeret innocentiæ impetus
Audax malorum, qui custoditi vndique
Iussiq; pœnas quas merentur pendere,
Aut nulli penitus essent, aut pauci admodum.

Democriti verò hoc: Α' δικουμένοισι πρωρεῖν κατὰ δύναμιν καὶ παρίναι· τὸ μὲν γὰρ πρέπον δίκαιον καὶ ἀγαθόν. *Iniuriâ oppressos defendere pro viribus oportet, & non negligere: illud enim iustum bonumq; est.*

III. Instrumenta cùm dicimus, non arma hîc intelligimus, & si quæ sunt his similia, sed eos qui ita agunt sua voluntate, vt ea voluntas ab altera pendeat. Tale instrumentum est patri filius, pars quippe eius naturaliter: tale & seruus, quasi pars ex lege. nam sicut pars non tantùm pars est totius eadem relatione, qua totum est totum partis, sed hoc ipsum quod est totius est: ita possessio est aliquid ipsius possidentis. Democritus: Οἰκέτησιν ὡς μέρεσι τοῦ σκλώεος χρῶ ἄλλῳ πρὸς ἄλλο. *Famulis tanquam partibus corporis aliis ad aliud vtere.* Quale autem in familia est seruus, tale in republica est subditus, ac proinde instrumentum imperantis.

L. cùm sumus. C. de agricol. lib. XI. Arist. lib. V. de morib. c. 10. d. Gracchus. C. de adult. Sen. 1. sent. 4.

IV. Nec dubium quin naturaliter omnes subditi bello adhiberi possint, sed quosdam specialis lex arcet, vt olim Romæ seruos, nunc passim clericos: quæ tamè lex, vt omnes eius generis, cum summæ necessitatis exceptione intelligenda est. Et hæc quidem generaliter de adiutoribus & subditis dicta sunto: nam quæ specialia sunt, suis locis tractabuntur.

Tho. 2. 2. 40. art. 2. Sylu. de bello, p. 3.

HVGO-

HVGONIS GROTII DE IVRE BELLI AC PACIS

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De belli causis, & primùm de defensione sui & rerum.

I. *Causæ belli iustificæ quæ dicantur:*
II. *Eas oriri ex defensione, exactione eius quod nostrum est, aut nobis debetur, aut ex pœna.*
III. *Pro vita defendenda bellum esse licitum:*
IV. *Contra aggressorem solùm:*
V. *In periculo præsente & certo, non opinabili:*
VI. *Item pro integritate membrorum:*
VII. *Maximè pro pudicitia.*
VIII. *Licitè omitti defensionem.*
IX. *Defensionem illicitam esse interdum aduersus personam publicè valde vtilem, ob legem dilectionis.*
X. *Interfectionem Christianis non esse licitam ad arcendam alapam, aut contumeliam similem, aut ne fugiatur.*
XI. *Pro rebus defendendis interfectionem non esse illicitam iure naturæ:*

XII. *Qua-*

XII. *Quatenus ea permissa sit lege Mosis:*

XIII. *An & quatenus Euangelica lege permissa sit.*

XIV. *An lex ciuilis interfici aliquem defensionis causa permittens ius det, an solam impunitatem, cum distinctione explicatur.*

XV. *Quando licita esse poßit singularis dimicatio.*

XVI. *De defensione in bello publico:*

XVII. *Eam non licitam ad imminuendam duntaxat potentiam vicini:*

XVIII. *Nec in eo qui iustam bello causam dedit.*

VENIAMVS ad causas bellorum: iustificas intelligo: nam sunt & aliæ quæ mouent sub ratione vtilis, distinctæ interdum ab iis quę mouent sub ratione iusti: quas inter se, & à belli principiis, quale erat ceruus in bello Turni & Æneæ, accuratè distinguit Polybius. At quanquam manifestum est harum rerum discrimen, voces tamen confundi solent. Nam quas causas dicimus iustificas, etiam principia dixit Liuius in Rhodiorum oratione: *Certè quidem vos estis Romani, qui ideo felicia esse bella vestra, quia iusta sint, præ vobis fertis, nec tam exitu eorum, quòd vincatis, quàm principiis, quòd non sine causa suscipiatis, gloriamini.* Hæ iustificæ causæ propriè nostri sunt argumenti, ad quas illud pertinet Coriolani apud Halicarnassensem: πρῶτον ὑμῖν παραινῶ σκοπεῖν, ὅπως εὐσεβῆ καὶ δικαίαν πορίσητε τοῦ πολέμου πρόφασιν. *Id primùm vobis curandum arbitror, vt piam & iustam accipiatis belli causam.* Et hoc Demosthenis: ὥσπερ οἰκίας, οἶμαι. καὶ πλοίου, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων τὰ κάτωθεν ἰσχυρότατα εἶναι δεῖ, οὕτω, καὶ πράξεων τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰς ὑποθέσεις ἀληθεῖς, τοῦ δικαίας εἶναι προσήκει. *Sicut in domibus & nauigiis rebusq; similibus quæ substernuntur firmißima esse oportet, ita in actionibus causas ac fundamenta oportet iusto ac vero congruere.* Et illud Ciceronis: *Illa bella*

III. Hist.

Lib. XLV.

Lib. VIII.

Olynth. II.

De rep. lib. III.

bella iniusta sunt, quæ sunt sine causa suscepta. Quod non minus de bellis publicis quàm priuatis verum est. Hinc illa Senecæ querela: *Homicidia compescimus & singulas cædes: quid bella & occisarum gentium gloriosum scelus? Non auaritia, non crudelitas modum nouit. Ex Senatusconsultis plebisq; scitis sæua exercentur, & publicè iubentur vetita priuatim.* Habent quidē bella publica auctoritate suscepta aliquos effectus iuris, vt & sententiæ: de quibus agendum infrà erit: Sed non eo magis peccato vacant, ni causa subsit; vt meritò Alexander, si sine causa in Persas bellum arripuit, Senecæ latro, Lucano prædo appelletur, & à pirata quondam tractus sit in criminis societatē. Causa iusta belli suscipiendi nulla esse alia potest, nisi iniuria. *Iniquitas partis aduersæ iusta bella ingerit,* inquit Augustinus, vbi iniquitatem dixit pro iniuria, quasi ἀδικίαν dixisset, cùm vellet dicere ἀδίκημα. Sic in Romano Feciali carmine: *Ego vos testor, populum illum iniustum esse, neq; ius persoluere.*

Ep. XCVI.

De Ciuitat. IV.

Sylu. de bello p. 1. n. 2.

II. Ac planè quot actionum forensium sunt fontes, totidem sunt belli: nam vbi iudicia deficiunt, incipit bellum. Dantur autem actiones aut ob iniuriam non factam, aut ob factam. Ob non factam, vt qua petitur cautio de non offendendo, item damni infecti, & interdicta alia ne vis fiat. Factam, aut vt reparetur, aut vt puniatur. Quod reparandum venit, aut spectat id quod nostrum est vel fuit, vnde vindicationes & condictiones quædam; aut id quod nobis debetur siue ex pactione, siue ex maleficio, siue ex lege, quo referenda quæ ex quasi contractu & quasi maleficio dicuntur, ex quibus capitibus nascuntur condictiones cæteræ. Factum vt puniendum parit accusationem & iudicia publica. Plerique bellorum tres statuunt causas iustas, defensionem, recuperationem rerum, & punitionem: quæ tria in Camilli ad Gallos denuntiatione

Baldus ad l. 2. C. de seruit. & aqu. n. 71. Wilhel. Matth. de bello iusto & licito.

Liu. lib. V. tione inuenias: *Omnia quæ defendi, repetique & vlciſci ſas ſit*: in qua enumeratione niſi vox recuperandi ſumatur laxius, omiſſa eſt perſecutio eius quod nobis debetur; *Alcib.* quam non omiſit Plato, cum dixit bella geri non modò ſi quis vi opprimatur, aut expiletur, verum etiam *Lib. III. de benef. c. 14.* ſi deceptus fuerit. Quicum illud Senecæ conuenit: *Aequiſſima vox eſt & ius gentium præ ſe ferens: Redde quod debes.* Et in Fecialium formula erat: *Quas res nec dederunt, nec ſoluerunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri, ſolui oportuit.* Auguſtinus cum dixit: *Iuſta bella definiri ſolent, quæ vlciſcuntur iniurias*: vocem vlciſcendi generalius ſumpſit pro eo quod eſt demere: quod & ſequentia oſtendunt in quibus non eſt enumeratio partium, ſed exemplorum additio: *Sic gens & ciuitas petenda eſt, quæ vel vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere quod per iniurias ablatum eſt.* Prima igitur cauſa iuſti belli eſt iniuria nondum facta, quæ petit aut corpus, aut rem.

Liu. lib. I. Lib. VI. quæſt. 10. ſuper Ioſue.

Sylu. in verbo Bellum. p. 1. n. 3. & p. 2. Bart. ad l. vt vim. D. de iuſtit. & iure. Bal. in rep. l. 1. C. vnde vi. Bannes 2. 2. quæſt. 10. art. 10. dub. vlt. Soto lib. IV. diſp. 5. art. 10. Valentia 2. 2. diſp. 5. quæſtio. 10. p. 7. Card. quæſt. 33. lib. 1. Tetr. Nau. lib. 11. c. 3. n. 147.

III. Si corpus impetatur vi præſente cum periculo vitæ non aliter vitabili, tunc bellum eſſe licitum etiam cum interfectione periculum inferētis antè diximus, cum ex hac ſpecie, vt maximè probata, oſtendimus bellum aliquod putatum iuſtum eſſe poſſe. Notandum eſt ius hoc defenſionis per ſe ac primariò naſci ex eo quod natura quemque ſibi commendat, non ex iniuſtitia aut peccato alterius vnde periculum eſt. Quare etiamſi ille peccato careat, putà quòd bona fide militet, aut alium me putet quàm ſim, aut quòd inſania aut inſomniis agitetur, vt euenisſe quibuſdam legimus, non eo tolletur ius ſe tuendi; cum ſufficiat quòd ego non teneor id quod ille intentat pati, non magis quàm ſi beſtia aliena periculum intentaret.

IV. An & innocentes, qui interpoſiti defenſionem aut fugam, ſine qua euadi mors nō poteſt, impediunt, tranſ-

transfodi aut obteri possint, disputatur. Sunt qui licere id putant, etiam Theologi, præsertim si ius solum propriè dictum, non etiam caritatis præcepta respiciantur. Mihi semper probabilior visa est contraria sententia, quæ & Paulo Iurisconsulto placuit: *Si mei defendendi causa*, ait, *lapidem in aduersarium misero, sed non eum, sed prætereuntem percussero, tenebor lege Aquilia: illum enim solum qui vim infert ferire conceditur.* Culpa certè quam Aquilia respicit est contra ius strictè dictum. Bene autem dictum est à Thoma, si rectè accipiatur, in vera defensione hominem non occidi ex intentione; non quòd non interdum, si alia salutis non suppetat ratio, non liceat destinatò id facere vnde mors aggressoris sit secutura, sed quòd hîc mors illa nō eligatur vt quiddam primariò intentum, sicut in punitione iudiciali, sed vt vnicum quod eo tempore suppetit; cùm is qui impetitus iam est, etiam illo tempore malle debeat tale aliquid facere quo alter absterreatur, aut debilitetur, quàm quo intereat.

Caiet. 2.2. art. 67. qu. 2

L. Scientiã. §. qui cum. D. ad L. Aquiliam.

2.2. quæst. 64. art. 1.

V. Periculum præsens hîc requiritur, & quasi in puncto. Fateor quidem si insultator arma arripiat, & quidem ita vt appareat eum id facere occidendi animo, occupari posse facinus. nam in moralibus, vt & in naturalibus punctum non inuenitur sine aliqua latitudine: sed multum falluntur & fallunt qui metum qualemcunque ad ius occupandæ interfectionis admittunt. Verè enim dictū est à Cicerone, primo de officiis, plurimas iniurias à metu proficisci, cùm is q nocere alteri cogitat timet, ne nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incōmodo. Insignis est illa apud Gelliū sententia. *Gladiatori composito ad pugnandum, pugnæ hæc proposita sors est, aut occidere si occupauerit, aut occumbere si cessauerit. Hominum autem vita, non tam iniquis neque tam indomitis necessitatibus circumscripta est, vt idcirco prior iniuriã facere*

debeas; quam nisi feceris, pati possis. Et apud Ciceronem alio loco non minùs rectè: *Quis hoc statuit vnquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, vt eum iure potuerit occidere à quo metuisse se dicat, ne ipse posteriùs occideretur?* Locum hîc habet illud Euripidis:

Εἰ γάρσ' ἔμελεν ὡς σὺ φῂς κτεῖνεν πόσις;
Χρὴ καί σε μέλειν, ὡς χρόνος δῆθεν παρῶ.
Te si, vt ais, interficere vir voluit tuus,
Voluisse sat erat & tibi, vbi tempus foret.

Lib. I. Cui geminum est Thucydideum illud: Τὸ μέλλον δὲ ἀφανεῖ ἔτι κεῖται, καὶ οὐκ ἄξιον ἐπαρθέντας αὐτοῦ φανερὸν ἔχθραν ἤδη καὶ ὃ μέλλουσαν κτήσασθαι. *Futurum in incerto adhuc est: nec quenquam oportet eo commotum inimicitias suscipere, non iam futuras, sed certas.* Idem Thucydides quo loco mala seditionum quę Græcas ciuitates incesserant disertè explicat, ponit & hoc in vitio: ὁ φθάσας τὸν μέλλοντα κακόν τι δρᾶν ἐπῄνεῖτο. *laudabatur qui malum facinus quod facturus erat alter ipse occupasset.* Etiam Liuia apud Dionem ait infamiam eos nō effugere qui facinus quod timent occupant. Quòd si quis vim non iam præsentem intentet, sed coniurasse aut insidiari compertus sit, si venenum struere, si falsam accusationem, falsum testimonium, iniquum iudicium moliri, hunc nego iure posse interfici: si aut aliter euadi periculum potest, aut non certum satis est aliter euadi non posse. Plerumque enim interposita temporis mora ad multa remedia, ad multos etiā casus patet; vt dici solet inter os & offam. quanquam non desunt & Theologi & Iurisconsulti qui indulgentiam suam longiùs extendant. Sed & altera quæ melior tutiorque sententia est suis non caret auctoribus.

Lib. III.

Lib. LV.

Banner q. 64 art. 7. dub. 4. Bald. in l. multis. C. de lib. caus. & in l. 1. C. vnde vi. Less. lib. II. c. 9. dub. 8. Soto lib. V. qu. 1. art. 8.

VI. Quid dicemus de periculo mutilationis membri? Sanè cùm damnum membri, præsertim è præcipuis, valde sit graue, & vitæ quasi æquiparabile: adde quòd

de quòd vix sciri queat an non periculum mortis post se trahat, si aliter vitari nequeat, putem intentantem periculum occidi rectè posse.

VII. Pro pudicitia quinidem liceat, controuersiam vix habet, cùm non tantùm communis æstimatio, sed & lex diuina pudicitiam vitæ adæquet. Itaque Paulus Iurisconsultus dixit pudorem tali facinore rectè defendi. Exemplum habemus in tribuno Marij apud Ciceronem & Quintilianum: sed & fœminarum in historiis exstant. Chariclea apud Heliodorum talem interfectionem vocat ἀμύνης νόμου τῆς εἰς σωφροσύνην ὕβρεως, *iustam defensionem ad arcendam iniuriam in castitatem.* *Card. in Clem. si furiosus. de homicid. Couar. ib. parte 3. §. 1. n. 2. Syluest. in verbo Homicidium. 3. quæst. 4. Lib. 5. rec. sent. tit. 3.*

VIII. Quod autem diximus suprà, quanquam occidere parâtem occidere licet, laudabilius tamen eum facere qui occidi quàm occidere malit, id nonnulli ita concedunt, vt excipiant personam multis vtilem: Sed mihi hanc patientiæ contrariam legem omnibus illis imponere, quos viuere aliorum interest, parum tutum videtur. Itaque restringendum id arbitrer ad eos quorum officium est ab aliis vim arcere, quales sunt socii itineris ea lege contracti, & rectores publici, quibus illud Lucani aptari potest: *Soto d. q. 5. Silu. in verbo Bellum. p. 2. n. 5.*

Cùm tot ab hac anima populorum vita salusque
Pendeat, & tantus caput hoc sibi fecerit orbis,
Sæuitia est voluisse mori.

IX. Contrà verò euenire potest, vt quia inuasoris vita multis sit vtilis, occidi is sine peccato nequeat: nec id tantùm ex vi legis diuinæ, siue veteris siue nouæ, de quibus egimus suprà, cùm regis personam sanctam esse ostendimus, sed ipso etiam naturæ iure. Nam ius naturæ quatenus legem significat non ea tantum respicit quæ dictat iustitia quam expletricem diximus, sed aliarum quoque virtutum, vt temperantiæ, fortitu- *Soto d. loco.*

titudinis, prudentiæ actus in se continet, vt in certis circumstantiis, non honestos tantùm sed & debitos. Ad id verò quod diximus caritas nos obstringit. Nec ab hac sententia dimouet me Vasquius, cum ait principem qui innocentem insultet, desinere principem esse ipso facto: quo vix quicquam potuit dici aut minus verè aut magis periculosè. Nam sicut dominia, ita & imperia non amittuntur delinquendo nisi lex id statuat. Quæ autem hoc de imperiis statueret lex, vt delicto in priuatum amitterentur, nusquam reperta est, nec repertum iri credo: summam enim rerum confusionem induceret. Quod autem Vasquius & huic & aliis multis illationibus fundamentum ponit, imperia omnia parentium non imperantium vtilitatem spectare, id etiamsi verum vniuersim esset, ad rem non faceret. non enim statim res deficit, cuius vtilitas aliqua in parte deficit. Quod verò addit, reipublicæ incolumitatem à singulis propter se desiderari, atque ideo debere quemque etiam toti reipublicæ suam salutem anteponere, non satis cohæret. Nam nostri quidem causa rempublicam saluam esse volumus, sed non tantum nostri, verum & aliorum. Falsa enim & à sanioribus philosophis reiecta est opinio existimantium amicitiam ex sola indigentia natam, cum sponte & natura nostra ad eam feramur. Vt verò meo vnius bono multorum admodum bonum præferam, caritas monet sæpe, imperat interdum. Huc illud Senecæ pertinet: *Principes regesque & quicunque alio nomine sunt tutores status publici, non est mirũ amari vltra priuatas etiã necessitudines. Nam si sanis hominibus publica priuatis potiora sunt, sequitur vt is quoque carior sit in quem se respublica conuertit.* Ambrosius: *Sibi cùm quisque arbitretur gratius excid a patriæ depulisse, quàm prop ta pe- icula.* Is quem dixi Seneca: *Callistratus & Rutilius, hic Athenis, ille*

Lib. 1. contr. illust. 18.

Lib. 1. de Clem. c. 4.

De Off. III. c. 3.

Lib VI. de Benef. c. 37.

ille Romæ reddi sibi penates suos noluerunt clade communi: quia satius erat duos vnico malo affici, quàm omnes publico.

X. Sicui periculum immineat accipiẽdæ alapæ aut mali similis, huic quoque ius esse id arcendi cum cæde inimici sunt qui putant. Ego si mera iustitia expletrix respiciatur, non dissentio. Quanquam enim inæqualia sunt mors & alapa, tamen qui iniuria me parat afficere, is mihi eo ipso dat ius hoc est facultatem quãdam moralem aduersus se in infinitum, quatenus aliter malum illud à me arcere nequeo. Caritas quoque per se non videtur nos hîc obstringere in gratiam nocentis. At lex Euangelica omninotale factum illicitum reddidit: iubet enim Christus alapã accipi potius quàm aduersario noceatur, quanto magis occidi eum vetat alapæ effugiendæ causa? Quo exemplo monemur cauere à dicto Couarruuiæ, non pati humanã cognitionem iuris naturalis non ignaram quicquam naturali ratione permitti, quod apud Deum, qui ipsamet natura est, non sit idem permissum. Nam Deus, qui ita auctor est naturæ, vt & supra naturam agat liberè, ius habet nobis leges præscribendi etiam de his rebus quæ natura sua liberæ indefinitæque sunt: multoque magis vt debeatur id quod natura honestum est, etsi non debitum. Mirum autem est, cum Dei voluntas in Euangelio tam disertè appareat, inueniri Theologos, & Christianos Theologos, qui non modò cædem rectè putent admitti, vt alapa vitetur, sed & accepta alapa si qui eam impegit fugiat, ad honorem vt aiunt recuperandum: quod mihi à ratione & pietate valde alienum videtur. Nam honor est opinio de excellentia. at qui talem fert iniuriam, is patientem se excellẽter ostendit: atque ideo honorem auget magis quàm minuit. nec refert si quidam corrupto iudicio virtutem hanc in probrum conflictis nominibus traducant.

Soto d. loco. Nauarr. c. 15. n. 3. Syluest. in verbo Homicidium, 1. quæst. 5. Lud. Lopez cap. 62.

d §. 1.

Nauarr. c. 15. 4 Henr. de irregul. c. 11. Vict. de iure belli, n. 5.

peruersa enim illa iudicia nec rem nec rei æstimationem immutant. Nec Christiani veteres hoc tantum viderunt, sed & philosophi, qui dixerunt pusilli esse animi contumeliam ferre non posse, vt alibi ostendimus. Hinc etiam liquet quàm non probandum sit quod à plerisque est traditum, defensionem cum interfectione esse licitam, iure scilicet diuino (nam de solo naturæ iure quominus ita sit non disputo,) etiam si quis fugere sine periculo possit, quia fuga scilicet ignominiosa sit; in nobili pręsertim homine. atqui nulla hîc ignominia est, sed falsa quædam ignominiæ opinio, spernenda ab omnibus iis qui virtutem & sapientiam sectantur. qua in re gaudeo me assentientem habere inter Iurisconsultos Carolum Molinæum. Quod de alapa & fuga dixi, idem dictum volo de aliis rebus per quas vera existimatio non læditur. Quid si verò dicat aliquis de nobis quod creditum apud bonos existimationem nostram delibaret? Hunc quoque occidi posse sunt qui doceant: mendosè admodum & contra naturæ quoque ius. nam interfectio ista non est modus aptus ad tuendam existimationem.

Soto art. 8. d. quæst. 5. Dd. in l. vt vim, D. de iustit. & iure. & in l. 1. C. vnde vi. Vasq. d. c. 18. n. 13. 14. Sylu. in verbo Bellum, p. 2. n. 4.

In addit. ad Alex. cons. 119.

Petr. Nauarr. lib. 11. c. 3. n. 376.

XI. Veniamus ad iniurias quibus res nostræ impetuntur. Si expletricem iustitiam respicimus, non negabo ad res conseruandas raptorem, si ita opus sit, vel interfici posse: nam quæ inter rem & vitam est inæqualitas, ea fauore innocentis & raptoris odio compensatur, vt suprà diximus: vnde sequitur si id ius solum respiciamus, posse furem cum re fugientem, si aliter res recuperari nequeat, iaculo prosterni. Demosthenes oratione in Aristocratem: Εἶτ' οὐ δεινὸν, ὦ γῆ καὶ θεοὶ, καὶ φανερῶς παρὰ νόμον, οὐ μόνον παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον, ἀλλὰ καὶ παρὰ τὸν κοινὸν ἁπάντων ἀνθρώπων νόμον, τὸν ἄγοντα καὶ φέροντα βίᾳ τἀμὰ ἐν πολεμίου μοίρᾳ μὴ ἐξεῖναί μοι ἀμύνεσθαι; *Nonne hoc per Deos durum atque iniustum est, nec scriptis*

tantùm

tantùm legibus, sed & communi inter homines legi contrarium: vt non sinar vi vti aduersus eum qui hostiliter res meas rapiat? Nec obstat caritas per modum præcepti, lege diuina humanaque sepositа, nisi res sit quæ minimum valeat, ac proinde contemni mereatur. quam exceptionem recte nonnulli adiiciunt.

XII. Quis sensus sit legis Hebrææ videamus, cum qua congruit & lex Solonis vetus, quam Demosthenes aduersus Timocratem commemorat, & inde sumpta lex XII. Tabularum, & Platonis scitum nono de legibus. Nam omnes istæ leges in hoc conueniunt quòd furem nocturnum à diurno distinguunt. de ratione legis ambigitur. Quidam id vnum putant spectatum, quòd noctu discerni nequeat is qui venit fur sit, an sicarius, & ideo tanquam sicarium posse interfici. Alii discrimen in hoc positum existimant, quòd noctu, quia fur ignotus sit, res minùs videantur posse recuperari. Mihi legum conditores nec hoc, nec illud propriè videntur spectasse; sed hoc voluisse potius, directè rerum causa interfici neminem debere: quod fieret, exempli causa, si fugientem telo prosternerem, vt illo interemto rem meam reciperem: sed si ipse in periculum vitæ adducar, tunc mihi licere à me auertere periculum etiam cum periculo vitæ alienæ: nec obstare mihi quòd me in id discrimen adduxerim, dum rem meam cupio retinere aut occupatam extorquere, aut furem capere. nam in his omnibus nihil mihi posse imputari, qui versor in actu licito, nec cuiquam iniuriam faciam cum vtar meo iure. Discrimen ergo nocturni & diurni furis in hoc positum est, quòd noctu vix sit copia testium adhibendorum: atque ideo si occisus fur reperiatur, facilius credatur ei qui à se vitæ tuendæ causa dicat furem interemtum, repertum scilicet cum aliquo instrumento quo

Soto d. loco Matesilanus notab. 135. Iaſ. & Gom. Inſtit. de act. inpr. Couar. d §. 1. n. ibi. decimo. Leſſius dub. XI. num. 68. Couar. d. loco Auguſtinus citatus in c. ſi perfodiens. de Homicidio. Leſſius d. c. 9. dub. XI. n. 66.

to quo nocere posset. Id enim lex Hebræa requirit, agens de fure reperto במחתרת quod quidam transferunt *in perfossione*; alij, forte melius, *cum perfossorio instrumento*. Ducit nos ad hanc interpretationem lex duodecim Tabularum quę furem diurnum occidi vetat, addita exceptione, nisi se telo defenderit. Aduersus nocturnum igitur præsumptio est defendisse se telo. Teli autem nomine ferrum, fustis & lapis venit, vt ad hanc ipsam legem notatum à Caio est. Contra ab Vlpiano proditum est quod de fure nocturno dicitur, si quis eum occiderit, impune id ferre, id intelligendum ita demum locum habere, si parcere ei sine periculo suo non potuit, nimirum rem seruando. Est ergo, vt dixi, præsumptio pro eo qui furem noctu occidit: sed si forte testes adfuerint, ex quibus constet non fuisse eum qui furem occidit adductum in vitæ suæ periculum, iam præsumptio ista cessabit, ac proinde is qui occidit homicidij tenebitur. Accedit quod tam diu quam noctu lex duodecim Tabularum exegit, vt is qui furem deprehendisset, cum clamore id testificaretur, vt ex Caio discimus, nimirum vt si fieri posset, concursus eo fieret magistratuum aut vicinorum ad auxilium & testimonium. Quia vero concursus talis de die facilius habetur quam ne nocte, ideo de nocturno periculo asseueranti magis creditur. Cui simile est quod lex Hebræa puellæ de vi illata in agro vult credi, in vrbe non item, quia clamore concursum ciere potuit ac debuit. Ad superiora & hoc accedit, quod etiamsi cætera essent paria, tamen quæ nocte accidunt, minus explorari, & qualia quantaque sint cognosci possunt: eoque sunt terribiliora. Lex ergo tam Hebræa quam Romana id quod caritas suadet ciuibus suis præcepit, ne quem interficiant ideo dumtaxat quia rem furatur, sed vt id ita demum liceat

L. Si pignore. §. furem, D. de furtis.
L. furtum. D. ad leg. Corn. de sicariis.
L. Itaque. D. ad leg. Aquiliam.

si is qui rem suam seruare voluit ipse in discrimen venerit. Moses Maimonides notauit permissam priuato homini alterius interfectionem non aliter, nisi vt seruetur id quod est irreparabile, vt vita & pudicitia.

XIII. Quid vero iam de lege Euangelica dicemus: idem ab ea permitti quod permisit lex Mosis; an vt in aliis rebus perfectior est lege Mosis, ita hîc quoque plus eam à nobis exigere? Ego quin plus exigat, non dubito. Nam si tunicam & pallium deseri iubet Christus, & Paulus damnum aliquod iniustum tolerari potius quam litigari, quæ incruenta contentio est: quanto magis vult res etiam momenti maioris deseri potius quam interfici à nobis hominem Dei effigiem, eodem nobiscum sanguine ortum? Quare si res seruari potest, ita vt non videatur periculum esse faciendæ cædis, recte id quidem; sin aliter, omittenda res est: nisi forte talis aliqua res sit ex qua vita nostra & familiæ nostræ pendeat, quæque iudicio recuperari nequeat, forte quia fur sit incognitus, & spes sit aliqua sine cæde rem abituram. Et quanquam hodie omnes ferme tam Iurisconsulti quam Theologi doceant recte hominem à nobis interfici posse rerũ defendẽdarum causa, etiam extra eos fines in quibus lex Mosis & Romana id permittit; puta si fur iam re accepta fugiat; tamen quin ea quam protulimus sententia veterum Christianorum fuerit, non dubitamus: nec dubitauit Augustinus, cuius hæc verba sunt: *Quomodo apud diuinam prouidentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus quas contemni oportet humana cæde polluti sunt?* Nimirum in hac materia, vt in aliis multis, cum tempore laxata est disciplina, & paulatim interpretatio legis Euãgelicæ cœpit ad sæculi mores accommodari. Olim in clericis retineri solebat forma veteris instituti: tandem his quoque remissa est hoc nomine censura.

Soto d. art. Less. dub. XI. n. 74. Sylu. in verbo Bellum. 2. n. 38. Lib. 1. de lib. arb.

Pan. c. 2. de Homicidiis. Less. d. loco.

XIV. Quæ-

XIV. Quæritur à nonnullis, an non lex saltem ciuilis, vt ius habens vitæ ac necis, si quo casu permittat furem interfici à priuato, simul etiam præstet, vt id ab omni culpa sit liberum. Minime vero id concedendum arbitror. Nam primum lex jus necis non habet in omnes ciues ex quouis delicto, sed demum ex delicto tam graui vt mortem mereatur. Est autem valde probabilis Scoti sententia, fas non esse quemquam ad mortem damnare nisi ob delicta quæ lex per Mosem data morte puniuit, addito duntaxat, aut quæ his sunt paria recta æstimatione. Neque enim videtur notitia diuinæ voluntatis, quę sola animum tranquillat, aliunde in hoc negotio tam graui haberi posse, quam ex illa lege, quę certe mortis pœnam in furem non cõstituit. Præterea vero lex nec debet, nec solet ius dare, etiam eos qui mortem meruerunt priuatim interficiendi, nisi in criminibus valde atrocibus: Alioqui frustra instituta esset iudiciorum auctoritas. Quare si quando lex impune furem dicit interfici, tollere quidem pœnam censenda est, sed non etiam ius dare.

XV Ex his quæ diximus apparet duobus modis posse contingere, vt à priuatis sine peccato suscipiatur singularis dimicatio: primum, si inuasor concedat alteri licentiam dimicandi, alioqui eum occisurus sine dimicatione: deinde, si rex aut magistratus duos mortem meritos inter se committat: quod si fiat, illis quidem licebit arripere spem salutis. at qui id iussit, is minus recte officio functus videbitur, cum satius fuisset, si vnius supplicium sufficere videbatur, sorte eligi morituram.

XVI. Quæ vero dicta à nobis huc vsque sunt de iure tuendi se ac sua, maxime quidem ad bellum priuatum pertinent, sed ita vt ad publicum quoque aptari debeant, habita diuersitatis ratione. Nam in priuato

bello

bello ius quasi momentaneum est, & cessat simulatq; iudicem adiri res patitur. At publicum quia non oritur nisi vbi non sunt aut cessant iudicia, tractum habet, & perpetuo fouetur accedentibus nouis damnis & iniuriis. Præterea in bello priuato defensio mera consideratur. at publicæ potestates cum defensione & vlciscendi habent ius: Vnde illis licet præuenire vim non præsentem, sed quæ de longo imminere videatur, non directè (id enim iniustum esse supra docuimus) sed indirecte vlciscendo delictum cœptum iam, sed non consummatum: de quo agendi erit alibi locus.

XVII. Illud vero minimè ferendum est quod quidam tradiderunt, iure gentium arma recte sumi ad imminuendam potentiam crescentem, quæ nimium aucta nocere posset. Fateor in consultationem de bello & hoc venire, non sub ratione iusti, sed sub ratione vtilis: vt si ex alia causa iustum sit bellum, ex hac causa prudenter quoque susceptum iudicetur: nec aliud dicunt qui in hanc rem citantur auctores. Sed vt vim pati posse ad vim inferendam ius tribuat, ab omni æquitatis ratione abhorret. Ita vita humana est, vt plena securitas nunquam nobis constet. Aduersus incertos metus à diuina prouidentia, & ab innoxia cautione, non à vi præsidium petendum est.

Alb. Gent. lib. 1. c. 14.

Bal. l. 3. de rer. diuis.

XVIII. Nec minus illud displicet, quod docent, iustam esse defensionem etiam eorum qui bellum promeriti sunt, quia scilicet pauci contenti sunt tantumdem reponere vindictæ, quantum acceperunt iniuriæ. Nam metus ille rei incertæ ius ad vim dare non potest: vnde nec reus criminis ius habet publicis ministris capere se volentibus per vim resistendi ob metum ne plus æquo puniatur. Sed qui in alium peccauit, debet primum ei quem læsit offerre satisfactionem

Alb. Gent. lib. 1. c. 13. Cast. l. 5. de Iustitia.

viri

viri boni arbitratu; ac tum demum pia erunt eius arma. Sic Ezechias cùm fœdere non stetisset quod cum rege Assyrio maiores eius pepigerant, bello petitus facetur culpam, & regi permittit arbitrium mulctæ: Idq; cum fecisset, & postea iterum bello lacesseretur, fretus bona conscientia vim hostium sustinuit, & Deum habuit fauentem.

II. Reg. XVIII. 7. 14. & cap. XIX.

CAP. II.

De his quæ hominibus communiter competunt.

I. *Eius quod nostrum est diuisio.*
II. *Proprietatis exordium & progressus.*
III. *Quædam propria fieri non posse, vt mare sumtum pro suo integro aut præcipuis partibus, & quare.*
IV. *Sola non occupata cedere singulis occupantibus, nisi per vniuersitatem à populo occupata sint.*
V. *Feras, pisces, aues cedere occupanti, nisi lex obstet.*
VI. *In res proprias factas ius hominibus competere eis vtendi in tempore necessitatis, & vnde id veniat:*
VII. *Obtinere id nisi necessitas aliter sit vitabilis:*
VIII. *Nisi par sit necessitas in possidente:*
IX. *Adiunctum esse onus restituendi rem, cùm restitui poterit:*
X. *Exemplum huius iuris in bellis.*
XI. *In res proprias factas ius hominibus competere ad vtilitatē qua nihil alteri decedit:*
XII. *Hinc ius in aquam profluentem:*
XIII. *Ius transeundi terrâ & amnibus, quod explicatur:*
XIV. *An mercibus transeuntibus vectigal possit imponi:*
XV. *Ius morandi ad tempus:*
XVI. *Ius habitandi his competens qui sedibus suis expulsi sunt, sub*

sub imperio quod reperitur:

XVII. Ius habendi loca deserta: quod quomodo intelligendum:

XVIII. Ius ad actus quos vita humana desiderat:

XIX. Vt ad emenda necessaria:

XX. Non etiam ad res suas vendendas:

XXI. Ad quærenda matrimonia: quod explicatur:

XXII. Ius ea faciendi quæ promiscuè extraneis permittuntur:

XXIII. Quod intelligendum si quid permittatur quasi ex iure naturali, non vt ex beneficio.

XXIV. An licitus sit contractus cum populo, vt is fruges suas eis quibuscum iam contraxit, non aliis vendat.

I. SEQVITVR inter belli causas iniuria facta, & primùm aduersus id quod nostrum est. Est autem nostrum aliud communi hominum iure, aliud nostro singulari. Ab eo quod hominibus commune est incipiamus. Hoc ius aut directè est in rem corporalem, aut ad actus aliquos. Res corporales aut vacuæ sunt à proprietate, aut iam aliquorum propriæ. Res quæ à proprietate vacant, aut tales sunt vt propriæ fieri nequeant, aut vt possint. Quò rectiùs hoc intelligatur, noscendum est proprietatis, quod dominium Iurisconsulti vocant, exordium.

II. Deus humano generi generaliter contulit ius in res huius inferioris naturæ statim à mundo condito, atque iterum mundo post diluuium reparato. Hinc factum vt statim quisque hominum ad suos vsus arripere posset quod vellet, & quæ consumi poterant cõsumere. Ac talis vsus vniuersalis iuris erat tum vice proprietatis. Nam quod quisque sic arripuerat, id ei eripere alter nisi per iniuriam non poterat. Neque is status durare non potuit, si aut in magna quadam simplicitate perstitissent homines, aut vixissent inter se in mutua quadam eximia caritate. Horum alterum, commu- *Gen. 1. 29. 30 IX. 2.*

communionem scilicet ex simplicitate eximia, videre licet in quibusdam Americæ populis, qui per secula multa sine incommodo in eo more perstiterunt: alterum vero, communionem nimirum ex caritate, exhibuerunt olim Essení, deinde Christiani qui Hierosolymis primi exstiterunt, ac nunc quoque non pauci qui vitam degunt ascetícam. Simplicitatis in qua primi homines sunt conditi argumentum præbuit nuditas. Erat in illis ignoratio magis vitiorum quam cognitio virtutis; vt de Scythis loquitur Trogus. Hæc simplicitas ἀφελοσοφία videtur dici sapienti Hebræo, Paulo Apostolo ἁπλότης, quam opponit τῇ πανουργίᾳ, vafræ calliditati. Negotium erat illis vnicum Dei cultus, cuius symbolum arbor vitæ, vt Hebræi veteres explicant, assentiente Apocalypsi. Viuebant autem facile ex his quæ sine industria sponte sua terra proferebat. Verum in vita hac simplice & innocente non perstiterunt homines, sed animum applicuerunt ad artes varias, quarum symbolum erat arbor scientiæ boni & mali, id est earum rerum quibus tum bene tum male vti licet: φρόνησιν μέσων vocat Philo. Huc respiciens Salomo; *Deus*, inquit, *creauit hominem rectum*, id est simplicem, *sed ipsi quæsiuerunt sibi cogitationes multas*. Antiquissimę artes agricultura & pastura in primis fratribus apparuerunt: non sine aliqua rerum distributione. ex studiorum diuersitate æmulatio, etiam cædes: ac tandem cum boni malorum consortio contaminarentur, vitæ genus giganteum, id est violentũ, quale est eorum quos χαροδικας Græci vocant. Mundo per diluuium purgato, pro ferina illa vita successit cupido voluptatis, cui inseruiit vinum, vnde & illiciti amores. Præcipue vero concordiam rupit genero sius vitium, ambitio, cuius signum turris Babylonica: mox alij alias terras partito possederunt. Sed

Iust. lib. II.

Sap. III. 24. II. Cor. XI. 3 Philo de Mund. cre. Apoc. XXII. 2.

Eccl. VII. 30.

Gen. X. XI.

postea

postea quoque inter homines vicinos mansit non pecorum, sed terrarum pascuarum communio; quia tanta erat in exiguo hominum numero latitudo terrarum, vt sine incommodo vllo ad multorum vsus sufficeret:

Ne signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat. Cic. Arat.

donec aucto vt hominum ita pecudum numero passim terræ non in gentes vt ante, sed in familias diuidi cœperunt. Puteos vero, rem in siticulosa regione valde necessariam, nec multis sufficientem, occupando quisque suos fecere. Hæc sunt quæ ex sacra historia docemur, satis conuenientia cum his quæ philosophi & poëtæ de primo statu rerum communium, & postea secuta rerum distributione dixerunt, quorum testimonia alibi à nobis producta sunt. Hinc discimus quæ fuerit causa ob quam à primæua communione rerum primo mobilium, deinde & immobilium discessum est: nimirum quòd cum non contenti homines vesci sponte natis, antra habitare, corpore aut nudo agere aut pellibus feratum vestito, vitæ genus exquisitius delegissent, industria opus fuit, quam singuli rebus singulis adhiberent. quominus autem fructus in commune conferrentur, primum obstitit locorum in quæ homines discesserunt, distantia, deinde iustitiæ & amoris defectus, per quem fiebat, vt nec in labore, nec in consumptione fructuum quæ debebat æqualitas seruaretur. Simul discimus quomodo res in proprietatem iuerint: non animi actu solo; neque enim scire alii poterant, quid alii suum esse vellent, vt eo abstinerent; & idem velle plures poterant: sed pacto quodam aut expresso, vt per diuisionem, aut tacito, vt per occupationem. simulatque enim communio displicuit, nec instituta est diuisio, censeri debet

Gen. XIII. Gen. XXI.

Mari libero cap. 5.

bet inter omnes conueniſſe, vt quod quiſq; occupaſ-
Cic. Off. III. ſet id proprium haberet. *Conceſſum*, inquit Cicero, *ſibi vt quiſque malit quod ad vitæ vſum pertinet quam alteri acquiri*
Dec. 13. *non repugnante natura.* Cui addendum illud Quintiliani: *Si hæc conditio eſt, vt quicquid in vſum hominis ceſſit, proprium ſit habentis, profecto quicquid iure poſſidetur, iniuria aufertur.*
Macr. Sat. III. c. 13. Et veteres cum Cererem legiferam, & ſacra eius Theſmophoria dixerunt, hoc ſignificabant, ex agrorum diuiſione exſtitiſſe noui cuiuſdam iuris originem.

III. His poſitis dicimus mare ſumptum aut ſub ratione integri, aut ſub ratione præcipuarum partium, in proprium ius abire non poſſe: quod quia de priuatis quidam concedunt, non de populis, probamus ex morali primum ratione; quia cauſa ob quam à communione diſceſſum eſt hîc ceſſat. Eſt enim tanta maris magnitudo, vt ad quemuis vſum omnibus populis ſufficiat, ad aquam hauriendam, ad piſcatum, ad nauigationem. Idem dicendum eſſet de aere, ſi quis eius vſus eſſe poſſet, ad quem terræ vſus non eſſet neceſſarius, vt eſt ad aucupia; vnde illa legem accipiunt ab eo qui in terra imperium habet. Nec aliud cenſendum de Syrtibus, vbi nihil eſt quod cultum ferat, & vſus vnicus petendarum inde arenarum exhauriri nequit. Eſt & naturalis ratio quæ mare conſideratum vt diximus, proprium fieri vetat: quia occupatio nō procedit
Lib. I. niſi in re terminata: vnde Thucydides terram vacuam vocat ἀόριστον. Liquida vero quia per ſe non terminan-
De Gen. lib. II. c. 2. tur (τὸ ὑγρὸν ἀόριστον οἰκείῳ ὅρῳ, inquit Ariſtoteles) occupari nequeunt, niſi vt contenta in re alia: quomodo lacus & ſtagna occupata ſunt, item flumina quia ripis tenentur. Mare vero terrâ non continetur, par terræ aut terrâ maius, vnde terram mari contineri veteres dixe-
Lib. II. c. 13. re. Sulpicius Apollinaris apud Gellium: *Quid poteſt dici citra Oceanum eſſe, cum vndique Oceanus circumſcribat omnes*

omnes terras, & ambiat? Mox: *Quum verò omnes terras omnifariam & vndequeuersum circumfluat, nihil citra eum est, sed vndarum illius ambitu terris omnibus conuallatis in medio eius sunt omnia quæ intra oras eius inclusa sunt.* In Senecæ suasoriis dicitur Oceanus totius orbis vinculum terrarumque custodia. Nec fingenda diuisio: nam cùm primùm terræ diuisæ sunt, incognitum erat mare sui maxima parte: atque ex eo nullus fingi modus potest quo gentes adeò dissitæ de diuisione conuenirent. Ideo quæ communia omnium fuerunt, & in prima diuisione diuisa non sunt; ea non iam diuisione, sed occupatione transeunt in ius proprium, nec diuiduntur nisi postquam propria esse cœperunt.

IV. Veniamus ad ea quæ propria fieri possunt, sed nondum facta sunt propria. Talia sunt loca multa inculta adhuc, insulæ in mari, feræ, pisces, aues. Sed duo notanda sunt: duplicem esse occupationem, vnam per vniuersitatem, alteram per fundos. prior solet fieri per populum, aut eum qui populo imperat: altera deinde per singulos, magis tamen assignatione quàm libera occupatione. Quòd si quid vniuersim occupatum in singulos dominos descriptum non est, non ideo vacuum censeri debet. manet enim in dominio primi occupatoris, putà populi aut regis. Talia esse solent flumina, lacus, stagna, siluæ, montes asperi.

V. De feris, piscibus, auibus illud notandum est, qui imperium habet in terras & aquas, eius lege impediri posse aliquos, ne feras, pisces, aues capere & capiendo acquirere eis liceat: atque hac lege teneri etiam exteros. Ratio est, quia ad gubernationem populi moraliter necessarium est, vt qui ei vel ad tempus se admiscent, quod fit intrando territorium, ii conformes se reddant eius populi institutis. Nec obstat quod sæpe in iure Romano legimus, iure naturæ aut

Couarr. c. peccatum. parte 11. §. 8.

Dd. in l. cũctos populos. C. de summ. Trinitate. Innoc. & Panorm. in c. à nobis 1. de sent. excomm.

Couarr. d. loco.

gentium liberum esse talia animalia venari: hoc enim verum est quamdiu lex ciuilis nulla intercedit; sicut lex Romana res multas relinquebat in illo primæuo statu, de quibus aliæ gentes aliud constituerunt. Cum autem lex ciuilis aliud constituit, eam obseruari debere ius ipsum naturæ dictat. Lex enim ciuilis quanquã nihil potest præcipere quod ius naturæ prohibet, aut prohibere quod præcipit, potest tamen libertatem naturalem circumscribere, & vetare quod naturaliter licebat, atque etiam ipsum dominium naturaliter acquirendum vi sua anteuertere.

VI. Videamus porro ecquod ius communiter hominibus competat in eas res quæ iam propriæ aliquorum factæ sunt. quod quæri mirum forte aliquis putet, cum proprietas videatur absorpsisse ius illud omne quod ex rerum communi statu nascebatur. Sed non ita est. Spectandum enim est quæ mens eorum fuerit qui primi dominia singularia introduxerunt: quæ credenda est talis fuisse, vt quàm minimum ab æquitate naturali recesserit. Nam si scriptæ etiam leges in eum sensum trahendæ sunt quatenus fieri potest, multo magis mores qui scriptorum vinculis non tenentur. Hinc primo sequitur in grauissima necessitate reuiuiscere ius illud pristinum rebus vtendi tanquam si communes mansissent; quia in omnibus legibus humanis, ac proinde & in lege dominij, summa illa necessitas videtur excepta. Hinc illud vt in nauigatione si quando defecerint cibaria quod quisque habet in commune conferri debeat. sic & defendendi mei causa vicini ædificium orto incendio dissipare possum: & funes aut retia discindere in quæ nauis mea impulsa est, si aliter explicari nequit. Quæ omnia lege ciuili non introducta, sed exposita sunt. Nam & inter Theologos recepta sententia est in tali necessitate, si quis

L. 2. §. Cum in eadem. D. ad l. Rhodiam.
L. Quo naufragiũ. §. Quod ait. D. de incendio.
L. Quemadmodum. §. Item. D. ad l. Aquiliam.
Th. 2. 2. 66. 7.

quis quod ad vitam suam necessarium est sumat aliunde, eum furtum non committere: cuius definitionis non hæc causa est, quam nonnulli adferunt, quòd rei dominus ex caritatis regula rem egenti dare tenetur, sed quòd res omnes in dominos distinctæ cum benigna quadam receptione primitiui iuris videantur. Nã si primi diuisores interrogati fuissent quid de ea re sentirent, respondissent quod dicimus. *Necessitas*, inquit pater Seneca, *magnum humanæ legis patrocinium omnem legem* (humanam scilicet, aut ad humanæ modum factã) *frangit*. *Couar. c. peccatum. p. 2. §. 1. Soto lib. V. q. 3. art. 4.*

VII. Sed cautiones adhibendæ sunt ne euagetur hæc licentia: quarum prima sit: omni modo primùm tentandum, an alia ratione necessitas euadi possit, putà adeundo magistratum; aut etiam an rei vsus à domino possit precibus obtineri. *Less. lib. II. c. 12. dub. 12. n. 70.*

VIII. Secundò, non concedendum hoc ius si pari necessitate ipse possessor teneatur. nam in pari causa possidentis melior est conditio. *Stultus non est*, ait Lactantius, *qui tabula naufragum, ne salutis quidẽ propriæ causa, nec equo saucium deiecerit: quia se abstinuit à nocendo, quod est peccatum; & hoc peccatum vitare sit sapientia.* *Lib. V. c. 16.*

IX. Tertiò, vbi fieri poterit faciendam restitutionem. Sunt quidam qui aliter censent, hoc argumento quòd qui iure suo vsus est ad restitutionem non obligetur. Sed verius est ius hîc non fuisse plenum, sed restrictum cum onere restituendi vbi necessitas cessaret. Tale enim ius sufficit ad seruandam naturalem æquitatem contra rigorem dominii. *Adr. quod lib. 1. art. 2. col. 3. Couarr. dicto loco.*

X. Hinc colligere est quomodo ei qui bellum piũ gerit, liceat locum occupare qui situs sit in solo pacato: nimirum si non imaginarium, sed certum sit periculum, ne hostis eum locum inuadat, & inde irreparabilia damna det: deinde si nihil sumatur quod non

ad cautionem sit necessarium, putà nuda loci custodia, relicta domino vero iurisdictione & fructibus: postremò, si id fiat animo reddendæ custodiæ simul atque necessitas illa cessauerit. *Emma aut malo aut necessario facinore retenta*, ait Liuius: quia malum hîc quicquid vel minimùm abit à necessitate. Primum ergo quod post dominia ex veteri communione restat, ius est id quod iam diximus necessitatis.

XI. Alterum est vtilitatis innoxiæ. *Quidni enim*, inquit Cicero, *quando sine detrimento suo potest, alteri communicet, in iis quæ sunt accipienti vtilia, danti non molesta?* Ideo Seneca beneficium negat dici posse ignis accendendi potestatem.

De Offic. 1.

IV. De Benefic.

XII. Sic flumen, quà flumen dicitur, proprium est populi cuius intra fines fluit, vel eius cuius in ditione est populus: atque ei licet molem in flumen iniicere; quæ in flumine nascuntur eius sunt. At idem flumen, quà aqua profluens vocatur, commune mansit, nimirum vt bibi hauriríque possit.

L. quædam. D. de rer. diuis.

Quis vetet apposito lumen de lumine sumi;
Atque cauum vastas in mare seruet aquas?

inquit Ouidius: apud quem & Lycios Latona sic alloquitur:

Quid prohibetis aquas? vsus communis aquarum est:

vbi & vndas vocat munera publica, id est hominibus communia, vocis publicæ acceptione minus propria: quo sensu res quædam publicæ iuris gentium dicuntur. Virgilius vndam eodem sensu dixit cunctis patentem.

XIII. Sic & terræ & flumina & si qua pars maris in proprietatem populi alicuius venit, patere debet his qui transitu opus habent ad causas iustas; putà quia suis finibus expulsi quærunt terras vacuas, aut quia commercium expetunt cum gente sepositâ, aut etiam

Bal. III. consil. 293.

quia

quiā quod ſuum eſt iuſto bello petunt. Ratio hîc eadem quæ ſuprà, quia dominium introduci potuit cum receptione talis vſus qui prodeſt his, illis non nocet: ideoque dominii auctores id potiùs cenſendi ſunt voluiſſe. Exemplum habemus inſigne in Moſis hiſtoria, qui cùm tranſeundum haberet per alienos fines, primùm Idumæo, deinde Emoræo, has tulit leges, iturũ ſe viâ regiâ, nec deflexurum ad poſſeſſiones priuatas. Si qua re ipſorum haberet opus, iuſtum pretium eis perſoluturum. Quæ conditiones cùm repudiarentur, iuſtum eo nomine bellum intulit Emoræo. *Innoxius enim tranſitus denegabatur*, inquit Auguſtinus, *qui iure humanæ ſocietatis æquiſſimo patere debebat*. Neque rectè excipiet aliquis metuere ſe multitudinem tranſeuntium. Ius enim meum metu tuo non tollitur: eoque minùs, quia ſunt rationes cauendi, vt ſi diuiſis manibus tranſmittantur copiæ, ſi inermes, quod Agrippinenſes Germanis dicebant: ſi impensâ tranſeuntis is qui tranſitũ concedit ſibi præſidia idonea conducat. Sic etiam metus ab eo in quem bellum iuſtum mouet is qui tranſit, ad negandum tranſitum non valet. Neque magis admittendum ſi dicas, & aliâ poſſe tranſiri: tantundem enim quiuis diceret, atque eo modo ius tranſeundi planè interimeretur: ſed ſatis eſt ſi ſine dolo malo trãſitus poſtuletur, quà proximum ac commodiſſimum eſt. Planè ſi iniuſtum moueat bellum qui tranſire vult, ſi hoſtes meos ſecum ducat, negare tranſitum potero: nam & in ſuo ipſius ſolo ei occurrere, atque iter impedire fas eſſet. quò referenda facta piorum Regum Dauidis & Ioſiæ. Neque verò perſonis tantum, ſed & mercibus tranſitus debetur. Nam quominus gens quęque cum quauis gente ſepoſita commercium colat, impediendi nemini ius eſt: id enim permitti intereſt ſocietatis humanæ: nec cuiquam damno

Num. XX. & XXI.

Nu. quæſt. 41.

Tac. IIII. hiſt.

II. Sam. VIII.

II. Reg. XXIII.

id est: nam etiamsi cui lucrum speratum, sed non debitum decedat, id damni vice reputari non debet. Testimoniis quæ ad hanc rem produximus alibi, addemus vnum ex Philone: πᾶσα δὲ θάλαττα φορτηγοῖς οἰκάσιν ἀκινδύνως διαπλεῖται κατὰ τὰς ἀνταδόσεις ὧν ἀλλήλαις ἀγαθῶν ἀντικτῶνται αἱ χῶραι κοινωνίας ἱμέρῳ, τὰ μὴ ὑπάρχοντα λαμβάνουσαι, ὧν δὲ ἄγουσι περιουσίαν ἀνταπέμπουσαι. φθόνος γὰρ οὐδέποτε πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ὑφεώρησεν, ἀλλ' οὐδὲ τὰς μεγάλας αὐτῆς ἀποτομάς. *Mare omne nauibus onerariis tutò satis nauigatur, eo commercio quod ex naturalis societatis desiderio inter nationes intercedit, dum mutuò aliarum copia aliarum inopiæ succurrit. Nam inuidia nunquam aut orbem vniuersum, aut magnas eius partes inuasit.* Euripides quoque Supplicibus Theseа inducens loquentem, his quæ humana ratio in commune bonum reperit, nauigationem annumerat, his verbis:

πόντου τε ναυστολήμαθ' ὡς διαλλαχὰς
ἔχοιμεν ἀλλήλοισιν ὧν πένοιτο γῆ.
Et cuiq; terræ quæ suum ingenium negat,
Supplere ratium pelagiis discursibus.

XIV. Sed quæritur an ita transeuntibus mercibus, terra, aut amne aut parte maris quæ terræ accessio dici possit, vectigalia imponi possint ab eo qui in terra imperium habet. Certè quæcunque onera ad illas merces nullum habent respectum, ea mercibus istis imponi nulla æquitas patitur. Sic nec capitatio ciuibus imposita ad sustentanda reipublicæ onera ab exteris transeuntibus exigi potest. Sed si aut ad præstandam securitatem mercibus, aut inter cætera etiam ob hoc onera sustinētur, ad ea compensanda vectigal aliquod imponi mercibus potest, dum modus causæ non excedatur. Inde enim pendet iustitia, vt tributi ita & vectigalis. Sic vectigal equorum & neti quæ Isthmum Syriacum transibant accepit rex Solomo. Sic pro

1. Reg. X. 28. Tac. histor. IV.

Rheni

Rheni transitu pretium accipiebant Romani. *Etiam in pontibus pro transitu datur*, inquit Seneca. Et de fluminũ transitu pleni sunt iurisconsultorum libri. *Chop. de Dom. lib. 1. tit. 9. Pereg. lib. 1. de iure Fisci, c. 1. n. 22. Angel. consil. 199. Zabar. cons. 38. Firm in tract. de gabell. Vict. de Indis rel. 2. num. 1. Diod. lib. XII. Thuc. 1.*

XV. Morari quoque aliquantisper præteruehentibus aut prætereuntibus, valetudinis aut alia qua iusta de causa licere debet. nam est & hoc inter vtilitates innoxias. Itaque probata Græcis querela Megarensium aduersus Athenienses qui eos portubus suis arcebant: ita vt Lacedæmoniis nulla belli causa iustior visa fuerit. Cui & hoc consequens est, vt tugurium momentaneum ponere liceat, putà in littore, etiamsi littus à populo occupatum concedamus. nam quòd decretum Prætoris adhibendum dixit Pomponius, vt in littore publico vel mari exstruere quid liceat, ad permanentia ædificia pertinet: quò & illud Poëtæ:

Contracta pisces æquora sentiunt
Iactis in altum molibus.

XVI. Sed & perpetua habitatio his qui sedibus suis expulsi receptum quærunt deneganda non est externis, dum & imperium quod constitutum est subeant, & quæ alia ad vitandas seditiones sunt necessaria. quam æquitatem rectè obseruauit diuinus poëta cùm Æneam inducit has ferentem conditiones:

Socer arma Latinus habeto,
Imperium solenne socer.

Lib. 1.

Et apud Halicarnassensem Latinus ipse æquam esse dicit Æneæ causam si sedium inopia compulsus eò aduenisset. Barbarorum est hospites pellere, ait Strabo: nec probati hac in parte Spartani. Ambrosio quoque iudice illi qui peregrinos vrbe prohibent nequaquam probandi. Sic Æoles Colophonios, Lacedæmonij Minyas, Cumæi alios ad se aduentantes exceperunt. *De Off. III. c. 7. Herod. lib 1. & IV. Paus. lib. VII. Oros. VII.*

XVII. Sed & si quid intra territorium populi est deserti ac sterilis soli, id quoque aduenis postulantibus

concedendum est, aut etiam ab illis rectè occupatur; quia occupatum censeri non debet quod non excolitur, nisi imperium quod attinet, quod populo veteri saluum manet. Troianis data à Latinis Aboriginibus iugera duri atque asperrimi agri septingẽta, vt Seruius notat. Clamabant olim Ansibarii, *sicut cœlum Dijs, ita terras generi mortalium datas, quæque sint vacuæ eas publicas esse; Solem quin etiam & sidera respicientes quasi coram interrogabant vellentne contueri inane solum: potius mare superfunderent aduersus terrarum ereptores.* Sed malè dicta hæc generalia rei præsenti aptabant. nam terræ illæ non omnino erant vacuæ, sed pascendis pecoribus & armentis militum seruiebãt: quæ iusta Romanis negandi causa. Nec minus iustè iam olim Romani ex Gallis Senonibus quærebant; *quod ius esset agrum à possessoribus petere, aut minari arma.*

Ad XI. Æn.

Tac. Annal. XIII.

Liu. lib. V.

XVIII. Post ius commune ad res sequitur, ius commune ad actus: quod datur aut simpliciter, aut ex suppositione. Simpliciter datur hoc ius ad actus tales quibus ea comparantur, sine quibus vita commodè duci nequit. Non enim par hîc necessitas requiritur, vt in re aliena arripienda: quia hîc non agitur de eo quod fiat domino inuito, sed de modo acquirendi dominis volentibus: tantum ne id aut lege lata aut conspiratione impedire liceat. Est enim tale impedimentum naturæ societatis contrarium in his quas dixi rebus. Hoc est quod Ambrosius vocat *separare à commerciis communis parentis, fusos omnibus partus negare, consortia viuendi auerruncare.* Nam de superuacuis & merè voluptariis non agimus, sed de his quæ vita desiderat, putà alimentis, vestimentis, medicamentis.

De Off. III. c. 7.

XIX. Ad hæc igitur æquo pretio comparanda ius esse omnibus hominibus assueramus: demto si à quibus petitur ipsi eius rei indigeant: quomodo in summa penu-

Couar. Var. resol. lib. III. c. 14. ibi, Tertio.

penuria frumenti venditio prohibetur: Et tamen ne in tali quidem necessitate expelli posse admissos semel peregrinos, sed commune malum communiter tolerandum ostendit indicato iam loco Ambrosius.

XX. Ad sua autem vendenda non æquum ius est. nam cuilibet liberum est statuere quid velit acquirere aut non. Ita vinum & alias merces exoticas olim non recipiebant Belgæ. *Molina disp. 105. Ægid. Reg. de act. super. nat. disp. 31. dub. 2. n. 52. Cæs. 1. bell. Gall.*

XXI. In hoc iure quod diximus inesse censemus etiam libertatem matrimonia ambiendi & contrahẽdi apud vicinas gentes, putà si virorum populus aliunde expulsus aliò aduenerit. nam sine femina ætatem agere etsi humanæ naturæ non omnino repugnat, repugnat tamen naturæ plerorumque hominum. cœlibatus enim non nisi excellentibus animis conuenit. Quare facultas comparandi vxores adimi viris non debet. *Iure belli iniustè negatas nuptias iustè victor auferret,* Augustino iudice. Leges autem ciuiles aliquorum populorum quæ connubia exteris negant, aut ea ratione nituntur quòd temporibus quibus sunt conditæ nulli erant populi quibus non feminarum copia suppeteret, aut non de quibusuis connubiis agunt, sed de iis quæ iusta sunt, hoc est quæ speciales quosdam iuris ciuilis effectus producunt. *Decius. Dei lib. II.*

XXII. Ex suppositione ius commune est ad actus quos populus aliquis externis promiscuè permittit. Nam tunc si vnus populus excludatur, ei fit iniuria. Sic si externis alicubi venari, piscari, aucupari, margaritas legere licet, si ex testamento capere, si res vendere, si etiam extra penuriam feminarum coniugia contrahere, vni populo id negari non potest; nisi delictum præcesserit: qua de causa Beniaminitis Hebræi cæteri ademerunt connubii facultatem. *Vict. de rel. 2. n. 2. 3.* *Iud. XX.*

XXIII. Sed de permissis quod diximus, intelligendum

dum est de his quæ permissa sunt tanquam ex vi naturalis libertatis nulla lege sublatæ: non si permissa sint per beneficium relaxando legem. nam in beneficii negatione nulla est iniuria. Atque ita arbitramur conciliari posse quod post Francis. um Victoriam quasi ei contrarius notauit Molina. Disp. 105.

XXIV. Quæsitum meminì an populo alicui liceat cum alio populo paciſci, vt is populus certi generis fructus qui alibi non nascuntur sibi oleoli vendat. Licere censeo, si is qui emit populus paratus sit aliis vendere æquo pretio. nam alterum gentium non interest à quo emant quod ad desideria naturæ attinet. Lucrum autem alter alteri præuertere licitè potest, maximè si causa subsit, vt si qui id stipulatus est populus alterum populum in suam tutelam receperit sumtusque eo nomine faciendos habeat. Talis autem coemtio eo quo dixi animo facta iuri naturæ non repugnat, quanquam solet interdum ob vtilitatem publicam legibus ciuilibus prohiberi.

CAP. III.

De acquisitione originaria rerum, vbi de mari & fluminibus.

I. *Originariam acquisitionem fieri per diuisionem aut occupationem.*

II. *Reijciuntur hic alii modi, vt concessio iuris incorporalis:*

III. *Item specificatio.*

IV. *Occupatio duplex, ad imperium, ad dominium: quæ distinctio explicatur.*

V. *Occupationem mobilium lege posse anteuerti.*

VI. *Quo iure nitatur dominium infantium & amentium.*

VII. Flu-

VII. Flumina occupari posse.
VIII. An & mare.
IX. Olim in partibus Romani imperii id non licuisse:
X. Naturæ tamẽ ius non obstare in parte maris quæ terris quasi clausa sit.
XI. Quomodo talis occupatio fiat & quamdiu duret.
XII. Talem occupationem ius non dare impediendi transitus innoxij.
XIII. Imperium in partem maris occupari posse, & quomodo.
XIV. Vectigal nauigantibus mari ex certis causis imponi posse.
XV. De pactionibus quæ populum aliquem vltra certos terminos vetant nauigare.
XVI. Fluminis cursus mutatus an territorium immutet cum distinctione explicatur.
XVII. Quid sentiendum si alueus planè mutatus sit?
XVIII. Flumen interdum totum accedere territorio.
XIX. Res derelictas occupanti cedere, nisi populus dominiũ quoddam generale occupauerit.

I. SINGVLARI iure aliquid nostrum fit acquisitione originaria aut deriuatiua. Originaria acquisitio olim cùm genus humanum coire posset, fieri potuit etiam per diuisionem, vt diximus, nunc per occupationem tantùm.

II. Dicat fortè aliquis etiam concessione seruitutis, constitutione pignoris aliquid originarii acquiri: sed rectè expendenti apparebit id ius nouum non esse nisi modò. nam virtute ipsa inerat in dominio domini.

III. Paulus Iurisconsultus acquirendi causis & hãc annumerat, quæ maximè videtur naturalis, si quid ipsi vt in rerum natura esset fecimus. Sed cùm naturaliter nihil fiat nisi ex materia priùs existente, ea si nostra fuerit, cõtinuabitur dominium specie introducta: si nul- *L. Possideri. § Genera. D. de acq. poss.*

si nullius, ad occupationis genus hæc acquisitio pertinebit: sin aliena, iam naturaliter nobis solis eam non acquiri infra apparebit.

IV. De occupatione ergo quæ post prima illa tempora solus est naturalis an & originarius modus, videndum est nobis. In his autem quæ proprie nullius sunt duo sunt occupabilia, imperium & dominium quatenus ab imperio distinguitur. Seneca ita hæc duo expressit. *Ad reges potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas.* Imperium duas solet habere materias sibi subiacentes, primariam personas, quæ materia sola interdum sufficit, vt in exercitu virorum, mulierum, puerorum quærente nouas sedes; & secundariam locum, qui territorium dicitur. Quanquam autem plerumque vno actu quæri solent imperium & dominium, sunt tamen distincta: ideoque dominium non in ciues tantum, sed & in extraneos transit, manente penes quem fuit imperio. Siculus libro de conditionibus agrorum: *Auctores assignationis, diuisionisque, non sufficientibus agris coloniarum, quos ex vicinis territoriis sumsissent, assignauerunt quidem futuris ciuibus coloniarum: Sed iurisdictio in agris qui assignati sunt penes eos remansit, ex quorum territorio sumpti sunt.*

V. In loco autem cuius imperium iam occupatum est ius occupandi res mobiles anteuerti posse lege ciuili supra diximus: Est enim hoc ius ex iure naturæ permittente non præcipiente, vt liceat semper. Neque enim id requirit humana societas. Quod si quis dicat videri ius gentium esse, vt id liceat, respondebo etiamsi in aliqua parte orbis id communiter ita receptum sit, aut fuerit, non tamen habere vim pacti inter gentes, sed esse ius ciuile plurium gentium distributum, quod à singulis tolli potest. Et talia multa sunt quæ iuris gentium vocant Iurisconsulti, vbi de rerum diuisione &

acqui-

cquirendo dominio agitur.

VI Notandum & hoc, si solum ius naturale spectanus, dominium non dari, nisi in eo qui ratione vtitur. ed ius gentium ob vtilitatem communem introduit, vt & infantes & furiosi dominia accipere & retinee possent, personam illorum interim quasi sustinente umano genere. Sed nimirum humana iura multa onstituere possunt præter naturam, contra naturam ihil. Ideo dominium hoc quod fauore infantium & is similium, consensu gentium humanius viuentium ntroductum est, stat intra actum primum, nec ad actum secundum, vt loquuntur scholę, potest pertingere: id est ad habendi, non ad per se vtendi ius pertinet. Nam alienatio & siqua huic sunt similia in ipsa sui natura includunt actum vtentis ratione voluntatis, quæ in talibus existere non potest. Quo non malè referas illud Pauli Apostoli, pupillum quanquam rerum paternarum dominum, dum eius est ætatis, nihil differre à seruis, exercitio dominij scilicet. De mari cœpimus supra aliquid dicere quod nunc absoluendum est. Gal. IV. 1.

VII. Flumina occupari potuerunt, quanquã nec supra nec infra includuntur territorio, sed cum aqua superiori & cum inferiori, aut cum mari cohærent. Sufficit enim quod maior pars, id est latera clausa sunt ripis, & quod comparatione terrarum exiguum quid est flumen.

VIII. Ad hoc exemplum videtur & mare occupari potuisse ab eo qui terras ad latus vtrumque possideat, etiamsi aut supra pateat vt sinus, aut supra & infra, vt fretum, dummodo non ita magna sit pars maris, vt non cum terris comparata portio earum videri possit. Et quod vni populo aut Regi licet, idem licere videtur & duobus aut tribus, si pariter mare intersitum occupa-

occupare voluerint. nam sic flumina quæ duos populos interluunt, ab vtroque occupata sunt, ac deinde diuisa.

IX. Fatendum est in partibus cognitis Romano imperio à primis temporibus ad Iustinianum vsque iuris gentium fuisse ne mare à populis occuparetur, etiam quod ius piscandi attinet. Nec audiendi sunt qui existimant cùm in iure Romano mare omnium commune dicitur, commune ciuium Romanorum intelligi. Nam primùm voces ita sunt vniuersales, vt hanc restrictionem non ferant. Nam quòd Latinè mare omnium commune dicitur, explicat Theophilus, κοινὸν πάντων ἀνθρώπων. Vlpianus mare omnibus natura patere dixit, & ita omnium esse sicut aër. Celsus maris communem esse vsum omnibus hominibus. Præterea manifestè distinguunt Iurisconsulti publica populi, in quibus & flumina, ab his communibus. Ita in Institutionibus legimus: *Quædam naturali iure communia sunt omnium, quædam publica: Naturali iure communia sunt omnium hæc, aër, aqua profluens, & mare, & per hoc littora maris. Flumina autem omnia & portus publica sunt.* & apud Theophilum: φυσικῷ μὲν οὖν δικαίῳ κοινὰ πάντων ἀνθρώπων ἐστὶ ταῦτα, ὁ ἀὴρ, τὸ ὕδωρ τὸ ἐέναον, θάλασσα. Mox: ποταμοὶ δὲ πάντες καὶ λιμένες πουβλικοί εἰσι, τυπίστ ἔ δήμου τῆ Ῥωμαϊκοῦ. Sed & de littoribus dixit Neratius, non ita esse publica, vt quæ in patrimonio sunt populi, sed vt ea quæ primùm à natura prodita sunt, & in nullius adhuc dominium peruenerunt, id est ne populi quidem vllius: cum quo responso pugnare videtur quod Celsus scripsit: *Littora in quæ populus Romanus imperium habet, populi Romani esse arbitror: maris autem vsum communem omnibus hominibus.* Sed conciliari videntur ita hæc posse, si dicamus Neratium de littore loqui, quatenus vsus eius nauigantibus, aut præteruehentibus est necessarius:

L. Quadã. D. de rer. diuis. Instit. de rer. diuis. §. 1. L. Venditor. Comm. præd. L. Littore. D. ne quid in loco publico. De rer. diuis. §. 1.

L. Quod in littore. D. de acq. domin. d. l. littore. D. Ne quid in loco publ.

rius: Celsum vero quatenus ad vtilitatem assumitur, puta ad ædificium permanens: quod à Prætore impetrari solere Pomponius nos docet, vt & ius ædificandi in mari, id est in parte littori proxima, & quæ littori quasi accensetur. *L. Quamuis. D. de acq. dom.*

X. Hæc quanquam vera sunt, tamen ex instituto non ex naturali ratione prouenit, quod mare eo quo diximus sensu occupatum non est, aut occupari iure non potuit. Nam & flumen publicum est, vt scimus, & tamen ius piscandi in diuerticulo fluminis occupari à priuato potest. sed & de mari dictum à Paulo est, si maris proprium ius ad aliquem pertineat, vti possideris interdictum ei competere, quoniam ad priuatam iam causam pertinet non ad publicam hæc res, vtpote cum de iure fruendi agatur quod ex priuata causa contingit, non ex publica: vbi haud dubile de exigua agit maris portione, quæ in fundum priuatum admittitur: quod à Lucullo & aliis factum legimus. Sed idem postea contra veterum Iurisconsultorum responsa ad προάυλεα, id est vestibula in Bosphoro Thracico produxit Leo Imperator, vt ea quoque septis quibusdam quas ἐπωχὰς vocabant includi, & priuatim vindicari possent. Quod si priuatorum fundis aliquid maris potest accedere, quatenus inclusum nempe est, & ita exiguum vt fundi portio censeri possit, nec quominus id fiat repugnat ius naturę; quidni & portio maris inclusa littoribus eius fiat populi eorumve populorum cuius quorumve sunt littora, dum ea pars maris ad territorium comparati non maior sit quam diuerticulum maris comparatum ad magnitudinem fundi priuati? Nec obstare quod mare non vndique includatur exemplo fluminis intelligi potest, & exemplo maris ad villam admissi. Sed multa quæ natura permittit, ius gentium ex communi quo- *L. Si quisquam. D. de diuers. tẽp. præscr.* *L. Sane. D. de iniuriis.* *L. Iniuriarum, circa finem. D. de iniuriis.*

dam consensu potuit prohibere. Quare quibus in locis tale ius gentium viguit, neque communi consensu sublatum est, maris portio quamuis exigua & maxima sui parte inclusa littoribus in ius proprium populi alicuius non concedet.

XI. Verùm notandum etiam si quibus in locis ius illud gentium de mari receptum non esset, aut sublatum, tamen ex eo solo quòd terras populus occupant mare occupatum colligi non posse: nec animi actum sufficere, sed actu externo esse opus, vnde occupatio possit intelligi. Deinde verò si omittatur possessio ex occupatione nata, iam mare redire ad veterem naturam, id est ad vsum communem: quod de inædificato littore respondit Papinianus, & de piscatione in fluminis diuerticulo.

L. Præscriptio. D. de vsurp.

XII. Illud certum est etiam qui mare occupauerit nauigationem impedire non posse inermem & innoxiam, quando nec per terram talis transitus prohiberi potest, qui & minùs esse solet necessarius & magis noxius.

XIII. Vt autem solum imperium in maris partem sine alia proprietate occupetur, faciliùs potuit procedere: neque arbitror ius illud gentium de quo diximus obstare. Argiui olim cum Athenienſibus expostularunt, quòd suo mari Spartanos Argiuorum hostes transire siuissent, quasi violato fedære quo cautum erat ne alter populus hostes alterius sineret ire per sui imperii loca. Themistius de Romano Imperatore: τῷ γῆν καὶ θάλασσαν ὑπήκοον ἔχων; *habens sibi subditam terram & mare.* Videtur autem imperium in maris portionem eadem ratione acquiri qua imperia alia, id est, vt suprà diximus, ratione personarum & ratione territorii. Ratione personarum, vt si classis, qui maritimus est exercitus, aliquo in loco maris se habeat: ratione territorii, quatenus

Thuc. lib. VII.

Bossius tit. de aquis, n. 36. allegans Bal. Cepoll. & alios.

quatenus ex terra cogi possunt qui in proxima maris parte versantur, nec minus quam si in ipsa terra reperirentur.

XIV. Quare nec contra ius naturę aut gentium faciet qui recepto in se onere tuendę nauigationis vectigal æquum imposuerit nauigantibus, quale fuit Romanum vectigal Erythræum ob sumptus exercitus maritimi aduersus piraticas excursiones: & quod in ponto Byzantini exigebant Ἱερὸν, & quod iam olim Athenienses occupata Chrysopoli exegerant in ponto eodem, memorante vtrumque Polybio: & ꝙ in Hellesponto suo tempore exegisse Romanos Imperatores in arcana historia memorat Procopius. *Plin. lib. XIX. 4. Strabo lib. XVII.*

XV. Inueniuntur exempla federum quibus populus alter alteri populo se obstringit, ne vltra certum terminum nauiget. Sic inter Athenienses & Persas Cimonis ætate placuerat, ne qua nauis Medica armata extra Cyaneas nauigaret: & primo federe quod statim ab exactis regibus Romani cum Carthaginiensibus fecerant conuenerat; ne Romani Romanorum ve socij, vltra Pulchrum promontorium nauigarent, extra quam si tempestatis aut hostium vi compulsi essent: qui vi compulsi aduenissent, nihil sumerent præter necessaria, & intra diem quintum abscederent. Et in secundo federe, ne Romani vltra Pulchrum promontorium, Massiam & Tarseium prædas agerent mercatumve irent. In pace cum Illyriis, ne Illyrii vltra Lessum pluribus quam duobus lembis iisque inermibus nauigarent. In pace cum Antiocho, ne citra Calycadnium & Sarpedonem promontoria nauigaret extra naues quæ stipendium, legatos, aut obsides portarent. Sed hæc non docent occupationē maris aut iuris nauigandi. Possunt enim vt singuli, *Polyb.* *App. Illyr.* *Liu. lib. XXXVIII.*

ita & populi pactis, non tantum de iure quod proprie sibi competit, sed & de eo quod cũ omnibus hominibus commune habent in gratiam eius cuius id interest decedere: quod cum fit dicendum est quod dixit Vlpianus in ea facti specie qua fundus erat venditus hac lege, ne contra venditorem piscatio thynaria exerceretur, mari seruitutem imponi non potuisse, sed bonam fidem contractus exposcere, vt lex venditionis seruetur. Itaque personas possidentium, & in ius eorum succedentium obligari.

L. Venditor. D. Com. prad.

XVI. Frequens est inter vicinos populos contentio, quoties flumen cursum mutauit, an simul & imperij terminus mutetur, & an quæ flumen adiecit eis cedant quibus adiecta sunt: quæ controuersiæ ex natura & modo acquisitionis definiendæ sunt. Docent nos mensores tria esse agrorum genera: diuisum & assignatum, quem limitatum vocat Florentinus Iurisconsultus, quia manufactos limites habet; mensura comprehensum, puta per centurias ac iugera; & arcifinium, qui inde dictus videtur quod fines haberet arcendis hostibus idoneos, id est naturales, vt sunt flumina & montes. Hos occupatorios videtur dicere Aggenus Vrbicus, quia plerunque tales sunt agri, qui aut eo quod vacui sunt, aut etiam bello occupantur. In duobus primis agrorum generibus etiamsi flumen cursum mutet, nihil de territorio mutatur: & si quid alluuio adiecit id occupantium imperio accedet. In arcifiniis flumen mutato paulatim cursu, mutat & territorii fines, & quicquid flumen parti alteri adiecit, sub eius imperio est cui adiectum est: quia scilicet eo animo populus vterque imperium occupasse primitus creditur, vt flumen sui medietate eos dirimeret, tanquam naturalis terminus.

Iul. Frontinus.

L. In agris limitatis. D. de acq. rer. dom.

XVII. Sed hoc ita demum locum habebit si non

alueum

alueum mutauerit amnis. Nam flumen etiam qua imperia disterminat, non consideratur nude qua aqua est, sed qua aqua alueo tali fluens ripisque talibus inclusa. Quare particularum adiectio, decessio, aut talis immutatio quæ toti speciem veterem relinquat, rem sinit eandem videri. At si totius species simul mutetur, res erit alia. atque ideo sicut interit flumen quod in loco superiore molibus obstructum est, nouumq; nascitur factâ manu fossâ in quam aqua immittitur: ita si deserto alueo veteri aliâ irruperit flumen, non idem erit quod fuit ante, sed nouum vetere extincto: & sicut si exaruisset flumen, imperij terminus maneret medietas aluei qui proxime fuisset: quia mens ea populorum fuisse censenda est, vt flumine quidem naturaliter dirimi vellent; quod si flumen esse desiisset, vt tum teneret quisque quod tenuisset: ita mutato alueo idem obseruandum erit. In dubio autem imperia quæ ad flumen pertingunt arcifinia putanda sunt, quia imperiis distinguendis nihil est aptius quam id quod nõ facile transitur. Vt autem limitata, aut mensura comprehensa sint rarius accidit; neque tam ex acquisitione primæua, quam ex aliena concessione.

L. Proponebatur. D. de iudiciis.

L. Hoc iure. §. Si aquã. D. de Aqua cotid. æstiua.

XVIII. Quãquam vero in dubio, vt diximus, imperia ad medietatem fluminis vtrinque pertingunt, fieri tamen potuit & contigisse alicubi videmus, vt flumen totum parti vni accederet, quia scilicet ripæ alterius imperium serius & occupato iam flumine cœpisset: aut quia eum in modum res pactionibus esset definita.

XIX. Illud quoque obseruatu non indignum, originariam acquisitionem censendam etiam rerum earum quæ dominum habuerunt, sed habere desierunt: puta quia derelictę sunt, aut quia defecerunt domini. nam hæc redierunt in eum statum in quo primũ

res fuerant. Sed illud simul notandum est, interdum primas acquisitiones à populo aut populi capite ita factas, vt non tantùm imperium, in quo inest ius illud eminens, de quo alibi egimus, sed & priuatum plenumque dominium generaliter primùm populo, aut eius capiti quæreretur: atque vt deinde particulatim in priuatos ita fieret distributio, vt tamen eorum dominiũ ab illo priore dominio penderet, si non vt ius Vasalli à iure senioris, aut ius emphyteuticarii à iure proprietarii, tamen alio quodam tenuiore modo, vt multæ sunt species iuris in rem, quas inter est & ius eius qui sub conditione fideicommissum expectat. Seneca: *Non est argumentum, ideo aliquod tuum non esse, quia vendere non potes, quia consumere, quia mutare in deterius aut melius non potes. Tuum enim est etiam quod sub certa lege tuum est.* Hoc igitur modo cùm distributa dominia pendent à dominio generali, si quid domino particulari carere incipit non fit occupantis, sed ad vniuersitatem, aut ad dominum superiorem redit. Cui iuri ius simile etiam per legem ciuilem extra hanc causam, vt iam notare cœpimus, introduci potuit.

Lib. VII. de Benef. c. 12.

CAP. IV.

De derelictione præsumta & eam secuta occupatione: & quid ab vsucapione & præscriptione differat.

I. *Vsucapio aut præscriptio propriè dicta cur locum non habeat inter populos diuersos eorumve rectores.*

II. *Solere tamen & inter hos allegari longæuas possessiones:*

III. *Cau-*

III. *Causa inquiritur, ex coniecturis humanæ voluntatis: quæ petuntur non ex verbis tantùm:*

IV. *Sed & ex factis:*

V. *Et ex non factis.*

VI. *Quomodo tempus adiunctum non possessioni & silentio ad coniecturam iuris derelicti valeat.*

VII. *Ordinariè ad talem coniecturam sufficere tempus memoriam excedens, & quale hoc sit.*

VIII. *Solutio obiectionis, neminem præsumendum suum iactare.*

IX. *Videri etiam seposita coniectura, iure gentium ex immemoriali possessione dominium transferri.*

X. *An nondum natis ius auferri hoc modo possit.*

XI. *Etiam summæ potestatis ius aut populo aut regi acquiri longæua possessione.*

XII. *An leges ciuiles de vsucapione & præscriptione teneant eum qui summam potestatem habet, cum distinctionibus explicatur.*

XIII. *Ea iura quæ separabiliter aut communicabiliter adhærent summo imperio, vsucapione aut præscriptione quæri & amitti.*

XIV. *Refellitur sententia statuens semper subditis licere se vindicare in libertatem.*

XV. *Quæ meræ sunt facultatis nullo tempore amitti: quod explicatur.*

I. GRAVIS hîc difficultas oritur de vsucapiendi iure. Namque id ius cùm lege ciuili sit introductũ (tempus enim ex suapte natura vim nullam effectricem habet; nihil enim fit à tempore, quamquam nihil non fit in tempore) locum habere non potest, vt censet Vasquius, inter duos populos liberos aut reges, populumve liberum & regem: imò ne inter regem quidem & priuatum ipsi non subditum, nec inter duos diuersorum regum aut populorum subditos. quod *Lib. II. c. 51. n. 28.*

verum videtur nisi quatenus res vel actus tenetur territorii legibus. Atqui id si admittimus, sequi videtur maximum incommodum, vt controuersiæ de regnis regnorumque finibus nullo vnquam tempore extinguantur: quod non tantùm ad perturbandos multorum animos & bella serenda pertinet, sed & communi gentium sensui repugnat.

II. Nam & in Sacris literis Iephthes regi Ammonitarum sibi vendicanti terras inter Arnonem & Iabocum & ab Arabum desertis ad Iordanem sitas obiicit trecẽtorum annorum possessionem, & ab eo quærit cur ipse eiusq; maiores tanto tempore cessauerint: Et Lacones apud Isocratem, tanquam certissimum ponunt possessiones publicas non minùs quàm priuatas multo tempore ita firmari, vt reuelli nequeant: quo iure repellunt eos qui Messenam repetebant. Verba Græca sunt: τὰς κτήσεις καὶ τὰς ἰδίας καὶ τὰς κοινὰς, ἢν ἐπιγένηται πολὺς χρόνος, κυρίας καὶ πατρῴας ἅπαντες εἶναι νομίζουσι. Idem Isocrates ad Philippum: κάτοχον καὶ βέβαιον τὴν κτῆσιν πεποιηκότος τοῦ χρόνου, *cùm firmam stabilemq́ possessionem longa dies reddidisset.* Sulpitius contra Antiochum disputans ostendit iniquum esse, vt quòd populi Græci in Asia aliquando seruiissent, id ius post aliquot sæcula eos asserendi in seruitutem faciat. Et historici vetera reposcere vaniloquentiam vocant.

Archid.

Liu. lib. XXXV.

Tac. Annal. VI.

III. Quid dicemus? Iuris effectus qui ab animo pẽdent, non possunt tamen ad solum animi actum consequi, nisi is actus signis quibusdam indicatus sit. quia nudis animi actibus efficientiam iuris tribuere, non fuerat congruum naturæ humanæ, quæ nisi ex signis actus cognoscere non potest: qua de causa etiam interni actus meri legibus humanis non subiacent. Signa autem nulla de animi actibus certitudinem habent mathematicam, sed probabilem tantùm; nam & verbis

bis eloqui aliud possunt homines quàm quod volunt & sentiunt, & factis simulare. Neque tamen patitur natura humanæ societatis, vt actibus animi sufficienter indicatis nulla sit efficacia. ideo quod sufficienter indicatum est, pro vero habetur aduersus eum qui indicauit. Ac de verbis quidem expedita res.

IV. Factis intelligitur derelictum quod abiicitur, nisi ea sit rei circumstantia, vt temporis causa & requirendi animo abiectum censeri debeat. Sic chirographi redditione censetur remissum debitum. Recusari hereditas, inquit Paulus, non tantùm verbis, sed etiam re potest & quouis indicio voluntatis. Sic si is qui rei alicuius est dominus sciens cum altero eam rem possidente, tanquam cum domino contrahat, ius suũ remisisse meritò habebitur: quod cur non & inter reges locum habeat, & populos liberos nihil causæ est. Simile est quòd superior concedens inferiori, vel imperans id facere quod facere licitè non potest, nisi lege soluatur, lege soluisse eum intelligitur. Venit enim hoc non ex iure ciuili, sed ex iure naturali, quo quisque suum potest abdicare, & ex naturali præsumtione qua voluisse quis creditur, quod sufficienter significauit.

L. Qua ratione. §. vlt. D. de acqu. rer. domin. L. Qui leuandæ. D. ad l Rhod. L. Falsus, §. si tactum, D. de furtis. L. Labeo. D. de pactis. L. Recusari. D. de acq. vel omitt. hered. L. Quidam. D. de rer. iud. L. Barbarius. de off. Prætoris.

V. Sub factis autem moraliter veniunt & non facta considerata cum debitis circumstantiis, Sic qui sciens & præsens tacet videtur consentire: nisi circumstantiæ ostendant, quominus loquatur, metu eum vel alio casu impediri. Sic amissum censetur id cuius recuperandi spes proiicitur, vt porcos à lupo raptos, & quæ naufragio amittimus, nostra esse desinere ait Vlpianus, non statim, sed vbi recipi non possunt, id est vbi non est cur credatur aliquis animum domini retinere: vbi nulla talis voluntatis indicia exstant. Nam si missi essent qui rem inquirerent, si promissum μήνυτρον, aliud

L. Pomponius, D. de acqu rer. domin.

esset iudicandum. Sic qui rem suam ab alio teneri scit, nec quicquam contradicit multo tempore, is nisi causa alia manifestè appareat, non videtur id alio fecisse animo quàm quod rem illam in suarum rerum numero esse nollet. Et hoc est quod alicubi dixit Vlpianus, ædes longo silentio videri pro derelicto à domino habitas. *Parum iuste* (rescripsit Pius Imperator) *præteritas vsuras petis, quas omisisse te longi temporis interuallum indicat: quia eas à debitore tuo, vt gratior apud eum videlicet esses, petendas non putasti.* Cui simillimum quid in consuetudine apparet. Nam hæc quoque, semotis legibus ciuilibus quæ certo tempore ac modo eam introduci volunt, à populo subdito introduci potest ex eo quod ab imperium habente toleratur: tempus vero quo illa consuetudo effectum iuris accipit non est definitum, sed arbitrarium, quantum satis est vt concurrat ad significandum consensum. Sed vt ad derelictionem præsumendam valeat silentium, duo requiruntur, vt silentium sit scientis, & vt sit libere volentis, nam non agere nescientis, caret effectu: & alia causa cum apparet, cessat coniectura voluntatis.

L. Si finita. §. non autè statim. D. de damno infecto.

L. Cum quidam. §. diuus. D. de vsuris.

Th. 1. 2. q. 97. art. 3.

Suar. lib. VII. de legibus. c. 15.

VI. Vt hæc igitur duo adfuisse censeantur, valent & aliæ coniecturæ: sed temporis in vtrumque magna vis est. Nam primum fieri vix potest vt multo tempore res ad aliquem pertinens non aliqua via ad eius notitiam perueniat, cum multas eius occasiones subministret tempus. Inter præsentes tamen minus temporis spatium ad hanc coniecturam sufficit quam inter absentes, etiam sepositâ lege ciuili. Sic & incussus semel metus durare quidem nonnihil creditur, sed non perpetuo, cum tempus longum multas occasiones aduersus metum sibi consulendi per se vel per alios suppeditet, etiam exeundo fines eius qui metuitur, saltem vt protestatio de iure fiat, aut, quod potius est, ad iudi-

ces

ces aut arbitros prouocetur.

VII. Quia vero tempus memoriam excedēs quasi infinitum est moraliter, ideo eius temporis silentium ad rei derelictæ coniecturam semper sufficere videbitur, nisi validissimæ sint in contrarium rationes. Bene autem notatum est à prudentioribus Iurisconsultis, non plane idem esse tempus memoriam excedens cum centenario, quanquam sæpe hæc non longe abeunt: quia communis humanæ vitæ termin⁹ sunt anni centum. quod spatium ferme solet ætates hominum, aut γενεὰς tres efficere: quas Antiocho Romani obijciebant cum ostenderent repeti ab eo vrbes quas ipse, pater, auus nunquam vsurpassent. *L. Hoc iure. §. ductus. D. de aqua quot. & æst.* *Liu. XXXIV.*

VIII. Obiiciat aliquis, cum homines se suaque amant, non debere eos credi quod suum est iactare, ac proinde actus negatiuos, etiam cum magno temporis spatio, non sufficere ad eam quam diximus coniecturam. Sed cogitare rursum debemus, bene sperandum de hominibus, ac propterea non putandum eos hoc esse animo, vt rei caducæ causa hominem alterum velint in perpetuo peccato versari, quod euitari sæpe non poterit sine tali derelictione. De imperiis vero, quanquam ea magni fieri solent, scire debemus magna esse onera, & quæ non bene administrata hominem diuinæ iræ reddant obnoxium: ac sicut durum esset qui se tutores dicerent damno pupilli litigare vter ad tutelam ius habeat, ita non semper laudandos qui cū summa iactura, sæpe & cum sanguine innocentis populi, disceptare cupiant quis eius populi rem sit curaturus. Tum vero imperia tandem aliquando in certo & extra controuersiæ aleam constitui humanæ societatis interest; quam quæ adiuuant coniecturæ, fauorabiles putandæ sunt. Nam si durum putauit Aratus Sicyonius priuatas quinquaginta annorum

possess-

possessiones labefactari, quanto magis illud Augusti tenendum est, eum virum bonum ac ciuem esse qui præsentem reipublicæ statum mutari non vult, & qui, vt apud Thucydidem Alcibiades loquitur, ὅπερ ἐδέξατο σχῆμα τῆς πολιτείας τοῦτο ξυνδιασώζει? quod τὴν παροῦσαν πολιτείαν διαφυλάττειν, dixit Isocrates aduersus Callimachum. sicut & Cicero oratione ad Quirites cōtra Rullum, otii, & concordiæ patrono conuenire ait defendere statum reipublicæ qui quoq; tempore sit. Quòd si etiam deficerent ea quæ iam diximus, tamen aduersus præsumptionem qua quisque sua seruare velle creditur, validior est altera, quòd credibile non est quenquam eius quod vult, longo tempore, nullam planè edere significationem idoneam.

Ang. de Clauasio in Summa, in verbo Inuenta.

IX. Ac fortè non improbabiliter dici potest non esse hanc rem in sola præsumptione positam, sed iure gentium voluntario inductam hanc legem, vt possessio memoriam excedens, non interrupta nec prouocatione ad arbitrum interpellata, omnino dominium transferret. Credibile est enim in id consensisse gentes, cùm ad pacem communem id vel maximè interesset.

X. Sed alia hîc, & quidem perdifficilis, suboritur quæstio; an nondum natis ius suum tacitè tali derelictione possit decedere. Si non posse dicimus, nihil ad tranquillitatem imperiorum ac dominiorum profecit modò data definitio, cùm pleraque talia sint, vt posteris debeantur. Sin posse affirmamus, mirum videbitur quomodo nocere silentium possit his qui loqui non potuerunt, quippe cum nec existerent; aut quomodo aliorum factum aliis damno esse possit. Ad huius nodi solutionem sciendum est, eius qui nondum natus est nullum esse ius, sicut nec vlla sunt accidentia rei non existentis. Quare si populus, à cuius voluntate

luntate ius regnandi proficiscitur, voluntatem mutet, iis qui nondum nati sunt, vt quibus ius quæsitum nondum est, nullam facit iniuriam. Sicut autem populus expresse mutare voluntatem potest, ita & tacitè credi mutasse. Mutata igitur populi voluntate, neque dum existente eorum iure qui exspectari possunt; parētibus autem è quibus nasci possunt, qui ius suo tempore essent habituri, id ipsum ius derelinquentibus, nihil est quod obster quominus illud vt derelictum ab alio occupari possit. Agimus de naturali iure. nam iure ciuili vt aliæ fictiones, ita & hæc introduci potest, vt eorum qui nondum sunt personam lex interim sustineat, atque ita impediat, nequid aduersum eos occupari possit: quod tamen leges velle non temerè censendæ sunt, quia priuata ista vtilitas publicæ valde repugnat. Vnde & illa Feuda, quæ non ex iure proximi possessoris, sed ex vi inuestituræ primitiuæ deferuntur, longo satis tempore acquiri posse receptior sententia est: quod ad iura Maioratus & ad res fidei-commisso obnoxias non infirmis rationibus subnixus producit summi iudicii Iurisconsultus Couarruuia. Nihil enim prohibet quominus lege ciuili ius tale introduci possit, quod vno actu alienari licitè non possit; possit tamen ad vitandam dominiorum incertitudinem certi temporis neglectu amitti: atque ita etiam vt exstituris salua sit actio personalis aduersum eos qui neglexerunt aut eorum hæredes.

c. possessor. p. 3. §. 3. Spec. tit. de feu. §. Quomam. vers. 3. quæritur. Chass. de cons. Burg. de mainsmortes. §. 6. vers. par an & iour. n. 2. Cravett de ant. temp. part. 4. §. Materia, n. 90.

XI. Ex his quæ diximus apparet & regi aduersus regem, & populo libero aduersus populum liberum, ius acquiri posse, vt expresso consensu, ita derelictione & eam secuta, aut ex ea vim nouam capiente apprehensione. nam quod dicitur, quæ ab initio non valent ex post facto conualescere non posse, hanc habet exceptionem, nisi causa noua ius per se parere idonea

inter-

interceſſerit. Similiter & alicuius populi rex verus amittere poterit regnum & populo ſubijci; & qui reuera non rex, ſed princeps erat, rex ſummo cum imperio fieri; & ſummum imperium quod penes populum aut penes regem in ſolidum erat inter eos diuidi.

XII. Illud etiam indagari operæ pretium eſt; an lex de vſucapione aut præſcriptione condita ab eo qui habeat ſummum imperium, pertineat etiam ad ipſum ius imperij, & eius partes neceſſarias quas alibi explicauimus. Pertinere arbitrari videntur Iuriſconſulti non pauci, qui quæſtiones de ſummo imperio ex iure tractant ciuili Romanorum. Nos aliter arbitramur. nã vt quis legibus obligetur, requiritur in legis auctore, & poteſtas & voluntas ſaltem præſumta. Se per modum legis, id eſt per modum ſuperioris obligare nemo poteſt: & hinc eſt quòd legum auctores habent ius leges ſuas mutandi: Poteſt tamen quis obligari ſua lege non directè, ſed per reflexionem, quà ſcilicet pars eſt communitatis ex æquitate naturali, quæ partes vult componi ad rationem integri. Sed hoc hîc locum non habet, quia legum auctorem hîc conſideramus, non vt partem, ſed vt eum in quo virtus inſit integri. agimus enim de ſummo imperio quà tale. Sed nec voluntas adfuiſſe præſumitur: quia legum auctores non cenſentur ſe velle comprehendere, niſi vbi & materia & ratio legis ſunt vniuerſales, vt in æſtimandis rerum pretiis. At ſummum imperium non eſt paris rationis cum rebus aliis: imò nobilitate ſua res alias multum excedit. Neque vllam vidi legem ciuilem de præſcriptione agentem quæ ſummum imperium comprehenderet, aut comprehendere voluiſſe probabiliter cenſeri poſſet. Vnde ſequitur, neque tempus lege definitum ſufficere ad acquirendum ſummũ imperium aut partem eius neceſſariam, ſi deſint conie-

Bart. in l. Hoſtes. D. de capt. & in l. 1. D. de aqua pluu. arc. Iaſ. conſ. 70. lib. III. Aymon. de antiq. part. 4. verſiculo, materia iſta. num. 62. Ant. Corſetus de exc. regis, quæſt. 104. Balb. de præſcr. 2. p. 5. pr. q. 2. Caſtal. de Imp. q. 53. Couar. in c. peccatum. de reg. iuris in 6. d. 2, §. 9 in fine.

iecturæ naturales de quibus suprà egimus: neque tantum temporis spatium requiri, si intra id tempus eæ coniecturæ quantum satis est adsint : neque legem ciuilem quæ acquiri certo tempore res vetat, ad res summi imperij pertinere. Posset tamen in ipsa imperij delatione populus suam exprimere voluntatem; quo modo ac tempore amitti imperium non vtendo posset: quæ voluntas sequenda haud dubiè esset, nec infringi posset à rege etiam summum imperium obtinente: quia non ad imperium ipsum, sed ad eius habendi modum pertineret: quo de discrimine alibi diximus.

XIII. Ea verò quæ de summi imperii natura non sunt, nec vt proprietates naturales ad eam pertinent, sed aut separari ab ea naturaliter possunt, aut saltem cum aliis communicari, omnino subiacent legibus populi cuiusque ciuilibus quæ de vsucapione & præscriptione factæ sunt. Sic subditos esse videmus qui præscriptione acquisierunt, vt appellari ab iis non possit: ita tamen vt semper aliqua ab eis sit prouocatio, per supplicationem scilicet, vel alium modum. nam vt ab aliquo nulla ratione possit prouocari cum persona subditi repugnat, ac proinde ad summum imperium aut partem eius pertinet, nec potest aliter acquiri quàm secundum ius naturale cui summa imperia subiacent. *Couar. c. possessor, p. 2. §. 2. n. 12. 13.*

XIV. Ex his apparet quatenus recipi possit quod aiunt nonnulli, semper licere subditis si possint in libertatem, eam scilicet quę populi est, se vindicare: quia quod vi partum est imperium vi possit dissolui; quod autem ex voluntate sit profectum, in eo pœnitere liceat, & mutare voluntatem. Nam & quæ vi parta primum sunt imperia, possunt ex voluntate tacita ius firmum accipere, & voluntas, aut ex initio constituti imperij,

imperii, aut ex post facto esse potest talis vt ius det quod in posterum à voluntate non pendeat. Agrippa rex apud Iosephum in oratione ad Iudæos, qui ex præpostero repetitæ libertatis studio Zelotæ dicti sunt, sic ait: *Intempestiuum est nunc libertatem cupiscere, Olim ne ea amitteretur certatum oportuit. Nam seruitutis periculum facere durum est, & ne id subeatur, honesta certatio. At qui semel subactus deficit, non libertatis amans dicendus est, sed seruus contumax.* Atque ipse Iosephus ad eosdem: *Honestum quidem est pugnare pro libertate, sed id olim factum oportuit. At qui victi semel sunt & longo tempore paruerunt, si iugum excutiant, faciunt quod desperatorum hominum est, non quod libertatem amantium.* Et hoc ipsum Cyrus olim Armenio regi dixerat, qui rebellioni suæ obtendebat libertatis pridem amissæ desiderium. Cæterum quin & regis longa patientia talis qualem suprà descripsimus, possit populo sufficere ad pariendam libertatem publicam, ex præsumta imperii derelictione, minimè dubitandum arbitror.

XV. Iura verò quæ non habent quotidianum exercitium, sed semel vbi commodum erit, vt luitio pignoris; item iura libertatis quibus actus is qui exercetur non est directè contrarius, sed ei inest vt pars suo integro; velut si quis per centum annos societatē cum vno duntaxat vicino habuerit, cum tamen habere & cum aliis posset, non amittuntur nisi ex quo tempore intercessit prohibitio aut coactio, eique paritum est cum sufficienti consensus significatione, quod cum non iuri ciuili tātum, sed & rationi naturali congruat, meritò locum habebit etiam inter summæ fortunæ homines.

CAP.

CAP. V.

De acquisitione originaria iuris in personas: vbi de iure parentum: de matrimoniis: de collegiis: de iure in subditos: seruos.

I. *De iure parentum in liberos:*
II. *Distinctio temporis infantiæ: & ibi de infantium dominio in res:*
III. *Temporis extra infantiam in familia:*
IV. *Ibi de iure coercendi liberos:*
V. *De iure vendendi liberos.*
VI. *Temporis extra infantiam & familiam.*
VII. *Distinctio potestatis parentum naturalis & ciuilis.*
VIII. *De iure mariti in vxorem.*
IX. *Insolubilitas & adstrictio ad vnam vxorem an sint necessaria ad matrimonium ex lege naturæ, an tantùm ex lege Euangelicâ.*
X. *Iure naturæ solo irrita non esse connubia ob defectum consensus parentum.*
XI. *Ex lege Euangelicâ irrita esse connubia cum alieno viro & vxore.*
XII. *Illicita & irrita esse iure naturæ connubia parentum cum liberis.*
XIII. *Connubia fratrum cum sororibus, item nouercæ cum priuigno, & soceri cum nuru, ac similia illicita & irrita esse iure diuino voluntario.*
XIV. *Non idem videri de connubiis cum propinquis vlterioris gradus.*
XV. *Posse esse quædam connubia & licita, quæ à legibus appellentur nomine concubinatus.*

XVI. Posse esse quædã connubia illicita contrahi, & tamen rata.
XVII. Ius maioris partis in quibusvis societatibus.
XVIII. Pari numero quæ sententia præualeat.
XIX. Quæ sententiæ diuidendæ aut coniungendæ.
XX. Absentium ius præsentibus accrescere.
XXI. Ordo quis inter pares, etiam reges.
XXII. In societatibus quæ fundamentum habent in re, sententius æstimandas secundùm partes quas quisque habet in re.
XXIII. Ius ciuitatis in subditos.
XXIV. An ciuibus à ciuitate discedere liceat, per distinctionem explicatur.
XXV. Ius ciuitati nullum in exsules.
XXVI. Ius ex consensu in filium adoptatum.
XXVII. Ius in seruos:
XXVIII. Quatenus in hoc iure dicatur inesse ius vitæ ac necis.
XXIX. Quid ex iure naturæ statuendum de his qui ex seruis nascuntur:
XXX. Seruitutis diuersa genera.
XXXI. Ius ex consensu in populum qui se subiicit.
XXXII. Ius ex delicto in personam.

I. NON in res tantùm, sed & in personas ius quoddã acquiritur, & originariè quidem ex generatione, consensu, delicto. Generatione parentibus ius acquiritur in liberos: vtrique inquam parentum, patri, ac matri: sed si contendant inter se imperia, præfertur patris imperium ob sexus præstantiam.

II. Distinguenda autem sunt in liberis tria tempora: primum tempus imperfecti iudicii, τὸ βουλευτικὸν ἀπο-
Pol. 1. c. vlt. Nic. IV. 3. Eth. V. c. 10. λοὺς, vt Aristoteles loquitur, dum abest προαίρεσις, vis electrix, vt idem alibi: secundùm tempus perfecti iudicii, sed dum filius pars manet familiæ parentum, ἕως ἂν μὴ χωρισθῇ, vt loquitur idem Aristoteles: tertium postquam ex ea familia excessit. In primo tempore omnes

omnes liberorum actiones sub dominio sunt parentum: æquum enim est, vt qui se regere non potest regatur aliunde. Æschyli dictum est:

ætas prima, ceu brutum pecus,
Vt educetur mentis alienæ indiget.

At alius naturaliter inueniri non potest cui regimen competat quàm parentes. Est tamen eo quoque tempore filius aut filia capax dominij in res ex iure gentium, sed exercitiũ impeditur ob eam quam diximus iudicii imperfectionem. Quare vt res omnes liberorum parentibus acquirantur non naturale est, sed ex quorundam populorum legibus, quę & patrem à matre in hac re distinguunt, & filios non emancipatos ab emancipatis, & naturales à legitimis: quæ discrimina natura ignorat; excepta ea quam dixi sexus præstantia, si imperia inter se contendant.

III. In secundo tempore cum iam iudicium ætate maturuit, subsunt parentum imperiis non aliæ actiones, quàm quæ ad familiæ paternæ aut maternæ statũ aliquid momenti habent. æquum enim est vt pars cõueniat cum ratione integri. In cæteris autem actionibus habent tum liberi ἐξουσίαν, id est facultatem moralem agendi, sed tenentur tamen in illis quoque studere semper, vt parentibus placeant. Verùm hoc debitum cum non sit ex vi facultatis moralis, vt illa superiora, sed ex pietate, obseruantia & gratiæ rependendæ officio, non efficit vt irritum sit siquid contrà sit factum, sicut nec irrita est donatio rei à quocunque domino facta contra parsimoniæ regulas.

IV. In vtroque hoc tempore ius regendi, etiam ius coercendi complectitur, quatenus nempe vel cogendi sunt ad officium liberi, vel emendandi. De grauioribus autem pœnis quid sit sentiẽdum, alibi erit agendi locus.

V. Quanquam verò imperium paternum, ita sequitur ipsam patris personam, ac θέσιν, vt auelli transferriqúe in alium non possit, potest tamen naturaliter, & vbi lex ciuilis non impedit, pater filium oppignorare, & si necesse sit, etiam vendere, vbi alia ratio eum alendi non suppetit. Censetur enim ipsa natura ius dare ad id omne sine quo obtineri nõ potest quod ipsa imperat.

VI. In tertio tempore filius in omnibus est αὐτεξούσιος suiqúe iuris, manente tamen semper illo pietatis & obseruantiæ debito cuius causa perpetua est. Vnde sequitur regum actus irritos dici eo nomine non posse quòd parentes habeant.

VII. Quicquid extra hæc est, à lege est voluntaria quæ alibi est alia. Sic iure quod Deus Hebræis dedit maior erat potestas patris in filiam secum habitantem quàm in filium: nam illius vota ac promissa pater irrita facere poterat, huius non item. Sic patria quædam potestas propria erat ciuium Romanorum, etiam in filios qui familiæ propriæ capita erant, quamdiu emãcipati non erant. Qualem in liberos potestatem alios non habere ipsi Romani profitentur. Sextus Empiricus Pyrrhoniorum tertio: Οἱ Ῥωμαίων νομοθέται τοὺς παῖδας ὑποχειρίους καὶ δούλους τῶν πατέρων κελεύουσιν εἶναι· καὶ τῆς οὐσίας τῶν παίδων μὴ κωλεύειν τοὺς παῖδας, ἀλλὰ τοὺς πατέρας, ἕως ἂν ἐλευθερίας οἱ παῖδες τύχωσι κατὰ τοὺς ἀρχαιονικήτους. παρ' ἑτέροις δὲ ὡς τυραννικὸν τοῦτο ἀκβέβληται. *Legum Romanarum auctores liberos in manu parentum ad instar seruorum esse voluerunt; neque suorum bonorum ipsos esse dominos, sed parentes, donec manumittantur eo modo quo mancipia solent: quod alii vt tyrannicum repudiant.* Simile patrium ius apud Persas, vt tyrannicum accusat Aristoteles: quæ ideo à nobis afferuntur, vt accuratè distinguamus ciuilia à naturalibus.

Num. XXX 2.3.4.5.

Inst. de patr. potest. §. Ius autem.

Lib. VIII. Nic. c. 12.

VIII. Ex

VIII. Ex consensu ius in personas quod oritur, aut ex consociatione venit, aut ex subiectione. Consociatio maximè naturalis in coniugio apparet: sed ob sexus differentiam imperium non est commune, sed maritus vxoris caput, nempe in rebus coniugii, & in reb⁹ familiæ. nam vxor pars fit familiæ maritalis. Ideo de domicilio cōstituere ius est marito. Siquid vltrà iuris maritis conceditur, vt lege Hebræa ius rescindendi quæuis vota vxoris, apud populos nonnullos ius vendendi bona vxoria, non à natura est, sed ab instituto. Exigit hic locus, vt videamus quid sit de natura coniugii. Coniugium igitur naturaliter esse existimamus talem cohabitationem maris cum femina, quæ feminam constituat quasi sub oculis & custodia maris. nam tale consortium, & in mutis animantibus quibusdam videre est. In homine verò, qua animans est vtens ratione, ad hoc accessit fides qua se femina mari obstringit. *Eph. V. 23.*

IX. Nec aliud vt coniugium subsistat natura videtur requirere. sed nec diuina lex ampliùs videtur exegisse ante Euangelii propagationem. Nam & viri sancti ante legem plures vna vxores habuerunt, & in lege præcepta quædam dantur his qui plures vna habeant, & regi præscribitur, vt nec vxorum nec equorum nimiam sibi adsciscat copiam, & Dauidi Deus imputat quod vxores ei complures & quidem illustres dedisset. Sic & dimittere vxorem volenti modus præscribitur, nec dimissam ducere quisquam impeditur, præter eum qui dimisit & principem sacerdotem. At Christi lex, vt res alias, ita & hanc coniugii inter Christianos ad perfectiorem redegit normam, ex qua & qui dimisisset vxorem non adulteram, & qui duxisset dimissam adulterii, reos pronuntiat: & Apostolus eius atque interpres Paulus, non viro tantùm ius *Deut. XXI. 15. Deut. XVII. 16. 17. II. Sam. XII. 8. Deut. XXIV. 4. Matth. V. 32. XIX. 9.*

dat in corpus vxoris, quod & in naturali statu procedebat (ὁ γὰρ μιγνύμενος κατὰ νόμον ἀφροδίτης παντὸς ἄρχει τοῦ σώματος τῆς συνούσης, inquit Artemidorus; id est, *qui connubii lege feminæ coniungitur, is in corpus eius dominium habet:*) sed & vxori viciſſim in corpus mariti. Scio à pleriſque exiſtimari in vtroque hoc capite non nouam à Chriſto conditam legem, ſed reſtitutam quam Deus Pater rerum primordio condiderat; in quam ſentẽtiam adduxiſſe eos videntur ipſa Chriſti verba, vbi ad primordium illud nos reuocat: ſed reſponderi poteſt ex prima illa conditione qua vni mari feminam non niſi vnam Deus attribuit, ſatis apparere quid optimum ſit Deoque gratiſſimum; & hinc ſequi ſemper id fuiſſe egregium ac laudabile: non tamen vt aliter facere nefas eſſet: quia vbi lex non eſt, ibi non eſt legis tranſgreſſio. at lex de ea re nulla illis temporibus exſtabat. Sic etiam cùm dixit Deus ſiue per Adamum, ſiue per Moſem, tantum eſſe fedus matrimonii, vt vir parentis familiam relinquere debeat, quo nouam cum vxore familiam conſtituat; idem fermè dixit quod Pharaonis filiæ dicitur Pſal. XLV. 11. *Obliuiſcere populi tui, & domus patris tui.* Et ex hac tam arctæ amicitiæ inſtitutione ſatis apparet Deo gratiſſimum eſſe, vt perpetua ſit ea coniunctio: non tamen eo euincitur à Deo iam tũc imperatum nequa de cauſa fedus illud ſolueretur. At Chriſtus quod Deus inſtitutione coniunxerat id ab homine ſeparari vetuit, ex eo quod optimum Deoque acceptiſſimum eſt digniſſimam lege noua deſumens materiam. Pleraſque gentes certum eſt antiquitus vt diuortiorũ libertate, ita plurium feminarum coniugio vſas. Propè ſolos barbarorum Germanos ſingulis vxoribus contentos ſuo tempore fuiſſe Tacitus memorat: idque paſſim oſtendunt hiſtoriæ tum Perſarum tum Indorum. Sed & apud Græcos Cecrops primus,

1. Cor. VII. 4.

De moribus Germ.

primus, teste Athenæo, μίαν ἐνὶ ἔζευξεν, *vnam feminam vni marito attribuit.* quod tamen ne Athenis quidem diu obseruatum, Socratis, & aliorum exemplo docemur. Quod si qui populi continentius egerunt, vt Romani semper duabus vxoribus, diuortio diu abstinuerunt, laudandi sunt sane, vt qui ad id quod optimum est accesserint: non tamen inde sequitur peccasse qui fecerunt aliter ante promulgatam Euangelij vocem.

X. Nunc quæ rata sint iure naturæ coniugia videamus: in quo diiudicando meminisse debemus, non omnia quæ iuri naturæ repugnant irrita fieri iure naturæ, vt exemplo prodigæ donationis apparet; sed ea demum in quibus deest principium dans validitatem actui, aut in quibus vitium durat in effectu. Principiũ & hic & in aliis actibus humanis vnde ius oritur, est ius illud quod facultatem moralem interpretati sumus, simul cum voluntate sufficiente. quæ voluntas sit sufficiens ad ius producendum infra melius tractabitur, vbi de promissis in genere agetur. Super facultate morali quæstio oritur de parentum consensu, quem ad validitatem coniugii quasi naturaliter quidam requirunt: Sed in eo falluntur. Nam quæ adferunt argumenta nihil aliud probant quam officio filiorum conueniens esse vt parentum consensum impetrent: quod plane concedimus cum temperamento, nisi manifestè iniqua sit parentum voluntas. Nam si in omnibus reb⁹ filii reuerentiam parentibus debent, certè præcipuè eã debent in eo negotio q̃ ad gentem totam pertinet, quale sunt nuptiæ. Sed hinc non sequitur ius illud q̃ facultatis aut dominii nomine explicatur deesse filio. Nã qui vxorẽ ducit & maturæ esse debet ætatis, & extra familiam abit, ita vt hac in re regimini familiari nõ

subiiciatur. Solum autem reuerentiæ officium non efficit, vt nullus sit actus qui ei repugnat. Quod autem à Romanis aliisque constitutum est, vt quædam nuptiæ quia consensus patris deficit irritæ sint, non ex natura est, sed ex iuris conditorum voluntate. Nam & eodem iure mater, cui tamen naturaliter liberi reuerentiam debent, suo dissensu matrimonium irritum non facit: ac ne pater quidem filii emancipati: & si pater ipse sit in patris sui potestate, in filii nuptias & auus & pater consentire debent: filiæ, aui auctoritas sufficit. quæ discrimina naturali iuri incognita satis ostendunt venire hæc ex iure ciuili. In sacris litteris videmus quidem pios viros multoque magis mulieres (quarum verecundiæ maxime conuenit hac in re alieno arbitrio stare, quo & illa pertinent quæ priore ad Corinthios de elocanda virgine legimus) in contrahendis nuptiis secutos auctoritatem parentum: sed non tamen irritum pronuntiatur Esaui coniugium, aut liberi illegitimi, quia sine tali auctoritate nuptias contraxerat. Quintilianus ius strictum, & quidem naturale, respiciens, sic ait. *Quod si licet aliquando etiam contra patris voluntatem ea quæ alioqui reprehensionem non merentur filio facere; nusquam tamen libertas tam necessaria quam in matrimonio est.*

L. Filiæ emancipatus. D. de ritu nupt. L. Oratione. §. nepote. D. eo. tit.

L. In coniunctione. C. de nuptiis. VII. 36.

Genes. XXXVI.

Decl. 257.

XI. Cum ea quæ alteri nupta est matrimonium haud dubiè irritum est, lege quidem naturæ, nisi vir prior eam dimiserit: tamdiu enim durat eius dominium: lege autem Christi, donec mors vinculum dissoluerit. Irritum autem est ideo, quia & facultas moralis deest sublata per prius matrimonium, & omnis effectus est vitiosus. Singuli enim actus contrectationem habent rei alienę. Vicissim ex Christi lege irritum est coniugium cum eo qui maritus sit alterius mulieris, ob ius illud quod Christus feminæ pudicitiam seruanti

quanti dedit in maritum.

XII. De coniugiis eorum qui sanguine aut affinitate iunguntur satis grauis est quęstio, & non raro magnis motibus agitata. Nam causas certas ac naturales, cur talia coniugia, ita vt legibus aut moribus vetantur, illicita sint, assignare qui voluerit, experiendo discet quàm id sit difficile, imo præstari non possit. Nam quam Plutarchus attulit in quæstionibus Romanis, & Augustinus sequitur de Ciuitate Dei, libro XV. cap. 16. de latius spargendis amicitiis per diffusas affinitates, non tanti est ponderis, vt quod contra fiat irritum aut illicitum censeri debeat. Neque enim quod minus vtile est statim & illicitum est. Adde quod accidere potest, vt huic qualicunque vtilitati alia maior vtilitas repugnet, neque eo duntaxat casu quem Deus in lege Hebræis data excepit vbi vir quispiam sine prole obiit, cui non dissimile est quod de virginibus ex asse heredib. quas ἐπικλήρους vocant, & Hebræo & Attico iure constitutum est, ad conseruandas scilicet in familia res auitas, sed aliis multis qui aut conspici solent, aut excogitari possunt. Ab hac generalitate eximo matrimonia parentum cuiuscunque gradus cum liberis, quæ quominus licita sint, ratio (ni fallor) satis apparet. Nam nec maritus qui superior est lege matrimonii, eam reuerentiam potest præstare matri quam natura exigit, nec patri filia; quia quanquam inferior est in matrimonio, ipsum tamen matrimonium talem inducit societatem quæ illius necessitudinis reuerentiam excludat. Bene Paulus Iurisconsultus cum dixisset in contrahendis matrimoniis naturale ius & pudorem inspiciendum, addidit contra pudorē esse filiam suam vxorem ducere. Talia igitur coniugia haud dubitandum quin & illicita sint, & irrita insuper, quia vitium perpetuo effectui adhæret. Neq;

Qu. 101.

L. Adoptiuus. §. Seruiles D. de ritu nupt.

mouere nos debet Diogenis & Chrysippi argumentum à gallis gallinaceis aliisque animantibus mutis petitum, quo probare volebant commixtiones tales non esse contra ius naturæ. Nam vt initiò libri diximus, satis est si cum natura humana quid pugnet, vt illicitum habeatur. Et hoc est incestum quod iure gentium committi scripsit Paulus Iurisconsultus inter gradus ascendentium & descendentium. Hoc est ius illud quod Xenophon ait non eò minùs ius esse, quia à Persis contemnebatur. Naturale enim rectè dicitur, interprete Michaele Ephesio ad Nicomachia, τὸ ὡς ἐπὶ τοῖς πλείοσι καὶ ἀδιαφόροις καὶ κατὰ φύσιν ἔχουσι: *quod apud plerosque, non corruptos, sed naturæ conuenienter se habentes obtinet.* Atque hîc mirari libet Socratis commentum apud Xenophontem, qui in coniugiis talibus nihil culpandum inuenit, præter ætatis disparitatem: vnde aut sterilitatem ait sequi, aut malè conformatam sobolem: quæ sola ratio si tali coniugio obstaret, certè nec irritum esset, nec illicitum, non magis quàm inter alias personas, quarum ætas tot annis distat, quot annis parentes liberos solent præcedere. Illud potius disquirendum, an non in hominibus nulla praua educatione corruptis, præter id quod intellectu concipi posse iam diximus, insit ipsis affectibus insita fuga quædam commixtionis cum parentibus & ex se natis, quippe cùm ab ea etiam quędam animantia muta naturaliter abhorreant.

L. vlt. de ritu nupt.

Sect. IV.

XIII. Sequitur quæstio de gradibus affinitatis omnibus, & de gradibus sanguinis ex transuerso limite, iis præsertim qui Leuitici cap. XVIII. expressi leguntur. Nam etiam concesso à mero iure naturæ non venire hæc interdicta, videri tamen possunt præcepto diuinæ voluntatis hæc iuisse in vetitum: neque verò tale id esse præceptum quod solos Hebræos adstringat, sed

quod

quod homines vniuersos, colligi videtur ex illis Dei verbis apud Mosem. *Ne polluite vos vlla harum rerum: quia omnibus istis polluti sunt populi, quos vobis aduenientibus dispelo.* Mox: *Ne facite vllam ex istis rebus abominandis: nam omnes istas fecerunt indigenæ terræ istius quæ vobis exposita est, vnde polluta est terra.* Nam si Cananæi eorumque vicini peccarunt talia faciendo, sequitur vt lex aliqua præcesserit: quæ cùm merè naturalis non sit, restat vt à Deo data sit, aut ipsis peculiariter (quod non est verisimile, nec satis ferunt verba) aut humano generi, siue in prima constitutione, siue in restauratione post diluuium. Tales autem leges quæ humano generi vniuerso sunt datæ, non videntur à Christo abrogatæ, sed eæ demum quæ Iudæos ab aliis nationibus quasi sepimento interiecto disparabant. Cui accedit, quòd Paulus coniugium priuigni cum nouerca tam seuerè detestatur: cùm tamen nullum de ea re peculiare exstet Christi præceptum; nec ipse alio vtatur argumento quàm quòd talis commixtio impura habeatur à profanis etiam gentibus, quod verum esse præter alia ostendunt Charondæ leges quæ tale matrimonium infamia notant: quæ communis existimatio si à necessario naturæ dictato originem non habuit, omnino sequitur, vt descendat ex veteri traditione quæ à diuino aliquo præcepto manarit. Hebræi veteres non spernêdi hac in parte iuris diuini interpretes, & q omnia eorum legit summoque iudicio digessit Moses Maimonides, aiunt earum legum quæ capite Leuit. XVIII. de matrimoniis sunt proditæ causas esse duas: priorem naturalem quandam verecundiam quæ non sinat ortus auctores cum sua sobole, aut in se ipsis, aut etiam per personas sanguine, aut nuptiali sanguinis cõmixtione proximè cohærentes misceri: alteram verò, ne quarundam personarum conuictus nimis quotidianus

Leuit. XVIII. 24. 25. 27.

Eph. II. 14.

1. Cor. VII. 25.

nus atque inobseruatus stupris & adulteriis occasionem daret, si amores tales nuptiis possent conglutinari. Quas duas causas si cum iudicio aptare velimus illis quas dixi diuinis in Leuitico legibus, facilè apparebit in affinibus qui in recto sunt limite (vt de parentibus & liberis nihil iam dicam, quippe quos, vt existimo, etiam sine expressa lege ratio naturalis iungi satis vetat) item in sanguinis gradu transuersorum primo qui ob ortum à stirpe communi secundus dici solet, ob recentem admodum parentum in liberis imaginē, priorem causam valere, vt venientem de eo quod natura si nō præcipit, certè honestius dictat; cuius generis multa materiam diuinarum, humanarumque legum faciunt. Atque ideo Hebræi in recto limite gradus etiam non nominatos à lege volunt comprehendi ob notissimam rationis paritatem. Istorum autem graduum hæc sunt apud ipsos nomina. Mater matris suæ: mater patris matris suæ: mater patris sui: mater patris patris sui: vxor patris patris sui: vxor patris matris suæ: nurus filii sui: nurus filij filij sui: nurus filiæ suæ: filia filiæ filij sui: filia filij filij sui: filia filiæ filiæ suæ: filia filij filiæ suæ: filia filiæ filij vxoris suæ: filia filiæ filiæ vxoris suæ: mater matris patris vxoris suæ: mater patris matris vxoris suæ: id est, vt more loquar Romano, auiæ & proauiæ omnes, pronouercæ, proneptes, propriuignæ, pronurus, prosocrus: quia scilicet & sub agnationis nomine comprehendatur similis cognatio, & sub primo gradu secundus, & sub secundo tertius, vltra quem vix est, vt oriri controuersia possit, cùm alioqui, si posset, in infinitum eadem futura esset ratio. Has autem leges, & ne fratres sororibus miscerentur, ipsi Adamo censent datas Hebræi simul cum lege de Deo colendo, iure dicendo, non fundendo sanguine, non colendis Diis falsis, non rapienda re aliena: sed ita vt leges illæ coniugales

gales vim suam non exsererent, nisi post multiplicatum iam satis humanum genus, quod ipso initio sine fratrum & sororum nuptiis contingere nequiuit. Neque referre putant quòd id à Mose suo loco narratum non sit: quia satis habuit hoc in lege ipsa tacitè indicasse, cùm gentes extraneas eo nomine damnat. Multa enim talia esse in lege quæ non temporis ordine, sed ex occasione dicantur; vnde illa inter Hebræos celebris sententia: In lege non esse prius aut posterius: id est, multa referri ὕστερον πρότερον. De connubio fratrum & sororum verba hæc sunt Michaëlis Ephesij ad quintum Nicomachiorum: τὸν ἀδελφὸν μίγνυσθαι τῇ ἀδελφῇ ἐξ ἀρχῆς μὲν ἀδιάφορον ἦν· νόμου δὲ τεθέντος μὴ μίγνυσθαι πολὺ τὸ διάφορον. *Fratrem cum sorore concumbere ab initio res media erat: at lege aduersus tales concubitus posita, iam multùm refert obseruetur lex necne.* Omnes autem fratres & sorores cõprehendi lex ipsa indicat, tam agnatos quàm cognatos eius gradus, siue foris, siue domi natos atque educatos comprehendens. *Vide Caiet. in Matt. c. 19.*

XIV. Quæ manifesta expressio ostendere videtur discrimen quod est inter hos & alios remotioris gradus. Nam ducere amitam agnatam vetitum est: quod Hebræorum interpretatio ad vxorem fratris patris ex matre, & ad vxorem fratris matris, siue ex patre, siue ex matre, id est ad omnes θείων vxores porrigit: At filiam fratris, qui par est gradus, ducere vetitum non est: imò eius facti exstant exempla. *Noua nobis in patrum filias coniugia: at aliis gentibus solennia, nec lege vlla prohibita,* inquit Tacitus. Rationem adferunt Hebræi, quia viri iuuenes assiduè frequentant domos auorum & auiarum, aut etiam in iis habitant simul cum amitis aut materteris: ad domos verò fratrum minus frequens ipsis est aditus, nec ibi tantundem habent iuris. Quæ si recipimus, vt sanè rationi sunt consentanea, fatebimur *Annal. XII.*

legem

legem de non ducendis affinibus recti gradus, & ſororibus, ex quo multiplicari cœptum eſt humanum genus eſſe perpetuam: & hominibus communem, vt quæ honeſtati naturali nitatur, ita vt & irritum fiat ſi quid factum ſit aduerſus hanc legem ob vitium permanens: at cæteras leges non item, vt quæ cautionem magis contineant, quæ cautio etiam aliis modis adhiberi poteſt. Nec difficilis eſt reſponſio ad id quod diximus de peccato imputato Cananæis & finitimis populis. Poteſt enim locutio vniuerſalis reſtringi ad præcipua eius capitis, vt de concubitu cum maſculis, cũ beſtiis, cum parentibus, cum ſororibus. Nam de ſingulis partibus ne intelligatur, argumento eſſe poteſt interdictum de non ducendis ſororibus duabus: quod in commune datum olim humano generi fuiſſe Iacobi pietas, qui contra fecit, credere nos non ſinit. Rectè tamen fecerunt Chriſtiani veteres, qui leges non illas tantum in commune datas, ſed alias peculiariter Hebræo populo ſcriptas ſponte ſua obſeruarunt: imo & ad gradus quoſdam vlteriores protenderunt verecũdiæ ſuæ fines, vt hac quoque in virtute non minus quam in cæteris Hebræos antecederent. Atque id pridem factum magno conſenſu ex canonibus apparet. Auguſtinus de patruelium & conſobrinorum coniugiis inter Chriſtianos loquens: *Raro*, inquit, *per mores fiebat quod fieri per leges licebat, quia id nec diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana: veruntamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti.* Hanc morum verecundiam leges regum ac populorum ſecutæ ſunt. ſicut Theodoſij conſtitutio patruelium & conſobrinorum coniugia vetuit, laudante id factum vt pietatis plenum Ambroſio. Sed ſciendum ſimul eſt non quod vetitum eſt fieri lege humana, ſi fiat, irritum quoque eſſe, niſi & hoc lex addiderit aut ſignificauerit: & id ſi ſit, ta-

De ciuit. Dei lib. XV. c. 16.

Epiſt. 66.

sit, tamen non in alios valiturum quam qui legi ita subiacent, vt ab ea cogi possint. nam irritum facere coactionis est species.

XV. Vt ad alia pergamus, obseruandum & hoc est, concubinatum quendam verum ac ratum esse coniugium, etsi effectibus quibusdam iuris ciuilis propriis priuetur, aut etiam effectus quosdam naturales impedimento legis ciuilis amittat. Exempli causa, inter seruum & ancillam iure Romano contubernium esse dicitur, non matrimonium. attamen ad ipsam coniugii naturam nihil deest in tali consociatione. Sic inter hominem liberum & ancillam concubinatus dicitur, non matrimonium: quod deinde imitatione quadam ad alias personas disparis qualitatis productum est: vt Athenis inter ciuem & peregrinam, vnde Seruius ad illud Virgilij,

Suppositos de matre nothos furata creauit:

nothos interpretatur materno genere ignobiles & obscuros. Atqui sicut in statu naturæ inter tales coniugium verum esse potuit, si femina esset sub custodia maritali, & fidem marito dedisset; sic etiam in statu legis Christianæ verum erit inter seruos & ancillam, aut liberum & seruam coniugium; multoque magis inter ciuem & peregrinam, Senatorem & libertam, si quæ iure diuino Christiano sunt necessaria accedant, scilicet indissolubilis vnius cum vna coniunctio, etiamsi effectus quidam legis ciuilis non sequantur, aut lege impediantur. Atque hunc in sensum capienda sunt verba concilij Toletani primi. *Cæterum is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur: tamen vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ vt ei placuerit, sit coniunctione contentus.*

XVI. Imo etiã si lex humana coniugia inter certas personas contrahi prohibeat, non ideo sequetur irritum

tum fore matrimonium si reipsa contrahatur. Sunt enim diuersa, prohibere, & irritum quid facere, nam prohibitio vim suam exserere potest per pœnam vel expressam vel arbitrariam: & hoc genus leges imperfectas vocat Vlpianus quæ fieri quid vetant, sed factum non rescindunt. qualis erat lex Cincia quæ supra certum modum donare verabat, donatum nō rescindebat. Scimus apud Romanos postea Theodosii lege inductum, vt si quid lex prohibuerit tantùm, non etiam specialiter dixerit inutile esse debere quod contrà factum est, id ipsum tamen cassum, inutile ac pro infecto sit, nimirum si in iudicium res deueniat. sed hæc extensio non fit ex vi solius prohibitionis, sed ex vi nouæ legis, quam alii populi sequi necesse non habent. Sæpe enim indecentia est maior in actu, quàm in effectibus: sæpe etiam incommoda quæ rescissionem sequuntur maiora quàm ipsa indecentia, aut incommodum actus ipsius.

Instit. tit. 1.

L. non dubium. C. de legibus.

XVII. Consociationes præter hanc maximè naturalem sunt & aliæ tum priuatæ tum publicæ: & hæ quidem aut in populum aut ex populis. Habent autē omnes hoc commune, quòd in iis rebus ob quas consociatio quæque instituta est, vniuersitas, & eius pars maior nomine vniuersitatis obligāt singulos qui sunt in societate. Omnino enim ea credenda est fuisse voluntas in societatem coeuntium, vt ratio aliqua esset expediendi negotia: est autem manifestè iniquum, vt pars maior sequatur minorem: quare naturaliter, seclusis pactis ac legibus quæ formam tractandis negotiis imponunt, pars maior ius habet integri. Appianus: ἔστι δ' ἐν πεζομαχίαις καὶ δίκαις ἀεὶ τὸ πλέον δικαιότερον: *tam in comitiis quàm in iudiciis vincit pars maior.* Dionysius Halicarnassensis similiter, ὅ, τι ἂν δόξῃ τοῖς πλείοσι τοῦτο νικᾷν, *quod pluribus visum id valere.* Et alibi: ὅ, τι δ' ἂν οἱ πλείους φῶσι

Vict. de potestate ciuili, n. 14.

φοι καθαιρῶσι πόδα ποιεῖν. Item: ὅ, τι ἂν αἱ πλείους γνῶμαι καθαιρῶσι τοῦτο εἶναι κύριον. Aristoteles: κύριον τὸ τῆς πλείοσι δόξαν. *Lib. VII. Polit. 6. c. 2.*

XVIII. Quòd si pares sint sententiæ, nihil agetur: quia ad mutationem non satis momẽti est: qua de causa vbi pares sunt sententiæ, reus absolutus intelligitur. quod ius Mineruæ calculum Græci vocant ex fabula de Oreste: quæ res apud Æschylum Furiis, & apud Euripidem Oreste & Electra tragœdiis tractatur: & possessor rem tenet: quæ ratio non malè obseruata est à scriptore problematum quæ Aristoteli asscribuntur, sectione XXIX. In Senecæ controuersia quadam est: *Aliter iudex damnat, alter absoluit: inter dispares sententias mitior vincat.*

XIX. Sed hîc quæstio oriri solet de coniungendis aut diuidendis sententiis: qua de re ex mero iure naturali, id est si pactio aut lex aliud non præcipiat, distinguendum videtur inter sententias quæ totis rebus differunt, & inter eas quarum altera partem alterius continet, vt hæ coniungendæ sint in eo quo conueniunt, illæ non item. Sic qui in viginti damnant, & qui in decem, coniungentur in illo decem aduersus sententiam absoluentem. At qui morte reum puniunt, & qui relegant, non coniungentur, quia diuersa hæc sunt, & in morte non est relegatio. Sed nec absoluentes cum relegantibus coniungentur, quia etsi non interficiendum reum consentiunt, id tamen non est illud ipsum quod dicit sententia, sed per consequentiam inde elicitur: at qui relegat non absoluit. Quare rectè Plinius, cum tale quid in Senatu euenisset, tantam dixit sententiarum esse diuersitatem, vt nõ possent esse nisi singulæ; & paruulum referre, an idem displiceret, quibus non idem placuisset. Et Polybius notat à Postumio prætore fraudem factam in rogandis *Lib. VIII. epist. ad Aristonem.* *Excerpt. leg.*

gandis sententiis, cùm eos qui captiuos Græcos damnandos, & qui ad tempus retinendos censebant, cõtra absoluentes coniungeret.

XX. Addendum & hoc; si qui absentiâ, aut aliter impediti iure suo vti non possunt, eorum ius interim accrescere præsentibus: quod Seneca in Controuersia quadam exsequitur: *Puta te seruum esse communem: huic domino seruies qui præsens est.*

Lib. III.

D. De Albo scribendo.

XXI. Naturalis autem ordo inter socios hic est, prout quisque in societatem venit. Sic inter fratres is seruatur ordo, vt qui primus natus est reliquos præcedat, atque ita deinceps, reiectis aliis omnibus qualitatibus. ἴσοι γάρ, inquit Aristoteles, πλὴν ἐφ' ὅσον ταῖς ἡλικίαις διαλλάττουσι, *pares enim sunt fratres, nisi quatenus ætas eos distinguit.* Theodosius & Valens in constitutione de ordine inter Consules seruando: *Quis enim in vno eodemque genere dignitatis prior esse debuerat, nisi qui prior meruit dignitatem?* Atque hic mos antiquitus in Christianorum quoque regum ac populorum societate obtinuit, vt qui primi Christianismum professi sunt, in conciliis ad rem Christianam pertinentibus præcedant cæteros.

L. 1. C. de Cons. lib. 12.

XXII. Illud tamen addendum est; quoties societas fundamentum habet in re quam nõ æqualiter omnes participant, vt si in hereditate aut fundo alius dimidiam partem habeat, alius tertiam, alius quartam, tunc non tantùm ordinem sumendum ex modo participationis, sed & sententias ad eum modum, id est mensoria, vt loquuntur, proportione æstimandas. quod sicut naturali æquitati conuenit, ita Romanis quoque legibus probatum est.

L. Maiorem partem. D. de pactis. L. Si plures. D. depositi. L. Cùm bona. D. de rebus auct. iud. possid.

XXIII. Consociatio qua multi patres familiarum in vnum populum ac ciuitatem coeunt maximum dat ius corpori in partes: quia hæc perfectissima est societas:

tas: neque vlla est actio hominis externa, quæ non ad hanc societatem, aut per se spectet, aut ex circumstantiis spectare possit. Et hoc est quod ab Aristotele est proditum: τὰς νόμους ἀπαγορεύειν περὶ ἁπάντων, leges de omnis generis rebus præcipere. *Moral. V. 3.*

XXIV. Solet hîc illud quæri, an ciuibus de ciuitate abscedere liceat venia non impetrata. Scimus populos esse vbi id non liceat, vt apud Moschos: nec negamus talibus pactis iniri posse societatem ciuilem, & mores vim pacti accipere. Romanis legibus, saltem posterioribus, domicilium quidem transferre licebat: sed non eo minus qui transtulerat municipii sui muneribus obligabatur. Verùm in quos id constitutum erat, ii manebant intra fines imperii Romani: atque ea ipsâ constitutio specialem spectabat vtilitatem tributariæ præstationis. At nos quid naturaliter, si nihil aliud cõuenerit, obtinere debeat quærimus: nec de parte aliqua, sed de tota ciuitate siue vnius summi imperii cõplexu. Et sanè gregatim discedi non posse satis expeditum est ex necessitate finis, quæ ius facit in moralibus. nam id si liceat, iam ciuilis societas subsistere non possit. De singulorum discessione alia res videtur, sicut aliud est ex flumine aquam haurire, aliud riuum diducere. *De sua cuique ciuitate statuendi facultas libera est*, ait Tryphonin[9]. Cicero pro Balbo laudat ius illud: *ne quis in ciuitate maneat inuitus*, & *fundamentum* vocat *libertatis, sui quemq; iuris & retinendi & dimittendi esse dominum*. Tamen hîc quoq; seruãda est regula naturalis æquitatis, quam Romani in priuatis societatibus dirimendis secuti sunt, vt id non liceat si societatis interest. Semper enim, vt rectè inquit Proculus, non id quod priuatim interest vnius ex sociis seruari solet, sed quod societati expedit. Intererit autem societatis ciuilis non abire ciuem si magnum contractum sit æs alienum, *L. Filii. D. ad Municipalem.* *L. in bello. D. de capt. & postl.* *L. actione. §. Labeo. D pro socio.*

nisi paratus sit ciuis in præsens partem suam exsoluere: item si fiducia multitudinis bellum sit susceptum, præsertim si obsidio immineat, nisi paratus sit ciuis ille alium æquè idoneum substituere qui rempublicam defendat. Extra hos casus credibile est ad liberam ciuium discessionem consentire populos, quia non minùs ex ea libertate commodi sentire aliunde possunt.

XXV. Sic in exules nullum ius ciuitati. Heraclidæ Argis eiecti ab Eurystheo, per tutorem suum Iolaum, sic loquuntur apud Euripidem:

Quo iure iam nos ad Mycenæos trahat,
Eadem agentes vrbe quos vrbe expulit?
Nunc ergo ciues non sumus.

Iam verò plurium populorum, siue per se, siue per capita sua consociatio fedus est, de cuius natura & effectu locus agendi erit vbi ad obligationem ex pacto erit deuentum.

XXVI. Subiectio ex consensu, aut priuata est, aut publica. Subiectio priuata ex cõsensu esse potest multiplex, sicut multiplicia sunt regiminum genera. Nobilissima species est arrogatio, qua quis se ita dat in familiam alterius, vt ei subsit ad eum modum quo filius qui maturæ est ætatis subest patri. Pater autem filium suum eo modo dare alteri non potest, vt ius paternum plenè in eum transeat, & ipse paterno officio exsoluatur. id enim natura non finit: sed potest filium alteri commendare, & alendum dare quasi substituendo.

XXVII. Subiectionis species ignobilissima est, qua quis se dat in seruitutem perfectam, vt illi apud Germanos qui nouissimo aleæ iactu de libertate contendebant: *Victus voluntariam seruitutem adit*, ait Tacitus. Est autem seruitus perfecta quæ perpetuas operas debet, pro alimentis & aliis quæ vitæ necessitas exigit: quæ

De moribus Germ.

res

res si ita accipiatur in terminis naturalibus, nihil habet in se nimiæ acerbitatis. nam perpetua ista obligatio compensatur perpetua illa alimentorum certitudine, quam sæpe non habent qui diurnas operas locant, vnde accidit sæpe quod dixit Eubulus:

ἐθέλει δ' ἄνευ μισθοῦ παρ' αὐτοῖς καταμένειν
ὅπῃ σιτίοις.
Manere apud illos voluit, mercedis carens,
Victu contentus.

Idem Comicus alibi:

πολλοὶ φυγόντες δεσπότας, ἐλεύθεροι
ὄντες, πάλιν ζητοῦσι τιὼ αὐτιὼ φάτνιω.
Qui se fugitiui gesserunt pro liberis,
Multi recurrunt pristina ad præsepia.

Sic in historiis notabat Possidonius Stoicus, multos olim fuisse qui suæ imbecillitatis conscii sponte se aliis in seruitutem darent: ὅπως παρ' ἐκείνων τυγχάνοντες τῆς εἰς ἀναγκαῖα ἐπιμελείας, αὐτοὶ πάλιν ἀποδιδῶσιν ἐκείνοις δι' αὐτῆς ἅπερ ἂν ὦσιν ὑπηρετεῖν δυνατοί: *Vt domini quidem ipsis prouiderent de necessariis, ipsi verò operam vicißim quam possent præstarent.* Exemplum addunt alii in Mariandynis qui eandem ob causam seruos se fecerint Heracleotarum.

XXVIII. Ius autem vitæ ac necis (de plena & interna iustitia loquor) domini in seruos non habent: nec quisquam homo hominem iure potest interficere, nisi is capital commiserit. Sed quorundam populorum legibus dominus quacunque de causa seruum interfecerit impune fert, vt vbique reges qui liberrimam habent potestatem. Hac comparatione ante nos vsus est Seneca: *Si seruo quominus in nomen meriti perueniat, necessitas obest & patiendi vltima timor, idem istud obstabit, & ei qui regem habet, & ei qui ducem, quoniam quanquam sub dispari titulo paria in illos licent.* Cùm tamen haud dubiè ser- *Lib. III. de Benef. c. 18.*

uus à domino iniuriam possit accipere, vt rectè affirmat idem Seneca. sed agendi impunitas impropriè ius dicitur. Quale ius & Solon parentibus in liberos concesserat, & veteres Romanorum leges. Sopater: ἐξῆν πατρὶ ὄντι τοὺς παῖδας ἀνελεῖν· ἔξεστιν ἐὰν ἁμάρτῃ τι, καὶ ὅτι ὁ νόμος τοῦτο εἰδὼς ὡς εἰλικρινὴς γένοιτ' ἂν δικαστὴς ὁ πατὴρ τοῦτο προέταξεν. *Licuit ipsi pater cùm esset, filios interficere: nempe si quid peccatum esset. nam lex ipsi id permisit, ideo quia credidit integrum iudicem fore.*

Lib. III. de Benef. c. 22.

Sextus Empiricus Pyrrhonic. III.

XXIX. De his qui ex seruis nascuntur, difficilior inspectio est. Romano iure & iure gentium circa captiuos, vt dicemus alibi, vt in bestiis, ita in seruilis conditionis hominibus partus matrem sequitur. quod tamen iuri naturali non satis congruit, vbi pater aliqua ratione sufficiente cognosci potest. nam cum in mutis animantibus patres non minus quàm matres fœtuum curam gerant, hoc ipso ostenditur fœtum vtriusque esse communem. Sic ergo si lex ciuilis hac de re tacuisset, partus nõ minus patrem sequeretur quàm matrem. Ponamus ergo, quò minor sit difficultas, vtrumque parentem seruitutem seruire; & videamus an naturaliter partus seruilis futurus sit conditionis. Certè si alia nulla fuerit ratio educãdi partum, potuerunt parentes prolem sibi nascituram in seruitutem secum addicere; quippe cum tali ex causa etiam in libertate natos vendere parentibus liceat. Sed cum hoc ius naturaliter ortum ducat ex ipsa necessitate, extra eã non est ius parentibus prolem suam cuiquam addicere. quare ius dominorum in prolem seruilem hoc casu nascetur ex ipsa alimentorum & eorum quæ vitæ necessaria sunt præbitione: ac proinde cum diu alendi fuerint è seruis nati, antequam opera eorum domino vtilis esse possit, & sequentes operæ sui temporis alimentis respondeant; effugere ita natis seruitutem

Less. lib. V. c. 5. dub. 5.

non

non licebit, nisi pro alimentis quantum satis est reddant. Certe si immanis sit domini sæuitia, seruos illos etiam qui ipsi se in seruitutem dederunt, fuga consulere sibi posse probabilis sententia est. Nam quod Apostoli & antiqui canones seruis edicunt ne se dominis subtrahant, generale est, & eorum errori oppositum qui omnem subiectionem, tam priuatam quàm publicam reiiciebant, vt pugnantem cum Christiana libertate.

1. Cor. VII. 21. Gal. VI. 5 Coloss. III. 22. Tit II. 9. 1. Pet. II. 18. c. si quis seruum. 17. q. 4.

XXX. Præter perfectam seruitutem de qua iam egimus, sunt & imperfectæ, vt quæ aut in diem sint, aut sub conditione, aut ad res certas. Talis est libertorum, statuliberorum, nexorum, addictorum, adscriptorum glebæ, septẽ annorum seruitus apud Hebræos, & altera annorum quinquaginta: Penestarum apud Thessalos: eorum quos manus mortuas vocant, ac postremo mercenariorum: quæ discrimina aut à legibus aut à pactionibus pendent. Imperfecta seruitus naturaliter etiam esse videtur eius qui altero parente liberæ, altero seruilis conditionis sit natus, ob eam quã supra diximus causam.

XXXI. Publica subiectio est qua se populus homini alicui, aut pluribus hominibus, aut etiam populo alteri in ditionem dat. Formulam talis subiectionis in exemplo Capuæ suprà adduximus. Similis est illa populi Collatini. *Deditisne vos populum Collatinum, vrbem, agros, aquam, terminos, delubra, vtensilia, diuina humanaque omnia in meam populique Romani ditionem? Dedimus. Et ego recipio.* Quo alludens Plautus Amphitruone ait:

Deduntq; se, diuina humanaque omnia, vrbem, & liberos
In ditionem atque in arbitratum cuncti Thebano poplo.

Sed hæc perfecta subiectio est: sunt & aliæ minus perfectæ, aut habendi modo aut quoad imperandi plenitudinem

tudinem, quarum gradus peti possunt ex his quæ suprà
Lib. 1. c. 3. à nobis dissertata sunt.

XXXII. Ex delicto subiectio etiam non accedente cõsensu nascitur, quoties qui meruit libertatem amittere, ab eo cui pœnæ exigendæ ius est in potestatem vi redigitur. Cui autem ius sit pœnæ exigendæ videbimus infrà. Possunt autem hunc in modum subijci non
Cic. pro Cecin. singuli tantum priuata subiectione: vt Romæ qui ad dilectum non respondebant, & incensi: postea & fœminæ, quæ se seruo alieno iunxissent: sed & populi publica ex publico delicto. Hoc interest quòd populi seruitus per se perpetua est, quia successio partium non impedit quo minus vnus sit populus. At singulorum seruitus pœnalis personas non egreditur; quia noxa caput sequitur. Vtraque autem seruitus tam priuata quàm publica pœnalis esse potest, aut perfecta aut imperfecta pro modo meriti & inflictæ pœnæ. De seruitute verò tam priuata quàm publica quæ ex iure gentium oritur voluntario, infrà dicendi erit locus vbi ad effectus belli erit ventum.

CAPVT VI.

De acquisitione deriuatiua facto hominis, vbi de alienatione imperii, & rerum imperii.

I. *Vt alienatio fiat quid requiratur in dante:*
II. *Quid in accipiente.*
III. *Imperia alienari posse interdum à rege, interdum à populo.*
IV. *Imperium in partem populi alienari parte inuita à populo non posse:*

V. Nec

V. Nec ipsam partem in se imperium posse alienare, nisi in summa necessitate:
VI. Causa diuersitatis.
VII. Imperium in locum posse alienari.
VIII. Reijcitur sententia statuens ob vtilitatem aut necessitatem rectè à rege imperij partes alienari.
IX. Infeudationem & oppignorationem sub alienatione contineri.
X. Etiam ad alienandas iurisdictiones minores requiri populi consensum, aut specialem, aut per consuetudinem.
XI. Patrimonium populi à regibus alienari non posse.
XII. Distinguendas res quæ in fructu sunt patrimonij à rebus patrimonij.
XIII. Partes patrimonii oppignorari à regibus quatenus possint, & cur?
XIV. Testamentum alienationis esse speciem & iuris naturalis.

I. ACQVISITIONE deriuatiua nostrum fit aliquid facto hominis aut legis. Homines rerũ domini, vt dominium, aut totum, aut ex parte transferre possint, iuris est naturalis post introductum dominiũ: inest enim hoc in ipsâ dominij, pleni scilicet, naturâ. Duo tantum notanda sunt, alterum in dante, alterum in eo cui datur. In dante, non sufficere actum internum voluntatis, sed simul requiri, aut verba, aut alia signa externa: quia actus internus, vt alibi diximus, non est congruens naturæ societatis humanæ. Vt verò traditio etiam requiratur, ex lege est ciuili. quæ quia à multis gentibus recepta est, ius gentium impropriè dicitur. Sic alicubi vsurpatum videmus, vt professio apud populum, aut magistratum, & relatio in acta requiratur; quæ omnia ex iure esse ciuili certissimum est. Actus autem voluntatis quæ signo exprimitur, intelligi debet voluntatis rationalis. *Soto lib. IV. q. 5. art. 1.* *Less. l. II. c. 3. dub. 3.*

II Vicissim in eo cui res datur, sepositalege ciuili, requiritur naturaliter voluntas accipiendi, cum suo signo. quæ voluntas ordinarie sequitur dationem, sed potest & præcedere, puta si quis quid dari, aut concedi sibi petierat. censetur enim durare voluntas nisi mutatio appareat. Cętera quæ tum ad iuris cōcessionem, tum ad acceptionem requiruntur, & quomodo fieri vtrumque possit, infra in capite de promissis tractabimus. nam in hoc alienandi & promittendi par est ratio, iure quidem naturali.

III. Sicut autem res aliæ, ita & imperia alienari possunt ab eo cuius in dominio verè sunt; id est, vt suprà ostendimus, à rege, si imperium in patrimonio habeat: alioquin à populo, sed accedente regis consensu; quia is quoque ius aliquod habet, quale vsufructuarius, quod inuito auferri non debet. Et hæc quidem procedunt de toto imperio summo.

IV. In partis alienatione aliud insuper requiritur, vt etiam pars de qua alienanda agitur consentiat. Nā qui in ciuitatem coeunt, societatem quandam contrahunt perpetuam & immortalem, ratione partium quę integrantes dicuntur: vnde sequitur has partes non ita esse sub suo corpore, vt sunt partes corporis naturalis, quæ sine corporis vita viuere non possunt, & ideo in vsum corporis rectè abscinduntur. Hoc enim corpus de quo agimus alterius est generis, voluntate contractum scilicet; ac propterea ius eius in partes ex primæua voluntate metiendum est, quæ minime credi debet talis fuisse, vt ius esset corpori partes & abscindere àse, & alii in ditionem dare.

V. Sic vicissim parti ius non est à corpore recedere, nisi euidenter se aliter seruare non possit: nam, vt supra diximus, in omnibus iis quę humani sunt instituti, excepta videtur necessitas summa quæ rem reducit

ad

ad merum ius naturæ. Augustinus de Ciuit. Dei, lib. XVIII. *In omnibus fere gentibus vox est quodammodo naturæ, vt subiugari hostibus malint victoribus quam bellicæ omnifariæ vastatione deleri.*

VI. Atque hinc satis intelligi potest, cur hac in re maius sit ius partis ad se tuendam quam corporis in partem: quia pars vtitur iure quod ante societatem initam habuit, corpus non item. Nec dicat mihi aliquis, imperium esse in corpore tanquam in subiecto, ac proinde alienari ab eo posse vt dominium. Est enim in corpore, vt subiecto adæquato, non diuisibiliter in plura corpora, sicut anima est in corporibus perfectis. Necessitas autem quæ ad ius naturæ rem reducit, hîc locum habere non potest; quia in eo iure naturæ vsus quidem comprehendebatur, vt esus, detentio, quæ sunt naturalia, at non alienandi ius, quod facto humano introductum est, atque ideo inde mensuram accipit.

VII. At imperium in locum, id est pars territorii, puta non habitata aut deserta, quo minus à populo libero alienari possit, aut etiam à rege, accedente populi cõsensu, quid obstet non video. nam populi pars quia liberam habet voluntatem, ius quoque habet contradicendi: at territorium, & totum, & eius partes sunt communia populi pro indiuiso, ac proinde sub arbitrio populi. At imperium in populi partem, si alienare populo non licet, vt iam diximus, multo minus regi imperium etsi plenum habenti, attamen non plene, vt supra distinximus.

VIII. Quare subscribere non possumus Iurisconsultis, qui ad regulam de non alienandis imperii partibus adiiciunt exceptiones duas, de publicâ vtilitate, & de necessitate: nisi hoc sensu, vt vbi eadem est vtilitas communis, & corporis, & partis, facile ex silentio

Belluga in pr. spec. in rub. 8. p. 3. & 4. Roch. de Curte de Consuetud. q. 5. col. 6. tom. 1. & alii allegati à Vasq. l. 1 c. 9.

to etiã non longi temporis, consensus & populi & partis interuenisse videatur, facilius vero si etiam necessitas appareat. At vbi manifesta est in cõtrarium voluntas, aut corporis, aut partis, nihil actum debet intelligi, nisi, vt diximus, vbi pars à corpore coacta est abscedere.

Smith. de rep. Ang. c. 9. Buch. in Batolo. Froiss. l. 1. c. 214. & 246. Monstrel. in hist. c. 22. 5. Guic. lib. XVI.

IX Sub alienatione meritò comprehenditur & infeudatio, sub onere commissi ex felonia aut deficiente familiâ. Nam & hæc est conditionalis alienatio. Quare videmus à pluribus populis irritas habitas vt alienationes, ita infeudationes regnorum, quas populis inconsultis reges fecerant. Populum autem consensisse intelligimus, siue totus coijt, quod olim apud Germanos & Gallos fieri solebat; siue per legatos partium integrantium mandatu sufficiente instructos. Nam facimus & quod per alium facimus. Sed nec pignori dari pars imperii poterit, nisi consensu simili: non ea tantum ex causa, quod ex pignoris datione sequi alienatio soleat, sed quod & rex teneatur populo ad exercendum per se summum imperium, & populus partibus suis, ad conseruandum hoc exercitium in sua integritate, cuius rei gratia in societatem ciuilem coitum est.

Cranet. cõs. 94. n. 2. Zoannet. de Rom. Imp. n. 162.

X. Minores verò functiones ciuiles quo minus populus etiam iure hereditario possit concedere nihil obstat, cum ea corporis summique imperij integritatem nihil imminuant. Inconsulto verò populo rex id nõ potest, si maneamus intra terminos naturales: quia iuris temporarij, quale est regum electorum, aut lege succedentium ad imperium, effectus nisi pariter temporarii esse non possunt. Potuit tamen populi, vt expressus consensus, ita tacitus consuetudine introductus, qualem nunc passim vigere cernimus, id ius regibus tribuere.

XI. Pa-

XI. Patrimonium quoque populi, cuius fructus destinati sunt ad sustentanda reipublicæ, aut regiæ dignitatis onera, à regibus alienari, nec in totum, nec in partem potest. Nam & in hoc ius maius fructuario non habent. Nec admitto exceptionem, si res modicum valeat, quia quod meum non est, eius nec exiguam partem alienare mihi ius est: sed in rebus modicis quam in magnis consensus populi ex scientia & ex silentio facilius præsumitur. Quo sensu & ad res patrimonii publici aptari possunt quæ de necessitate & vtilitate publicâ, in alienandis imperij partibus, supra diximus, tantoque magis quia momenti minoris res hîc vertitur. Est enim patrimonium imperij causa constitutum.

Albericus in c. intellectus. de iureiur. Bart. in l. prohibens. §. Plane. D. quod vi. Corset. in tract. de excel. regis. q. 4. Ioannes all. à Vasc. c. 5. Natta cons. 367. Bonifac. Rug. cons. 49. n. 43.

XII. Sed in eo falluntur multi, quod res quæ in fructu sunt patrimonii, cum rebus patrimonii confundant. Sic ius alluuionum in patrimonio esse solent, ipsæ res quas fecit alluuio in fructu: ius vectigalia exigendi in patrimonio, pecunia ex vectigalibus procedens in fructu: ius confiscandi in patrimonio, fundi confiscati in fructu.

XIII. Partes autem patrimonij pignori opponi ex causa possunt à regibus qui plenum habent imperium, id est, qui ius habent ex causa tributa noua indicendi. Nam sicut populus tributa ex causa indicta soluere tenetur, ita & rem ex causa pignori oppositam luere. Luitio enim ista tributi quædam est species. Est autem populi patrimonium regi pro debitis populi pignoris iure obligatum. Potest autem pignori dari etiam res mihi pignorata. Quæ autem dicta sunt à nobis hactenus, ita locum habent nisi lex imperio addita, aut regis, aut populi potestatem magis, aut auxerit, aut contraxerit.

L. Grege. §. cum pignori. D. de pignor.

XIV. Illud quoq; sciendum est, cũ de alienatione agimus,

agimus, sub eo genere nobis etiam testamentum comprehendi. Quanquam enim testamentum vt actus alij, formam certam accipere possit à iure ciuili, ipsa tamen eius substantia cognata est dominio, & eo dato iuris naturalis. Possum enim rem meam alienare non pure modò, sed & sub conditione; nec tantum irreuocabiliter, sed & reuocabiliter, atque etiam retentâ interim possessione & plenissimo fruendi iure. Alienatio autem in mortis euentum, ante eam reuocabilis, retento interim iure possidendi ac fruendi, est testamentum. Quod verò alicubi externis testamentum facere non conceditur, id non est ex iure gentium, sed ex iure proprio illius ciuitatis, & ni fallor, ab illa veniēs ætate qua externi quasi pro hostibus habebantur: itaque apud moratiores populos meritò exoleuit.

CAPVT VII.

De acquisitione deriuatiua quæ fit per legem, vbi de successionibus ab intestato.

I. *Leges ciuiles quasdam iniustas esse, ac proinde dominium non transferre, vt quæ naufragorum bona fisco addicunt.*

II. *Lege naturæ rem acquiri ei qui alienum accepit ad debiti sui consecutionem: quod quando locum habeat.*

III. *Origo successionis ab intestato quomodo à natura.*

IV. *An aliquid de bonis parentum liberis debeatur iure naturæ per distinctionem explicatur.*

V. *In successione liberos defuncti parentibus præferri, & cur,*

VI. *Origo*

VI. Origo vicariæ successionis, quæ repræsentatio dicitur.
VII. De abdicatione & exheredatione.
VIII. De iure liberorum naturalium.
IX. Liberis deficientibus, vbi nec testamentum nec lex certa exstant, bona auita deferenda his à quibus venerunt, aut eorum liberis.
X. Bona nouiter quæsita proximis.
XI. Legum circa successiones diuersitas.
XII. In regnis patrimonialibus qualis sit successio.
XIII. Si ea regna sint indiuidua, præferri maximum natu.
XIV. Regnum ex populi consensu hereditarium in dubio indiuiduum esse:
XV. Non durare vltra posteros primi regis:
XVI. Non pertinere ad liberos naturales tantùm:
XVII. In eo mares præferri feminis in eodem gradu:
XVIII. Inter mares præferri natu maximum:
XIX. An tale regnum pars sit hereditatis:
XX. Præsumi in regno talem successionem institutam qualis in aliis rebus in vsu erat tempore regni inchoati: siue regnum fuerit allodiale:
XXI. Siue feudale.
XXII. Successio linealis cognatica quæ sit, & qualis in ea transmissio iuris.
XXIII. Successio linealis agnatica qualis.
XXIV. Successio qua semper respicitur proximitas ad primum regem.
XXV. An exheredari possit filius ne in regnum succedat.
XXVI. An abdicare quis regnum possit pro se & pro liberis.
XXVII. Iudicium propriè dictum de successione, nec regis esse, nec populi.
XXVIII. Filium qui ante patris regnum natus est pòst nato præferendum:
XXIX. Nisi alia lege delatum regnum appareat.
XXX. An nepos ex filio priore filio posteriori præferatur, per distinctio-

stinctionem explicatur.

XXXI. *Item an minor frater superstes regis maioris fratris filio præferendus sit.*

XXXII. *An fratris filius regis patruo præferatur.*

XXXIII. *An nepos ex filio præferatur filiæ regis.*

XXXIV. *An minor nepos ex filio nepoti maiori ex filia.*

XXXV. *An neptis ex maiore filio præferatur filio minori.*

XXXVI. *An filius sororis præferendus filiæ fratris.*

XXXVII. *An filia fratris maioris fratri minori.*

I. LEGE quæ fit acquisitio deriuatiua, siue alienatio, fit aut lege naturæ, aut lege gentium voluntariâ, aut lege ciuili. De lege ciuili non agimus, id enim infinitum foret, & præcipuæ de bellis controuersiæ ex lege ciuili non definiuntur. Tantùm notandum est leges quasdam ciuiles esse planè iniustas, vt quæ bona naufragorum fisco addicunt. Nulla enim causa præcedente probabili dominium alicui suum auferre mera iniuria est. Bene Euripides Helena:

Auth. naufragia. C. de furtis.

Ναυαγὸς ἥκω ξένος, ἀσύλητου γένος.

Sum naufragus, spoliare quod genus est nefas.

L. 1. C. de naufr. lib. XII.

Quod enim ius habet fiscus (verba sunt Constantini) *in aliena calamitate, vt in re tam luctuosa compendium sectetur?*

II. Lege naturæ, quæ ex ipsa dominii natura ac vi sequitur, dupliciter fit alienatio, expletione iuris & successione. Expletione iuris fit alienatio, quoties id quod meum nondum est, sed mihi dari debet, aut loco rei meæ, aut mihi debitæ, cùm eam ipsam consequi nõ possum, aliud tantundem valẽs accipio ab eo qui rem meam detinet, vel mihi debet. Nam iustitia expletrix quoties ad idem non potest pertingere, fertur ad tantundem, quod est morali æstimatione idem. Dominium autem hoc modo transferri probatur à fine, quæ in moralibus optima est probatio. Neque enim iuris

Sylu. in verbo Bellum, p. 2. qu. 13.

mei

mei explementum consequi potero, nisi dominus fiam. Frustra enim erit rei detentio, si ea vti pro arbitrio non possum. legibus quidem ciuilibus scimus vetitum esse sibi ius dicere; adeo quidem vt vis dicatur, siquis quod sibi debitum est, manu reposcat, & multis in locis ius crediti amittat qui id fecerit. Imo etiamsi lex ciuilis hoc non directè prohiberet, ex ipsa tamen iudiciorum institutione sequeretur hoc esse illicitum. Locum ergo habebit quod diximus vbi iudicia continuè cessant; quod quomodo contingat explicauimus supra: vbi vero momentanea est cessatio, licita quidem erit acceptio rei, puta si alioqui nunquam tuum recuperare possis, aufugiente forte debitore. Sed dominium à iudicis addictione erit expectandum, quod fieri solet in repressaliis, de quibus infra erit agendi locus. Quod si ius quidem certum sit, sed simul moraliter certum per iudicem iuris explementum obtineri non posse, puta quia deficiat probatio; in hac etiam circumstantia, cessare legem de iudiciis, & ad ius redi- ri pristinum verior sententia est.

L. Si exstipulatione. D. de acq. poss. l. 2. hac actione. D. vi bon. rapt. l. Extat. D. quod metus l. creditor. l. fin. D. ad l. Iul. de vi priu. Thom. 2. 2. 66. art. 80. L. Generalii. C. de Decur. l. siquis curialis. C. de ep. & cler. DD. in l. Quintus Mutius, alias, l. quãuis alienũ. in fin. D. ad l. Aquil. Bart. in tr. repress. q. 59.

III. Successio ab intestato quæ dicitur, posito dominio, remota omni lege ciuili, ex coniectura voluntatis naturalem habet originem. Nam quia dominij ea vis erat, vt domini voluntate transferri in alium posset, etiam mortis causa ac retenta possessione, vt supra diximus, siquis voluntatis suæ nullam edidisset testationem, cum tamen credibile non esset eius eum mentis fuisse, vt post mortem suam bona occupanti cederent, sequebatur vt eius esse bona intelligerentur, cuius ea esse voluisse defunctum maxime erat probabile. *Defunctorum voluntatem intellexisse*, inquit Plinius iunior, *pro iure est.* Creditur autem in dubio id quisque voluisse quod æquissimum atque

Soto de Iust. q. 3. art. 2. Caiet. d. q. 66.

Lib. IV. ep. 10.

honestissimum est. In hoc autem genere prima est causa eius quod debetur, proxima eius quod etsi non debetur, officio congruit.

Franc. Tiscin. de stat. exc. fem. n. 133. Mench. in auth. nouissima. C. de inoff. test. n. 296. Tell. Fernandes in l. 10. Tauri. n. 9. 4.

IV. Disputant Iurisconsulti an alimenta à parentibus liberis debeantur. Nam quidam sentiunt esse quidem naturali rationi satis consentaneum, vt à parentibus alantur liberi, debitum tamen non esse. Nos omnino distinguendum arbitramur in voce debiti, quod strictè interdum sumitur pro ea obligatione, quam inducit ius expletorium, interduum laxius, vt significet id quod nisi inhonestè omitti non potest, etiamsi honestas illa non ex iustitiâ expletrice, sed ex alio fonte proficiscatur. Hoc sensu debitum dixit Valerius: *Parentes nos alendo*, inquiens, *nepotum nutriendorum debito alligarunt*. Qui dat formam dat quæ ad formam sunt necessaria, dictum est Aristotelis: quare qui causa est vt homo existat, is quantum in se est, & quantum necesse est prospicere ei debet, de his quę ad vitam humanam, id est naturalem ac socialem, nam ad eam natus est homo, sunt necessaria. Ea de causa, instinctu scilicet naturali, cætera quoque animantia proli suæ quantum necesse est alimenta suppeditant. Vnde Apollonius quod ab Euripide erat dictum:

ἅπασι δὴ ἀνθρώποισιν ἡ ψυχὴ τέκνα.

Cunctis hominibus liberi vita altera.

ita emendabat:

ἅπασι δὲ ζώοισιν ἡ ψυχὴ τέκνα.

Animantibus quasi vita sunt partus sui.

Hinc Iurisconsulti veteres liberorum educationem ad ius naturale referunt, id est ad illud quòd cùm instinctus naturæ aliis quoque animantibus commendat, nobis ipsa præscribit ratio. *Naturalis stimulus*, vt Iustinianus loquitur, id est, στοργὴ, *parentes ad liberorum educationē hortatur*. Idem alibi: *Filium vel filiam alere patri necesse est*

Inst. de iure nat. in pr. l. Ius naturale. D. de iust. & iure.

est propter ipsam naturã. Diodorus Siculus: ἀγαθὴ γὰρ ἡ φύσις διδάσκαλος ἅπασι τοῖς ζῴοις ὑπὲρ τοῦ διατηρεῖν οὐ μόνον ἑαυτὴν, ἀλλὰ καὶ τὴν γενωμένων, διὰ τῆς συγγενοῦς φιλοζωίας τὰς διαδοχὰς εἰς ἄπειρον ἄγουσα διαμονῆς κύκλον. *Optima quippe magistra natura est cunctis animantibus non tantùm ad sui, sed & ad prolis suæ conseruationem, vt cognata hac caritate continua successio ad æternitatis circulum peruenat.* Et quia naturale est ho debitum, ideo etiam vulgò quæsitos alere mater debet. Et quanquam ex damnato legibus concubitu natis nihil relinqui leges Romanæ volebant, canones Christianæ pietatis hunc rigorem correxerunt, qui docent qualibuscumque liberis id rectè relinqui, quod ad alimenta necessarium est. Nec aliter capiendum quod dici solet, legitimam humanis legibus tolli non posse, quatenus scilicet in legitima insunt alimenta necessaria. Nam quod suprà est, tolli potest non repugnante natura. Ali autem debent non tantùm liberi primi gradus, sed & secundi, si ita res ferat, & vlterioris: quod ostendit Iustinianus cùm non filios tantùm, sed & qui deinceps sunt, alendos propter ipsam naturam pronuntiat: quod ad eos etiam producitur qui per mulieres ex nobis veniunt, si aliunde ali non possunt.

L. vn. §. taceat. versi. leat. C. de rei vx. act. l. vlt. C de bon. quæ lib. § ipsum.

L. Si quis §. Ergo. D de agn. liberis.

c. Cùm haberet. de eo qui dux. quam poll. adult.

§ Ipsum. l. vlt C. de iur. qua lib. l. Si quis. §. Sed vtrum, & §. Item Diuus Pius. l. non quemadmodum. D. de ag. lib. Diog. Laert. in Solõ.

V. Debentur quidem & parẽtibus alimenta; quod non legibus tantùm proditum est, sed & vulgari proverbio ἀντιπελάργειν. adeò quidem vt laudetur Solon, quòd qui id non facerent eos notarit infamia. Sed nõ hoc æquè est ordinarium atque illud quod de liberis diximus; nam liberi cùm nascuntur nihil secum afferunt vnde viuant: adde quòd viuendum diutius habent quàm parentes: atque ideo sicut honor & obsequium parentibus debetur, non liberis, ita educatio liberis magis quàm parentibus: quo sensu accipio illud Luciani: καὶ πῶς ἡ φύσις τοῖς πατράσι τοὺς παῖδας μᾶλλον ἢ τοῖς

ἢ τοῖς παισὶ τοὺς πατέρας ἐπιτάττει φιλεῖν. *Magis natura iubet à parentibus liberos, quàm à liberis parentes diligi.* Et illud Aristotelis: μᾶλλον συνῳκείωται τὸ ἀφ' οὗ τῷ γεννηθέντι, ἢ τὸ γεννώμενον τῷ ποιήσαντι· τὸ γὰρ ἐξ αὐτοῦ οἰκεῖον τῷ ἀφ' οὗ. *Magis afficitur causa gignens erga genitum, quàm genitum erga gignentem. Nã quod ex aliquo ortum est, id ei quasi proprium est.* Hinc fit vt etiam citra auxilium legis ciuilis, prima bonorum successio liberis deferatur; quia creduntur parentes illis, vt corporis sui partibus, non tantùm de necessariis, sed & de his quæ ad vitam suauius honestiusq́; transigendam pertinent quàm vberrimè voluisse prospectum, ab eo maximè tempore quo ipsi rebus suis frui non possent. *Ratio naturalis*, inquit Paulus Iurisconsultus, *quasi lex quædam tacita liberis parentum hereditatem addicit, velut ad debitam successionem eos vocando.* Papinianus verò: *Non sic parentibus liberorum, vt liberis parentum debetur hereditas. Parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittit: liberos naturæ simul, & parentium commune votum*; id est, liberos hereditas sequitur partim quidem ob præcisum debitum naturale, partim ex coniectura naturali qua parentes creduntur id velle, vt liberis quàm optimè prospectum sit. Huc spectat illud Apostoli Pauli: οὐ γὰρ ὀφείλει τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσι θησαυρίζειν, ἀλλ' οἱ γονεῖς τοῖς τέκνοις. *Non enim liberi parentibus, sed parentes liberis rem congerere & seruare debent.*

Nic. VIII.

L. Cùm ratio. D. de bon. dam.

I. Cor. XII. 14.

VI. Quia verò & hoc ordinarium est, vt pater materq́ue liberis suis prospiciant, ideo dum illi exstant aui auiæque ad alimenta danda teneri non intelliguntur: vbi illi eorumve alter defecerit, æquum est vt auus auiaq́ue, pro mortuo filio filiaq́ue curam suscipiant nepotum ac neptium: quod & in parentibus longius remotis pari ratione procedit. Atque hinc ortum traxit ius illud, vt nepos filii loco succedat, quẽadmodum Vlpianus loquitur. Id Modestinus dixit,

L. Si qua pœna. D. de iis qui s. v. al. iur. s.

τὸν τοῦ

τὸν τοῦ πατρὸς ἀποθανόντος τόπον πληροῦν. Iustinianus, τὴν πατρῴαν ὑπεισιέναι τάξιν. Isæus oratione de Philoctemonis hęreditate hoc ipsum vocat ἐπανιέναι. Philo Iudęus: υἱωνοὶ γὰρ πατέρων ἀποθανόντων ἐν υἱῶν τάξει παρὰ πάπποις καταριθμοῦνται. *Nepotes parentibus mortuis apud auos filiorum obtineāt locum.* Vicariam hanc successionem quæ per stirpes fit, repræsentationem vocare amant recentiores Iurisconsulti; quam valuisse etiam apud Hebræos, diuisio agrorum terræ Iacobi filiis promissæ, apertè satis ostendit.

L. 2. §. Nec totum. D. de exc. tut. Nouell. vt fratrum filii, in pr. Legatione ad Caium.

VII. Quæ autem diximus hactenus de coniectura voluntatis, ita locum habent, nisi in diuersum indicia suppetant. In hoc indiciorum genere primum habet locum abdicatio quæ Græcis, tum exheredatio quæ Romanis fuit vsitata. Ita tamen vt ei qui mortem peccatis suis meritus non est, alimenta necessariò debeantur ob eam quam suprà attulimus rationem.

VIII. Sed & illa regulæ exceptio addenda est, si non satis constet hunc illo esse genitum. Verum est de factis nullam esse certam perceptionem: sed ea quæ solent in hominum conspectu fieri sui generis certitudinem habent ex testimonio: quo sensu mater certa esse dicitur, quia inueniuntur qui quæve partui & educationi adfuerint: at de patre huius gradus certitudo haberi non potest, quod Homerus indicat dicens:

Οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γένος αὐτὸς ἀνέγνω.
Generis nemo sibi conscius ipse est.

Et eum sequutus Menander:

αὐτὸς γὰρ οὐδεὶς οἶδε πῶς ἐγείνατο.
Nemo ipse nouit quo sit exortus satu.

Qui & alibi:

ἔστιν δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρὸς,
ἡ μὲν γὰρ αὐτῆς οἶδεν υἱὸν, ὁ δ' οἴεται.

Mater teneriùs liberos adamat patre:
Quia mater esse scit suos, pater autumat.

Ideo ratio aliqua reperienda fuit qua probabiliter cõstaret quis esset partus cuiusque pater. Ea ratio est coniugium sumtum in terminis naturalibus, id est cõsociatio qua femina sub maris custodia constituitur. Sed etsi alio quouis modo constet quis fuerit pater, aut pater id pro explorato habuerit, naturaliter is partus non minus quàm alius quiuis succedet. Quidni, cùm etiam extraneus palam pro filio habitus, quem adoptatum vocant, succedat ex coniectura voluntatis? Naturales verò etiam post lege introductum eorum discrimen à legitimis:

(τῶν γνησίων γὰρ οὐδὲν ὄντες ἐνδεεῖς
νόμῳ νοσοῦσιν.
Notha parte nulla soboles legitima minor,
Sed lege premitur:

vt dixit Euripides) possunt tamen adoptari, nisi lex obstet. Atque id olim permittebat lex Romana Athanasij, sed postea in iusti matrimonij fauorem difficilior quædam ratio eos legitimis æquandi reperta est per curiæ oblationem, aut subsequens matrimonium. Exemplum veteris adoptionis naturalium est in Iacobi filiis, qui adæquati à patre sunt liberarum mulierum filiis, & æquis partibus hereditatem creuerunt. Contrà euenire potest non ex lege tantùm, sed & ex pactione, vt qui ex coniugio nati sunt, alimenta sola habeant, aut certè excludantur à præcipuâ hereditate. Coniugium tali pacto initum, etiam cum libera feminâ concubinatum Hebræi vocant, quale erat Abrahami cum Cethura, cuius liberi perinde, vt Ismael ancillæ Agaris filius, dona, id est legata quædam acceperunt; hereditatem autem non creuerunt. Tale est matrimonium ad morgengabicam quod dicitur:

L. iubemus. C. de natural. lib.

Gen. XXV. 6.

citur; à quo non longè abeunt secundæ nuptiæ apud Brabantos; nam rerum soli quæ exstabant cùm matrimonium prius solueretur, proprietas acquiritur prioribus liberis.

IX. Vbi desunt liberi, quibus naturaliter deferatur successio, minùs expeditum est, nec vlla in parte magis variant leges. Tota tamen varietas ad duos maximè fontes referri potest; quorum alter respicit proximitatem gradus, alter bona redire vult vnde venerãt; quod dici solet, Paterna paternis, materna maternis. Nobis omnino distinguendum videtur inter bona paterna auitaque, vt dici solebat in formula qua prodigo bonis interdicebatur, & inter nouiter quæsita, vt in illis locum habeat Platonis illud: ἐγὼ οὐ νομοθέτης ὢν οὐδ' ὑμᾶς ὑμῶν αὐτῶν εἶναι φημι, οὔτε τῷ οὐσίαν ταύτην, ξύμπαντος δὲ τοῦ γένους ὑμῶν, ὃ τι ἔμπροσθεν καὶ ἔπειτα ἐσομένου. *Ego legum conditor neque vos vestri iuris esse sciscо, neque patrimonium vestrum, sed totius vestri generis, tum quod fuit, tũ quod futurum est.* Qua de causa Plato κλῆρον πατρῷον saluum esse vult generi, vnde venit. Quod non ita accipi velim, quasi naturaliter de bonis paternis, auitisq; testari non liceat (sæpe enim indigẽtia amici alicuius efficit, vt id non laudabile modò sit, sed etiam necessarium) sed vt appareat quæ in dubio credenda sit fuisse voluntas intestati. Concedimus enim plenum dominium esse penes eum, de cuius voluntate agimus. Sed cùm post mortem dominium hoc retinere non possit, & omnino pro certo haberi debeat, noluisse eum perdere beneficii materiam, videndum est quis sit in beneficiis ordo maxime naturalis. Bene Aristoteles: εὐεργέτην ἀνταποδοτέον μᾶλλον ἢ ἑταίρῳ δοτέον. *Potius est gratiam referri ei qui benefecit, quàm amico conferre beneficiũ.* Et Cicero: *Nullum officium referenda gratia magis necessarium est.* Item: *Cum duo genera liberalitatis sint, vnum dandi*

beneficii, alterum reddendi, demus nécne, in nostra potestate est; non reddere bono viro non licet, si modò id facere possit sine iniu-
Off. l. c. 31. *riá.* Ambrosius: *Pulchrum est propensiorem haberi eius rationem qui tibi, aut beneficium aliquod, aut munus contulit.* Et mox: *Quid enim tam contra officium, quàm non reddere quod acceperis?* Gratia autem refertur, aut viuentibus, aut defunctis. Defunctis refertur gratia in eorum liberis, qui naturaliter pars sunt parentum, & quibus si viuerent parentes maximè vellent benefieri. Et hanc æquitatem sequuti sunt Iustinianei iuris conditores æquitatis studiosissimi in quæstione inter fratres plenos, & consanguineos, & vterinos, & aliis quibusdam. Aristoteles, ἀδελφοὶ ἀλλήλους φιλοῦσιν τῷ ἐκ τῶν αὐτῶν πεφυκέναι· ἡ γὰρ πρὸς ἐκεῖνα ταυτότης ἀλλήλους ταυτοποιεῖ. *Fratres se inuicem diligunt quatenus ex iisdem nati sunt; nam ortus communis ipsos quasi eosdem facit.* Quòd si non reperiatur is à quo proximè bona venerunt eiusve liberi, restat vt gratia referatur his quibus minus quidem, sed tamen post illum proximè debentur, id est parenti superioris gradus, eiusque liberis, præsertim cùm eo modo maneatur intra proximos, & eius de cuius hereditate agitur, & eius à quo proximè bona venerunt. Idem ille Aristoteles: ἀνεψιοὶ δὲ καὶ οἱ λοιποὶ συγγενεῖς ἐκ τούτων συνῳκειωμένοι· τῷ γὰρ ἀπὸ τῶν αὐτῶν εἶναι γίγνονται οἱ μὲν οἰκειότεροι, οἱ δὲ ἀλλοτριώτεροι. *Patrueles verò & cæteri cognati coniunguntur per parentes, quatenus ex iisdem ortum habent: ita vt alii coniunctiores sint, alii minus coniuncti pro ortus ratione.*

L. Quod satis. C. de bon. quæ lib. l. de emancipatis. §. Cùm enim. C. de legit. her. l. Sancimus. C. comm. de success. Nouell. de conf. & vter. frat.

X. At in bonis nouiter quæsitis quæ περιουσία τοῦ κλήρου Platoni, cùm cesset gratiæ referendæ officium; superest vt ei deferatur successio qui defuncto carissimus fuisse creditur. Is autem est qui gradu cognationis proximè defunctum attingit. Sic Iæus apud Græcos receptum ait: πῶς ἐγγυτάτω γένους πρὸς τὸν τελευτήσαντος γενήσεσθαι. *Defuncti bona ei cedere qui genere sit proximus.* addit: ἢ ἂν ἡ δικαιό-

τὸ δικαιότερον ἢ τοῖς συγγενέσι τὸ τῷ συγγενοῦς; *quid iustius quàm vt quæ cognati fuerunt, cognatis cedant?* Optimè, inquit Cicero, *societas hominum coniunctioq; seruabitur, si vt quisque erit coniunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum cõferatur.* Off. 1. Qui & alibi post liberos ponit bene conuenientes propinquos, vt & Tacitus; *Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit.* Idem Cicero alibi de cognatis agens: *Necessaria præsidia vitæ debentur his maximè.* Debẽtur scilicet non ex iure expletorio, sed κατ' ἀξίαν: Et alibi cũ de affectione erga propinquos egisset: *Ex hac animorum affectione,* subdit, *testamenta cõmendationesq; morientium natæ sunt.* Ambrosius quoque: *Est etiam illa probanda liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias.* De Off. 1. c. 30. Successio autem ab intestato de qua agimus, nihil aliud est, quàm tacitum testamentum ex voluntatis coniecturâ. Quod de bonis nouiter quæsitis diximus ea naturaliter proximis deferri, idem locum habebit in bonis paternis auitisque, si nec ipsi à quibus venerunt, nec eorum liberi extent, ita vt gratiæ relatio locum non inueniat.

XI. Hæc vero quæ diximus quamquam naturali cõiecturæ maximè sunt consentanea, non sunt tamen iure naturæ necessaria; ac proinde ex diuersis causis voluntatem humanam mouentibus, variari solent pactis, legibus, moribus: qui subitionem in locum in nonnullis gradibus admittunt, in aliis non admittunt; alibi distinguunt vnde bona veniant, alibi id insuper habent. Est vbi primogeniti plus postgenitis ferunt, vt apud Hebræos: est vbi inter se æquantur. Est vbi agnatorum habetur ratio, est vbi cognati quilibet cum agnatis tantundem ferunt. Etiam sexus alicubi momentum habet, alicubi non habet. quæ longum esset exsequi, nec instituti nostri. Illud tamen tenendum est, quoties voluntatis expressiora indicia nulla sunt, credi quemque id de sua successione

statuisse, quod lex aut mos habet populi, non tantum ex vi imperij, sed ex coniecturâ, quæ etiam in eos valet quorum in manu est summum imperium. Nam & hi probabiliter creduntur in rebus suis æquissimum iudicasse, quod aut legibus sanxerunt ipsi, aut moribus probant; in iis dico rebus in quibus de nullo ipsorum damno agitur.

XII. Sed in regnorum successione distingui debent regna quæ pleno modo possidentur, & in patrimonio sunt, ab his quæ modum habendi accipiunt ex populi cõsensu. quo de discrimine egimus suprà. Prioris generis regna diuidi possunt etiam inter mares & fœminas, vt in Ægypto & Britannia olim factum videmus: nec adoptati minus veris liberis succedent ex præsumta voluntate, vt Iugurtha nothus sed adoptatus successit in regno Numidico: sicut & in regnis quæ Gothi & Langobardi armis quæsierant, adoptionem valuisse legimus. Imò etiam ad eos proximos vltimi possessoris regnum perueniet, qui primum regem sanguine non attingunt, si talis successio in iis locis recepta sit.

Sallust. Bell. Iugurt. Cassiod. Paul. Diac. lib. VI. de gest. Langob.

XIII. Quòd si dictum sit ne diuidatur regnum, nec cui cedere debeat expressum sit, vt quisq; natu est maximus, mas aut fœmina, regnum habebit. Νομιζόμενον παρὰ πάντων ἀνθρώπων τὸν πρεσβύτατον τῶν ἀρχῶν ἔχειν, inquit Herodotus, *Mos omnium populorum est vt natu maximus imperium habeat.* Apud Trogum Pompejum, *Artabazanes maximus natu ætatis priuilegio regnum sibi vindicabat: quod & ordo nascendi, & natura ipsa gentibus dedit.* Idem alibi ius gentium vocat; quod intellige nisi pater aliud iusserit, vt Ptolomæus apud eundem Trogum. Qui autem in regno tali succedit, coheredibus tenebitur pro ipsorum partibus æstimationem rependere, si & quatenus id fieri potest.

Iust. lib. II. L. XXIV.

XIV. At

XIV. At ea regna quæ populi libero consensu facta sunt hereditaria, ex præsumpta populi voluntate deferuntur. Præsumitur autem populus id voluisse quod maxime expedit. Hinc primum illud nascitur, vt ni aliud lex aut mos ferat (sicut Thebis Bœotiis regnum fuisse inter mares diuiduum ex Oedipodis filiorum historia apparet,) indiuiduum sit regnum, quia id ad tuendum regnum & ciuium concordiam plurimum valet.

XV. Alterum, vt successio stet intra eos qui descendunt à primo rege: ea enim familia ob nobilitatem electa censetur, eaque finita regnum redire ad populum.

XVI. Tertio, ne succedant nisi qui nati sunt secúdum patriæ leges: non naturales tantum, quia ad contemptum patent, quorum matrem pater iusto coniugio dignatus non est, & præterea quia minus certi habentur: at in regnis expedit populo haberi maximam certitudinem quæ haberi potest ad vitandas controuersias: sed nec adoptiui, quia nobilitas generis verè regii magis reuerendos efficit reges, maiorque de eis spes concipitur:

Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus. *Hor. quarto Od.*

XVII. Quartum, vt inter eos qui pariter in hereditatem admitterentur, siue quia vnius sunt gradus, siue quia in parentum suorum gradum succedunt, præferantur mares fœminis; ideo quod mares tum ad bella, tum ad alias imperii partes magis idonei fœminis censentur.

XVIII. Quintum, vt inter mares aut inter fœminas, vbi mares deficiunt, præferatur natu maximus; quod is iudicio aut perfectior iam esse, aut prius futurus creditur. Quia vero hęc ętatis præstantia tẽporaria

est

est duntaxat, sexus autem perpetua, ideo sexus prærogatiua potior est quam ætatis. Sic Trogus dixit ad filiam pertinuisse Medorum imperium; quod nullum Astyagi virilis sexus genus erat. Sic ante Heraclidarum imperium apud Lacones Eurotæ successit Sparte filia, aut eius liberi, vt Tyndareo Helenæ liberi, quia mares filii non extabant, & Eurystheo in Mycenarum imperium successit Atreus eius auunculus, notante Thucydide. Eodem iure regnum Athenarum ad Creusam, Thebanum ad Antigonen deficientibus maribus peruenit. Vnde & illud intelligere datur, quanquam liberi nonnullis gradibus parentum præmortuorum vicem impleant id tamen duntaxat intelligendum, vt capaces sint iuxta cæteros, salua tamen sexus primum, deinde ætatis prærogatiuâ inter capaces. Nam qualitas & sexus & ætatis, quatenus in hac re à populo consideratur, ita personæ adhæret, vt auelli inde nequeat.

Paus. lib. III.

Lib. II.

XIX Quæritur an regnum, vbi hunc in modum defertur, pars sit hæreditatis. Et verius est esse hereditatem quandam, sed separatam ab aliorum bonorum hereditate, qualis hereditas peculiaris in feudis quibusdam, emphyteusi, iure patronatus & iure præcipui quod dicitur conspicitur. Vnde sequitur, vt regnum ad eum pertineat qui & bonorum heres esse possit si velit, sed ita vt etiam sine bonis & eorum onere possit adiri. Ratio est, quia populus regnum voluisse creditur quam optimo iure deferri; nec quicquam eius refert hereditasà rege adeatur nécne, cum hereditarium ordinem non ob hoc elegerit, sed vt certi quid esset, & reuerentia conciliaretur ex sanguine: simulque ex genere & educatione spes esset præclaræ virtutis, & regni possessor regnum magis curaret animosiusque defenderet, si id ipsum iis esset relicturus

quos

quos ipse ob acceptum beneficium, aut ob caritatem maximi faceret.

XX. Vbi verò mos succedendi diuersus est in allodiis & feudis, si regnum non sit feudale, aut certè primitus non fuerit, etiamsi postea hominium pro eo præstetur, succeditur ex lege, qua in allodiis succedebatur tempore regni instituti.

XXI. In iis autem regnis quæ primitus data sunt in feudum ab eo qui plenè dominus erat, sequenda erit lex successionis feudalis; non semper Langobardica illa quam perscriptam habemus, sed quæ in gente quaque recepta fuit quo tempore data est prima vestitura. Nam Gothi, Vandali, Hunni, Franci, Burgundiones, Angli, Saxones, nationes omnes Germanicæ, qui partes optimas imperij Romani bello occuparunt, suas singuli leges, aut mores de feudis nō minus quàm Langobardi habuerunt.

XXII. Frequens autem in regnis est alia quædam successio non hæreditaria, sed quæ linealis dicitur; in quâ obseruari solet, non ius illud subitionis in locum quæ repræsentatio dicitur, sed ius transmittendi futuram successionem, quasi delatam, lege scilicet ex spe, quæ nihil ex se & naturaliter operatur, ius quoddam verum excitante. quale scilicet ius est in his quæ ex stipulatione conditionata debētur: ita vt hoc ipsum ius in posteros ex primo rege venientes necessariò transeat, sed ordine certo, vt primum vocentur liberi vltimi possessoris primi gradus, tam qui viuunt quàm qui mortui sunt: tum verò inter viuos & mortuos ratio habeatur sexus primum, deinde ætatis: Mortuorū autem ius si prævaleat transeat ad eos qui ab ipsis descendunt, pari rursum inter pares prærogatiua sexus, ac deinceps ætatis, saluaque semper transmissione viuorum in mortuos. Si liberi eius desint, venitur ad alios

§. Sub cond. Inst. de V. O.

alios qui proximi sunt, aut si viuerent essent, simili transmissione & inter pares in eadem lineâ obseruato discrimine sexus & ætatis, ita vt ob sexum & ætatem nunquam transeatur de linea in lineam. Cui consequens est vt filia ex filio præferatur filio ex filia, & filia ex fratre filio ex sorore, item filius maioris fratris fratri minori, atque ita in cæteris. Hæc est successio regni Castellæ, ad cuius exemplum etiam maioratus iura in eo regno constituta sunt. Successionis autem huius linealis argumentum, si lex & exempla desint, sumi poterit ex ordine qui in publicis cœtibus seruatur. Nam si in eo ratio habeatur linearum, id signum erit spem à lege in ius animatam, ita vt à morientibus in superstites transeat. Hæc autem est successio linealis cognatica, in qua fœminæ & fœminis nati non excluduntur, sed postponuntur in eadem linea, ita vt etiam regressus ad eas sit, si propiores aut pares cætera mares aut ex maribus defecerint. Fundamentum autem huius successionis, quatenus ab hereditaria differt, est spes populorum de optima educatione eorum qui spem regni habent iustissimam; quales sunt quorum parentes si viuerent essent successuri.

Couar. t. 2. pract. q.c. 38. n. 5. Molin. de primog. Hisp. l. 1.

XXIII. Est & alia linealis successio agnatica, duntaxat marium ex maribus; quæ ex nobilissimi regni exemplo successio iuris Francici vulgo appellatur. Hæc quatenus à cognatica differt in hoc maxime introducta est, ne per fœminarum matrimonia ad peregrinum sanguinem imperium deueniret. In vtraque autem lineali successione in infinitum admittuntur etiam qui ab vltimo possessore remotissimo gradu distant, dum à primo rege descendant: Est & vbi deficiente agnatica substituitur successio cognatica.

XXIV. Possunt & alii successionum modi introduci,

duci, aut populi voluntate, aut etiam eius qui regnum ita in patrimonio habet, vt alienare possit. Licet enim exempli causa constituere, vt qui sibi quoque tempore futuri sunt proximi succedant in regnum, sicut apud Numidas olim, puto tali ex causa, fratres liberis vltimi possessoris præferebantur. Nec ita dudum est cum apud Afros Maroci & Fessæ reges idem est vsurpatum. Atque hoc in dubio obseruandum in fideicommisso quod familiæ relinquitur, verior est sententia, Romanis quoque legibus congruens, quanquam eas interpretes alio detorquent. His bene cognitis facile erit respondere ad controuersias de regnorum iure, quæ ob differentes Iurisconsultorum sententias difficillimæ putantur.

Liu. l. XXIX. Strabo XVI.

L. Cum ita legatur §. in fideicommisso. D. de leg. 2. Couar. 2. Pract. q. c. 38. Molin. d. l. c. 6. n. 47.

XXV. Primum quæritur an filius à patre exheredari possit, vt ne in regnum succedat. In quo distinguenda sunt regna alienabilia, id est, patrimonialia à non alienabilibus. Nam in alienabilibus dubium non est quin exhereditatio procedat, cum à bonis aliis nihil differant: atque ideo quæ legibus aut moribus obtinent de exheredatione, hîc quoque habebunt locum: & si nullæ proferantur leges aut mores, tamen naturaliter licita erit exheredatio vsque ad alimenta, aut etiam sine ea exceptione si crimen morte dignum filius admiserit, aut alioqui grauiter peccauerit, & sit vnde ali possit. Sic Ruben à Iacobo ob culpam priuatus est iure primi natus, Adonia regno à Dauide. Imo etiam pro tacite exheredato habebitur, qui graue crimen commiserit in patrem, si nulla sunt condonatæ culpæ indicia. Sed in non alienabilibus, quanquam hereditariis, idem non procedet, quia populus viam quidem elegit hereditariam, sed hereditariam ab intestato. Multo minus procedet exheredatio in liberali successione, vbi nulla imitatione hereditatis ex dono

L. Lucius Titius. §. Lucius Titius. D. de leg. 3. l. Filio. §. Seio. D. de adim. leg. Hostiensis & alii in c. licet. de voto.

dono populi regnum peruenit ad singulos præscripto ordine.

XXVI. Similis est quæstio, an abdicari possit regnum, aut ius succedendi in regnum. Et quin pro se quisque abdicare possit non est dubium: an & pro liberis magis controuersum, sed quod eadem distinctione expediri debet. Nam in hereditariis qui ius à se abdicat, in liberos nihil potest transferre. At in lineali successione patris factum nocere non potest liberis natis, quia simul atque existere cęperunt ius proprium eis quæsitum est ex lege: sed nec nascituris, quia impedire non potest, quin ad illos quoque suo tempore ius pertineat ex populi dono. Neque obstat de transmissione quod diximus. Est enim ea transmissio necessaria, non voluntaria, ad parentes quod attinet. Illud interest inter natos & nascituros, quod nascituris nondum quæsitum sit ius, atque ideò auferri iis possit populi voluntate, si etiam parentes quorum interest ius ad filios transire, ius illud remiserint: quò pertinent ea quæ de derelictione suprà diximus.

XXVII. Solet & hoc quæri, an de successione regni iudicare possit, aut rex qui nunc regnat, aut populus per se, aut per iudices datos. Negandum vtrumque est de iudicio iurisdictionis. Nam iurisdictio non est nisi apud superiorem, non nuda ratione habita personæ, sed causæ simul, quæ spectanda est cum suis circumstantiis. Est autem causa successionis non subiecta regi nunc regnanti: quòd inde apparet, quod rex nunc regnans nulla lege obligare potest successorem. Successio enim imperij non est sub iure imperij, ac proinde mansit in statu naturali, quo nulla erat iurisdictio. Attamen si controuersi iuris sit successio, rectè & piè facient qui ius vindicant, si de arbitris inter se conuenient; quod alibi tractabitur. Populus verò omnem à se iuris-

iurisdictionem in regem, & regiam familiam transtulit, nec ea durante vllas eius habet reliquias. De vero regno loquor, non de principatu. Attamen si de primæua populi voluntate quæstio incidat, non abs re erit populum qui nunc est, quique idem cum eo qui olim fuit censetur, suum super ea re sensum exprimere, qui sequendus erit nisi satis certò constet olim aliam fuisse populi voluntatem, & ex ea ius quæsitum. Sic Euphaes rex Messeniis permisit dispicere quem ex regali Epitidarum genere regnare oporteret: Et de Xerxis & Artabazanis controuersia populus cognouit.

Paus. lib. IV. Iust. lib. II. Plut. de amor. frat. Hotom. Il. q. 2. Tit. de primog. q. 31.

XXVIII. Vt ad alia veniamus, filium qui ante regni adeptionem natus est, in regno indiuiduo præferendum, ei qui in regia fortuna natus est; in quauis successionis specie verum est. Nam in regno diuiduo haud dubiè partem feret, vt in bonis cæteris in quibus nunquam distinguitur quo tempore sint quæsita. Qui autem partem ferret in diuiduo, & in indiuiduo ætatis priuilegio præfertur: quare & feudum sequitur filium qui ante primam vestituram natus est. Sed & in lineali successione simul atque regnum quæsitum est, spes aliqua parta est liberis ante natis: nam fac alios postea natos non esse, nemo prius natos excludendos dixerit. In hoc autem genere successionis spes semel parta ius facit, nec ex post facto cessat, nisi quòd ex sexus priuilegio suspenditur in cognatica successione. Obtinuit hæc quam diximus sententia in Perside inter Cyrum & Arsicam, in Iudæa inter Antipatrum Herodis magni filium & eius fratres; in Hungaria cum Geissa regnum adiit, & in Germania, non sine armis tamen, inter Othonem primum & Henricum.

XXIX. Quod autem Spartæ aliter factum legimus,

ex lege propria est eius populi, quæ ob educationem magis accuratam natos in regno præferebat. Idem accidere poterit ex peculiari lege vestituræ primæuæ, si imperium detur in feudum vasallo & ex eo nascituris: quo argumento nixus videtur fuisse Ludouicus aduersus Galeatium fratrem in cõtrouersia ducatus Mediolanensis. Sed & si à populo regnum nouiter delatũ eo modo fuerit, post nati potius erit ius: quod Xerxes vrsisse videtur aduersus Artabazanem. quod ni est, gratiâ magis quàm iure valuit.

Hot. ill. q. 3. Tiraq. de prim. q. 40. Molin. de prim. l. III. c. 6.

XXX. Non minus agitatum etiam bellis & pugnis singularibus, an nepos ex filio priore, filio posteriori sit præferendus. Sed hoc in lineali successione difficultatem nullam habet: ibi enim mortui pro viuis habentur in hoc, vt in liberos transmittant: quare in tali successione sine vllo ætatis respectu præferetur filius, imò in cognaticis regnis & filia, primò nati: quia nec ætas nec sexus efficiunt, vt deseratur linea. At in hereditariis indiuiduis concurrent ad partes. nisi in istis regionibus vbi subitio in locum non obseruatur, vt olim in Germania apud populos pleroscque: serò enim nepotes admissi sunt cum filiis ad hereditatem. At in dubio credendum potiùs est locum esse vicariæ isti successioni, quia natura ei fauet, vt suprà diximus. Quòd si apertè iure ciuili regionis introducta sit subitio in locum mortui parentis, locum habebit etiamsi in aliqua lege proximi fiat mentio. Rationes quæ ex legibus Romanis adferuntur ad hanc rem minus firmæ sunt: quod apparebit leges ipsas inspicienti. Sed hæc ratio optima est, quòd in materia fauorabili dictionum significatio extendenda est ad omnem proprietatem, non vulgarem tantum, sed & artificialem, ita vt sub nomine filiorum comprehendantur adoptiui, & sub nomine mortis mors ciuilis, quia

Wittich. Sax. biß. II. Molin. de prim. l. III. c. 8.

leges

leges ita loqui consueuerunt. Quare meritò proximi nomine veniet is quem lex in proximum gradum perducit. In regnis vero hereditariis indiuiduis, vbi subitio in locum exclusa non est, neque semper nepos, neque semper filius secundo genitus præferuntur, sed vt inter pares, quippe iuris effectu quoad gradus adæquatos, potior erit is qui ætate præcedit: nam in ætatis priuilegium non succedi in regnis hereditariis suprà diximus. Sic apud Vandalos, cauto vt heres esset qui sanguine proximus & maximus esset natu, prælatus filius secundus natu maior filii primi filio. Sic in Sicilia Robertus prælatus est Martelli fratris maioris filio, nõ ea propriè ratione quam excogitauit Bartolus, quòd feudum esset Sicilia, sed quòd regnum esset hereditarium. Extat similis successionis vetus in Francorum regno exemplum in Guntrano, sed id ex electione potiùs populi contigit, quæ eo tempore nondum plane defierat. At postquam sine vlla electione linealis agnatica successio introducta est, res caret controuersia, vt olim apud Spartanos, vbi ad Heraclidas regno delato similis exstitit successio linealis agnatica. Ideò Areus ex fratre maiore Cleonymo natus patruo suo Cleonymo antepositus est. Sed & in cognatica lineali successione præferetur nepos: vt in Anglia Ioannes Eduardi nepos ex primogenito eiusdem Eduardi filiis Hemoni & Thomæ: quod & in Castellæ regno lege cautum est.

Procop. bel. Va. l. III.

Conr. Vicerius vita Hen. VII.

Aymo. l. b. III. c. 62.

Plut. Lyc. Iust. hist. III. Paus. III.

XXXI. Pari distinctione respondẽdum est ad quæstionem inter fratrem superstitem vltimi regis, & fratris maioris filium, nisi quòd sciendum est multis in locis inter liberos successionem in gradum mortui esse receptam, vbi recepta non sit in limite transuerso. Sed vbi ius non est manifestum, in partem eam quæ liberos parentibus surrogat, potius inclinandum

est, quia eò nos ducit æquitas naturalis, in bonis nempe auitis. Nec obstat quòd hoc ius in fratrum filiis
Nou. 118. πρωτότοκον vocat Iustinianus: id enim facit non ratione habita æquitatis naturalis, sed iuris antiqui Romanorum. Percurramus alias quæstiones quas profert Emanuel Costa.

XXXII. Defuncti fratris filium, aut etiam filiam patruo regis præferri ait: rectè, non in lineali tantùm successione, sed & in hereditaria, in regnis vbi subitio
L. Tutela. §. sed si etiã. D. deleg. tutoribus. in locum mortui obseruatur: non item in regnis quæ verbis præcisis gradum naturalem spectant: in his enim vincet qui sexu aut ætate erit potior.

XXXIII. Addit nepotem ex filio filiæ præferri rectè, ob sexum scilicet: cum hac exceptione, nisi quæstio sit in ea regione quæ etiam inter liberos gradum solum spectet.

XXXIV. Adiicit minorem nepotem ex filio præferri nepoti maiori ex filiâ; quod in lineali cognatica successione verum est, in hereditaria non item, nisi lex specialis ostendatur. Nec ratio allegata sufficit, quia pater huius illius matrem fuerat excluſurus: id enim euenisset ob præstantiam merè personalem quæ non transit.

XXXV. Quod addit, verisimilius sibi videri, vt neptis ex filio primogenito filium excludat, in regnis hereditariis recipi non potest, etiam admissa in vicem mortui subitione: ea enim efficit, vt capax sit succes-
Mescas lib. VI. hist. Pont. c. 19. sionis: sed inter capaces valere debet sexus priuilegium.

XXXVI. Atque ideò in Arragoniæ regno filius soAfflict. c. 1. col. 5. n. 20. de natura succed. Aguirr. apol. n. 82. roris filiæ fratris prælatus est.

XXXVII. Eundemque ad modum in regnis hereditariis postponenda erit filia fratris maximi natu, fratri regis natu minori.

CAP.

CAP. VIII.

De acquisitionibus quæ vulgò dicuntur iuris Gentium.

I. *Multa dicii iuris gentium quæ si propriè loquamur talia non sint.*

II. *Pisces & feras stagnis aut viuariis inclusas in dominio esse iure naturali, contra quàm iure Romano proditum est.*

III. *Feras si aufugerint non desinere eorum esse qui ceperant, si rectè agnosci possint.*

IV. *Possessio an per instrumenta acquiratur, & quomodo.*

V. *Vt feræ regum sint non esse contra ius Gentium.*

VI. *Rerum aliarum hero carentium quomodo acquiratur possessio.*

VII. *Thesaurus cui cedat naturaliter: & legum circa hoc varietas.*

VIII. *Quæ iure Romano de insulis & alluuionibus sunt prodita, nec naturalia esse, nec iuris Gentium.*

IX. *Naturaliter insulam in flumine & alueum exsiccatũ eius esse cuius est flumen aut pars fluminis, id est populi.*

X. *Inundatione naturaliter dominium agri non amitti.*

XI. *Alluuiones quoq; in dubio esse populi:*

XII. *Sed concessas videri his quorum agri alium finem quàm flumen non habent:*

XIII. *Idem censendum de relicta ripa & siccata aluei parte.*

XIV. *Quid pro alluuione, quid pro insula habendum.*

XV. *Quando vasallis cedant alluuiones.*

XVI. *Soluuntur argumenta quibus Romani ius suum quasi naturale defendunt.*

XVII. *Via naturaliter alluuionem impedit.*

XVIII. *Naturale non esse vt partus solum ventrem sequatur.*

XIX. *Naturaliter vt confusione, ita specificatione ex materia aliena rem fieri communem:*

XX. *Etiam si materia mala fide attrectata sit:*

XXI. *Naturale non esse vt per prævalentiam res minor potiori cedat: vbi & alii Romanorum iurisprudentium errores notantur.*

XXII. *Naturaliter ex plantatione, insitione, ædificatione in alieno communionem nasci.*

XXIII. *Possessorem naturaliter fructus suos non facere; sed impendia imputare posse:*

XXIV. *Etiam qui mala fide possidet.*

XXV. *Traditionem ad dominii translationem naturaliter non requiri.*

XXVI. *Vsus hactenus dictorum.*

I. PERDVXIT nos ordo ad acquisitionem quæ fit iure gentiũ, distincto à iure naturali, quod ius gentium voluntarium suprà diximus. Talis est ea quæ fit belli iure, sed de hac re rectiùs infrà agemus vbi belli effectus explicabuntur. Romani Iurisconsulti vbi de acquirendo rerum dominio agunt, complures eius acquirendi recensent modos, quos iuris gentium vocant: sed si quis rectè aduertat, inueniet eos omnes, excepto belli iure, non pertinere ad ius gentium illud de quo agimus: sed aut referendos ad ius naturæ, non quidem merum, sed quod sequatur introductum iam dominium, & legem omnem ciuilem antecedat, aut ad ipsam legem ciuilem, non solius populi Romani, sed multarum circa nationum: credo quia talis legis siue moris origo à Græcis venerat, quorum instituta, vt Halicarnassensis, & alii notant, Italiæ ac vicini populi sequebantur. Hoc autem non est ius illud gentium propriè dictum; neque enim pertinet ad mutuam gentium inter se societatem, sed ad cuiusque populi

puli tranquillitatem: vnde & ab vno populo aliis inconsultis mutari potuit, imò & hoc euenire vt aliis locis atque temporibus longè alius mos communis, ac proinde ius gentium impropriè dictum introduceretur: quod & reuera factum videmus ex quo Germanicæ nationes Europam fermè omnem inuaserunt. Sicut enim olim iura Græca, ita tunc Germanica instituta passim recepta sunt, & nunc etiam vigent. Primus acquirendi modus qui iuris gentium à Romanis dicitur, est occupatio eorum quæ nullius sunt: qui modus haud dubiè est naturalis, eo quo dixi sensu, introducto iam dominio, & quamdiu aliud lex nulla constituit. Nam & dominium à lege ciuili effici potest.

II. Ad hoc caput refertur primùm captura ferarum, auium, piscium. Sed hæc omnia quamdiu nullius dicenda sint, quæstione non caret. Nerua filius pisces qui in piscina sunt possideri à nobis ait, non qui in stagno, & feras quæ in viuario sunt inclusæ, non quæ in siluis circumseptis vagantur. Atqui pisces non minus stagno priuato includuntur quàm piscina, & feras non minus coercent siluæ bene circumseptæ quàm viuaria, quæ Græci vocant μειοτροφία: nec alio hæc differunt quàm quòd altera angustior, altera laxior custodia est. Quare nostro seculo rectius contraria opinio prævaluit, vt & feræ siluis priuatis & pisces stagnis inclusi, vt possideri, ita & in dominio esse intelligantur. *L. Possideri. §. Item feras. D. de acq. possess.*

III. Feras simul atque naturalem libertatem recipiunt, nostras esse desinere aiunt Romani Iurisconsulti: Atqui in rebus omnibus aliis à possessione quod incipit dominium, non ideò amissa possessione amittitur; imò ius dat etiam ad repetendam possessionem. Res autem nostras alius à nobis auferat, an ipsæ sese, vt seruus fugitiuus, non multum refert. Quare *L. Quodenim. D. de acq. domin. §. 1.*

L. Pomponius. D. de acq. poss.

verius est non per se amitti dominium, eo quod ferae custodiam euaserint, sed ex probabili coniecturâ, quod ob difficillimam persecutionem eas pro derelictis habere credamur, praesertim cum internosci quae nostrae fuerint ab aliis non possint. Sed haec coniectura per alias coniecturas elidi potest, vt si addita

L. Naturalem. D. de acquir. poss.

sunt ferae γνωρίσματα, siue crepundia, qualia scimus habuisse ceruos quosdam & accipitres, atque inde agnitos & dominis redditos. Requiritur autem corporalis quaedam possessio ad dominium apiscendum; atque ideo vulneraſſe non sufficit, vt rectè contra Trebatium placuit.

IV. Sed possessio illa potest acquiri non solis manibus, sed instrumentis, vt decipulis, retibus, laqueis, dum duo adsint; primum vt ipsa instrumenta sint in

L. In Laqueum. D. de acq. rer. dom. Host. & alii in c. non est de decimis. Iason cons. 119.

nostra potestate, deinde vt fera ita inclusa sit, vt exire inde nequeat. ad quem modum definienda est quaestio de apro qui in laqueum inciderit.

V. Haec ergo locum habebunt si lex nulla ciuilis interuenerit: Valde enim falluntur recentiores Iurisconsulti, qui haec ita putant naturalia, vt mutari nequeant: sunt enim naturalia non simpliciter, sed pro certo rerum statu, id est si aliter cautum non sit. Germaniae autem populi cum principibus ac regibus bona quaedam essent assignanda, vnde dignitatem suam sustinerent, sapienter existimarunt ab illis rebus incipiendum quae sine damno cuiusquam tribui possint, cuiusmodi sunt res omnes quae in dominium nullius

Couar. inc. peccatum. parte 2. §. 8.

peruenerunt. Potuit autem lex etiam ante occupationem harum rerum dominium transferre, cùm ad dominium producendum lex sola sufficiat.

VI. Quo modo ferae, eodem acquiruntur & aliae ἀδέσποτα, id est, res hero carentes. Nam & hae, si naturam solam sequimur, sunt inuenientis & occupantis.

Sic

Sic Acanthos insula deserta adiudicata est Chalcidensibus qui priores intrauerant; non Andriis qui priores iaculum immiserant: quia possessionis initium est corporis ad corpus adiunctio, qualis circa res mobiles, maximè fit manibus, circa res soli pedibus.

VII. Inter ἀδέσποτα sunt & thesauri, id est, pecuniæ quarum dominus ignoratur. quod autem non appareat pro eo est quasi non sit: quare & thesauri naturaliter fiunt inuentoris, id est eius qui loco mouerit apprehenderitque. Neque tamen id obstat quo minùs legibus aut moribus aliud constitui possit. Plato magistratibus indicium fieri vult, & oraculum consuli: & Apollonius thesaurum quasi Dei beneficium ei adiudicabat qui ipsi optimus videbatur. Apud Hebræos receptum, vt domino agri Thesaurus cederet, videtur colligi posse ex Christi parabola, quæ extat Matthæi XIII. Romanorum Imperatorum leges valde hac in parte variarunt; quod partim constitutiones ostendunt, partim historiæ Lampridij, Zonaræ, Cedreni. Germaniæ populi thesauros, vt & alia ἀδέσποτα, addixerunt principi: atque id nunc ius commune est, & quasi gentium. Nam & in Germania, & Gallia, & Anglia, & Hispania, & in Dania id obseruatur. Quod cur iniuriæ accusari non possit satis iam diximus.

L. III. de acq. poss.

Th. 2. 2. 66. 5. & ib. Caiet. Couar. in c. peccatum. p. 3. §. 2.

VIII. Veniamus ad fluuialia incrementa, de quibus complura extant Iurisconsultorum veterum rescripta, recentiorum etiam integri commentarij. Quæ verò in hoc argumento ab ipsis sunt tradita, ea magnam partem omnia sunt ex instituto quarundam gentium, neutiquam à naturali iure, quanquam ipsi sæpe sua instituta eo nomine venditant. Nam plurimæ eorum definitiones hoc fundamento nituntur, quòd & ripæ sint proximos fundos possidentium, & ipsi aluei simulatque à flumine derelicti sunt. cui

Bart. Tyber. Bar. Aymis de all. iure. Connan. lib. III. iur. ciuil. c. 5. L. Adeò. D. de acq. rer. dom.

consequens est, vt & insulæ in flumine natæ sint eorundem. Tum vero in fluminis inundatione distinguunt, vt leuis quidem dominium non auferat, maior auferat. sed ita vt si fluuius vno recedat impetu, postliminio fundus qui mersus fuerat ad dominum redeat; si paulatim, non item: imo proximis possessoribus accedat. quæ omnia lege potuisse introduci, & vtilitate quadam muniendarum ripārum defendi, non nego; naturalia esse, quod ipsi sentire videntur, minime concedo.

l. l. adeo. §. quod si. l. Ergo. l. Martius, eod. tit.

IX. Nam si id quod plerumque est respicimus, prius populi terras occuparunt, nec imperio tantum, sed & dominio, quam in priuatos agri describerentur. *Fines*, inquit Seneca, *Athenienſium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter ſe vicini priuata terminatione diſtinguunt.* Sic & Cicero: *Sunt autē priuata nulla natura: ſed aut veteri occupatione, vt qui quondam in vacua venerunt; aut victoria, vt qui bello petiti ſunt; aut lege, pactione, conditione, ſorte: ex quo fit, vt ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tuſculanus Tuſculanorum: ſimiliſque eſt priuatarum poſſeſſionum deſcriptio.* Quamobrem quæ primitus à populo sunt occupata, neque postmodum distributa, ea censenda sunt propria esse populi: ac sicut in priuati iuris flumine nata insula, aut derelictus alueus priuatorum est, ita in publico vtrumque est populi, aut eius cui populus dedit. Quod autem de alueo diximus, idem & de ripa tenēdum est, quæ pars est extima aluei, id est quo naturaliter flumen excurrit. Atque ita videmus nunc passim vsurpari. In Hollandia & vicinis regionibus, vbi frequētissimæ antiquitus fuerunt huius generis controuersiæ ob depressum solum; magnitudinem amnium, & vicinitatem maris, limum hinc recipientis, illuc reuehentis per æstuum vices; semper constitit insulas quæ vere insulæ essent esse in patrimonio publico. Nec minus

De ben. l. IV.

De Off. l. I.

nus derelictos alueos totos Rheni ac Mosæ, quod sæpius iudicatum est: & ratione optima nititur. Nam & ipsi Romani Iurisconsulti concedunt insulam quæ in flumine natat, putà virgultis sustentata, esse publicam; quia cuius iuris sit flumen, eius esse debeat & insula in flumine nata. Atqui aluei & fluminis eadem est ratio, non ea tantum ex parte quam Romani Iurisconsulti considerant, quia alueus flumine tegitur, verum aliâ, quam suprà attulimus, quod hæc simul à populo occupata sunt, nec in priuatum dominium transierunt: quare nec illud recipimus vt naturale, quod aiunt, si limitati fuerint agri, insulam esse occupantis. Id enim ita demum haberet locum si flumen ipsum & cum eo alueus à populo occupati non essent, sicut in mari nata insula fit occupantis.

L. Si epistolam. §. & §. vlt. de acq. rer. dō. L. 1. §. simili modo. D. de flum.

L. 1. §. Si insula. D. de flum.

X. Nec magis admittendum est illud de grauiore inundatione, si naturalem tantum rationem sequimur: Nam vt maxime summa pars agri in arenam dissoluatur, manet tamen solida pars fundi inferior; & vt de qualitate aliquid mutet, substantiam non mutat, non magis quam pars agri quæ à lacu hauritur, cuius ius non mutari Romani rectè sentiunt. Neque illud naturale est quod aiunt flumina censitorum vice fungi, & de publico in priuatum, de priuato in publicum addicere. Melius eidem autores tradiderunt quod nostrum est nostrum esse non desinere nisi facto nostro, adde aut lege. Sub factis autem & non facta comprehendi supra diximus, quatenus coniecturam adferunt voluntatis. Quare hoc damus, si grauissima sit inundatio, neque alia signa sint, quæ retinendi dominii animum notent, facile præsumi agrum habitum derelictui: quæ æstimatio sicut naturaliter indefinita est ob varietatem circumstantiarum, & viri boni arbitrio permittenda, ita legibus ciuilibus definiri solet.

L. Lacus. D. de acq. rer. dom. L. Vicinus. §. fin. D. de aq. pl. L. Rutilia Polla. D. de contr. empt.

solet. Sic in Hollandia derelictus habetur ager qui per decem annos mersus fuerit, si non aliqua extent signa continuatę possessionis: quo in genere receptum apud nos non immerito est, quod Romani reiiciunt, vt si aliter nequeat, vel piscando retineri possessio censeatur. Sed solebant principes tempus præfigere intra quod veteres agrorum possessores siccare agros deberent: qui ni id facerent tum monebantur qui in agros ius pignoris habebant; deinde hi qui iurisdictionem aut ciuilem tantum, aut etiam criminalem: qui si omnes in mora essent, tum eorum ius omne ad principem deferebatur: atque is aut ipse agros siccabat, suique patrimonii faciebat, aut aliis siccandos dabat retenta parte.

L. Si ager. D. quib. mod. vsusfr. amitt.

XI. De alluuione, hoc est de adiectione particularum, quæ à nullo vindicari possunt, quia vnde veniant nescitur (alioqui enim naturaliter dominium non mutabunt) certum haberi debet hanc quoque esse populi, si modo populus flumen dominio occupauerit, quod in dubio credendum est; alioqui occupantis.

L. Siquis nec causam. D. si certum pet. L. Ergo. §. tribus. D. de acq. rer. dom. L. adeo. §. præterea eod. tit.

XII. Sed populus vt aliis, ita & proxima prædia possidentibus ius illud concedere potest, & concessisse haud dubiè videtur, si agri illi non alium finem ea ex parte quàm naturalem, id est, flumen ipsum habeant. Quare non contemnenda est hac in parte Romanorum diligentia, qui limitatum agrum ab aliis agris distinxerunt, dummodo meminerimus agrum mensura comprehensum hac in re paris iuris esse cum limitato. Nam quæ de imperiis supra diximus, cum de eorum occupatione ageremus, eadem & in agris priuatis obtinent: sed hoc adhibito discrimine, quod imperia in re dubia credenda sunt esse arcifinia, quia id territorii naturæ maximæ conuenit. at agri priuati magis

L. In agris. D. de acq. rer. dom. L. 1. §. si insula. D. de flum. Bald. in c. si quis de mãso. §. 1. si de iure feud. contr fuerit.

magis est vt arcifinii non credantur, sed aut limitati, aut certa mensura terminati, quia hoc priuatarum possessionum naturæ est congruentius. Neque tamen negamus fieri posse, vt populus agrum assignet eo iure quo ipse occupauerat, id est ad flumen vsque; & si id appareat, ius esse alluuionis: quod in Hollandia ante sæcula aliquot iudicatum est de agris ad Mosam & Isalam sitis; quia & in literis mancipationum, & in libris censualibus semper dicti erant ad flumen pertingere. Et tales agri si vendantur, quamuis in lege emtionis mensura aliqua nominata fuerit, dum tamen vendantur, non ad mensuram, sed suo corporis nomine naturam suam & ius alluuionis retinent. quod Romanis quoque legibus proditum est, & passim vsurpatur. *L. Iulianus. §. Si Titius fundum. D. de act. emt. & V.*

XIII. Quod de alluuione diximus, id & de relicta ripa & siccata parte aluei censendũ est, vt in non occupatis sint ea occupantis; in fluminibus occupatis, populi: priuatorum autem ita demum, si à populo aut ius populi habente agrum ad flumen excurrentem quà talem acceperint.

XIV. Sed cum aliud esse ius dixerimus insulæ, aliud vero alluuionis, frequens hinc cõtrouersia oritur, vtro nomine censendum sit, quod, cum emineat nonnihil, cum proximis prædiis ita cohæret, vt tamen interiecta planities aquis superfundatur: quod passim apud nos ob locorum inæqualitatem videmus accidere. Mores hîc variant. In Gelria prędiis accedit addita occupatione id quod plaustro onerato adiri potest: In agro Puteano id quo pedes gladium exsertum tenens potest pertingere. Maximè naturale est vt discretum videatur id quà maiori temporis parte nauigio transiri solet.

XV. Nec minus trita vsu quæstio est inter principẽ qui

qui iure populi vtitur, & eius vasallos qui imperium summo minus aceperunt. In imperii sola concessione fluuialia incrementa non inesse satis apertum est. Sed notandum est horum vasallorum nonnullos cum illo definito imperio simul accepisse agrorum vniuersitatem, saluo eo quod priuatis competit, puta quod ager is olim populi aut principis fuerit, aut à principe siccatus. Et hoc casu dubium non est quin vasallius habeant quod populi aut principis fuit. Ac sic videm⁹ in Zelandia vasallos, etiam qui de ciuilibus tantum iudices dant, pro tota agrorum vniuersitate tributum pendere: cuius partem à singulis pro priuatarum possessionum modo ferunt. Et his de alluuionibus non mouetur controuersia. Sunt quibus flumen ipsum datum est qui proinde insulas siue limo aggestas, siue factas ex alueo quem amnis circumluit, suas rectè dicũt. Sunt alij in quorũ inuestiturâ nec hoc nec illud comprehensum est, & horum aduersus fiscum mala causa est, nisi aut mos regionis illis faueat, aut longi satis serie temporis possessio, accedentibus quæ oportet, ius pepererit. Quod si non imperium, sed ager in feudum datus sit, videndum quæ sit agri natura, vt supra diximus. Nam is si est arcifinius, alluuio feudo comprehẽsa censebitur, non ex iure peculiari principis, sed ex agri qualitate: nam & vsufructuario tali casu alluuio prodesset.

L. Item si fundi. §. huic vicino. D. de vsufr.

XVI. Solent Romani vt ius, quo vtuntur ipsi, probent esse naturale, tritum illud pronuntiatum afferre: Secundum naturam est vt cuiusque rei eum sequantur commoda, quem sequuntur incommoda: quare cum amnis de agro meo sæpe partem deterat, æquum esse vt eius beneficio vtar. Sed ea regula locum nõ habet, nisi vbi ex re nostra cõmoda existũt: at hîc existũt

è flumine

è flumine quod alienum est. Quod autem perit, domino perire id vero naturale est. Denique non esse vniuersale quod adferunt, ipsa ostendit admissa ab ipsis agrorum limitatorum exceptio: vt iam omittam ita plerumque euenire, vt alios flumen ditet, alios pauperet.

XVII. Sed & quod aiunt viam publicam non intercedere alluuioni, rationem naturalem nullam habet; nisi ager priuatus sit qui viam debeat.

XVIII. Est & acquirendi modus inter eos qui iuris gentium vocantur per genituram animantium. qua in re quod à Romanis, & aliis quibusdam gentibus est statutum, vt partus ventrem sequatur, non est naturale, vt suprà diximus, nisi quatenus plerumque pater ignoratur. At si probabili ratione de eo constaret, cur non partus ex parte ad eum pertineat nihil potest afferri. Nam & patris partem esse quod nascitur certum est. Plusne verò de patre, an de matre habeat inter Physicos disputatur.

XIX. Si ex alienâ materiâ speciem quis fecisset, Sabiniani dominium eius esse volebant, qui materię fuisset dominus; Proculus eius qui speciem fecisset, quia per eum esse cœpisset quod antè non existeret: arrepta tandem est media sententia, vt si reuerti ad priorem speciem materia posset, materię dominus rem haberet; si non posset, tum is haberet qui speciei esset auctor. Quod ipsum improbat Connanus, & hoc vnum videri vult, plusne sit pretii in opere an in materiâ, vt quod pluris est id prævalentiâ sua quod minus est ad se trahat, argumento eorum quæ à Romanis quoque Iurisconsultis de accessione tradita sunt. At si naturalem veritatem respicimus, sicut confusis materiis communionem induci pro rata eius quod quisque habeat, Romanis quoque Iurisconsultis placuit, L. III. c. 6.

cuit, quia res alium exitum naturaliter reperire non poterat; ita cum res constent materia & specie tanquam suis partibus, si alterius sit materia, alterius species, sequitur naturaliter rem communem fieri pro rata eius quanti vnumquodque est. Species enim pars est substantiæ, non substantia tota: quod Vlpianus vidit, cum dixit mutata forma propè interemtam substantiam.

l. Iulianus. §. sed si quis. D. ad exhib. L. De eo exhibendo. §. si quis. D. ad exhib.

XX. Vt autem qui mala fide materiam alienam attrectant, speciem perdant, est quidem non iniquè constitutum, sed pœnale, atque ideo non naturale. Natura enim pœnas nō determinat, nec ob delictum per se dominia aufert, quanquam naturaliter pœna aliqua digni sunt qui delinquunt.

XXI. Vt vero rei maiori acquiratur res minor, quo fundamento Connanus nititur, naturale est facti, non iuris: atque ideo qui fundi pro vicesimâ parte est dominus, tam manet dominus quàm qui partes habet nouemdecim. Quare quod de accessione ob prævalentiam, aut certis in casibus lex Romana constituit, aut in aliis etiam constitui potest, id naturale non est, sed ciuile, ad commodius transigenda negotia; natura tamen non repugnante, quia lex dandi dominii ius habet. Vix autem vlla est tractatio iuris in qua tot discrepantes sint Iurisconsultorum sententiæ, & errores.

L. Idem. §. 1. D. de rei ven. l. si rem. §. item. D. eod. Inst. de rer. diu. §. litera. & §. si quis.

Nam quis concedat si æs & aurum mixtum fuerit, alterum ab altero diduci non posse, quod scripsit Vlpianus, aut ferruminatione confusionem fieri, quod Paulus; aut aliam esse scripturæ, aliam picturæ rationem, vt huic tabula cedat, illa tabulæ?

XXII. Plantata & consita vt solo cedant, similiter est iuris constituti, cuius ratio est quod ista solo alantur. Nam ideo & de arbore distinguitur, an radices egerit. Atqui alimentum rei iam ante existentis partem dunta-

duntaxat facit: atque ideo sicut ex alimento ius quoddam in rem soli domino nascitur; ita domino seminis, plantæ aut arboris ius suum naturaliter certè ob id nõ perit. Quare & hîc communio locum habebit: nec minus in ædificio, cuius partes sunt solum & superficies: nam si mobile sit, nullum in eo ius habebit soli dominus, quod & Scævolæ placuit. *L. Titius. D. de acq. rer. dom.*

XXIII. Bonæ fidei possessor, vt fructus omnes ex re suos faciat quos percepit, naturale itidem non est, sed hoc tantum vt ius habeat, impendia in rem facta & operam vtilem imputandi, ac pro iis deducendi fructus perceptos; imò & extantes, si aliter non fiat ei restitutio, retinendi.

XXIV. Atque idem dicendum videtur de malæ fidei possessore, vbi lex pœnalis non intercedit. *Benignius est*, ait Paulus Iurisconsultus, *etiam in prædonis persona haberi rationem impensarum; non enim debet petitor ex aliena iactura lucrum facere.* *L. Plane. D. de hered. petit.*

XXV. Vltimus acquirendi modus qui iuris gentium dicitur est per traditionem. Atqui suprà diximus ad dominij translationem naturaliter traditionem non requiri; quod & ipsi Iurisconsulti in quibusdam casibus agnoscunt, vt in re donatâ vsufructu retento, aut in eum collatâ qui possideat, aut commodatam seruet; in iactis missilibus: imò etiam ante adeptam possessionem nonnullis casibus nunc quoque transit dominium, vt hereditatis, legatorum, rei donatæ ecclesiis & piis locis, aut ciuitatibus, aut causa alimentorum, bonorum quorum vniuersalis societas contracta est. *L. Quisquis. C. de don. L. Si seruus. D. de acq. rer. dom. Inst. de rer. diu. §. Interdum. L. Cùm heredis. D. de ac. poss. L. à Titio. D. de furtis. L. vt inter. C. de SS. Eccl. L. Si docear. C. de don. quæ sub modo. L. 1. §. 1. & l. 2. D. pro socio.*

XXVI. Hæc ideò annotauimus, nequis reperta iuris gẽtium voce apud Romani iuris auctores statim id ius intelligat quod mutari non possit: Sed diligenter distinguat naturalia præcepta ab his quæ pro certo

ſtatu ſunt naturalia, & iura multis populis ſeorſim communia, ab his quæ ſocietatis humanæ vinculum continent. Cæterùm illud ſciendum eſt, ſi hoc iure gẽtium impropriè dicto, aut vnius etiam populi lege introductus ſit modus acquirendi, ſine diſcrimine ciuis & peregrini, iam inde quoque exteris ius naſci: & ſi iuris conſecutio impediatur, iniuriam etiam talem quæ iuſtam belli cauſam præbere poſſit.

CAPVT IX.

Quando imperia vel dominia deſinãt.

I. *Dominium & imperium tolli ſublato eo qui ius habuit, nec exiſtente ſucceſſore:*
II. *Sic & ius familiæ extincta familia:*
III. *Sic & populi, ſi populus eſſe deſinat:*
IV. *Quod fit, ſublatis partibus neceſſariis:*
V. *Sublato corpore toto populi:*
VI. *Sublata forma qua eſt populus:*
VII. *Non etiam migratione:*
VIII. *Aut mutato regimine: vbi de loco qui debeatur nouo regi aut populo liberato.*
IX. *Quid ſi populi vniantur?*
X. *Quid ſi diuidatur populus?*
XI. *Cuius nunc ſint quæ Romani imperij fuerunt, nec alienata apparent.*
XII. *De iure heredum.*
XIII. *De iure victoris.*

I. QVOMODO primitus acquirantur, & quomodo tranſeant tũ dominia priuata, tum imperia, ſatis diximus. quomodo deſinant videamus. Et quidem dere-

derelictione desinere obiter suprà demonstratum est, quia voluntate cessante non manet dominium. Est & alius desinendi modus, sublato subiecto in quo est imperium vel dominium, ante alienationem scilicet vel expressam, vel tacitam, qualis est in successionibus ab intestato. Quare si qua persona, nulla edita voluntatis significatione, nullo consanguineo relicto moriatur, omne ius quod habet interit, ac proinde serui (nisi lex humana impediat) erunt liberi: populi qui in ditione eius fuerant sui iuris fient, quia non sunt hæc sui naturâ occupabilia: nisi libertatem suam vltro deserant. res autem aliæ fient occupantis.

II. Idem dicendum si familia defecerit quæ ius aliquod habebat.

III. Idem si populus. Dixit Isocrates, & post eum Iulianus imperator, ciuitates esse immortales, id est esse posse, quia scilicet populus est ex eo corporum genere quod ex distantibus constat, vnique nomini subjectum est, quod habet ἕξιν μίαν, vt Plutarchus; spiritum vnum, vt Paulus Iui isconsultus loquitur. Is autem spiritus siue ἕξις in populo est vitæ ciuilis consociatio plena atque perfecta, cuius prima productio est summum imperium, vinculum per quod respublica cohæret, spiritus vitalis quem tot millia trahunt, vt Seneca loquitur. Planè autem corpora hæc artificialia instar habent corporis naturalis. Corpus naturale idem esse non desinit particulis paulatim commutatis vna manente specie, vt Alphenus ex Philosophis disserit. Atque ideò commodè interpretandum, quod ait Seneca, neminem nostrûm eundem esse in senectute qui fuit iuuenis, vt de materiâ sola intelligatur; quomodo Heraclitus dixerat, citante Platone in Cratylo & Seneca dicto loco, in idem flumen bis nos non descendere: quod rectè sic corrigit Seneca: *Manet idem fluminis*

De pace. L. Rerum. D. de vsuc.

Ach. Stat. ad Arat.

Sen. l. 1. de Clem. c. 4.

L. Proponebatur de iudiciis. Ep. 58.

IV. Pol. 2. minis nomen, aqua transmissa est. Sicut & Aristoteles flumẽ populo comparans dixit flumina eadem vocari quanquã alia subeat semper aqua, alia decedat. Neque verò manet nomen inane, sed & ἕξις illa quam Conon definit ἕξιν σώματος συνεκτικὴν, Philo πνευματικὸν συνέχον, Latini quoque spiritum vocant. Sic ergo populus, auctore Alpheno & Plutarcho de sera numinis vindicta, idem hoc tempore putatur qui abhinc centum annis fuit, cum ex illis nemo nunc viuat. Et hinc ortus mos loquendi, vt populum qui nunc est alloquentes ei tribuamus quæ eidem populo ante multa sæcula acciderunt, vt videre est tum apud historicos, tum & in libris sacris, vt Marci x. 3. Ioh. vi. 32. vii. 19. 22. Act. vii. 38. Sic apud Tacitum Antonius Primus Vespasiano militans milites Tertianos veterum admonet, vt *sub M. Antonio Parthos, sub Corbulone Armenios repulissent.* Exodio itaque, non ex vero apud Tacitum Piso negat Athenienses sui temporis, esse Athenienses, quippe tot cladibus extinctos, sed illuuiem nationum. Nam externa illa accessio de dignitate fortè aliquid detraxerat, populum alium non fecerat. At sicut particularum mutatio non efficit, vt populus esse desinat qui fuit, ne per annos quidem mille & amplius, ita fieri posse vt intereat populus negari non potest. Fit autem hoc dupliciter, interitu corporis, aut interitu speciei siue spiritus quem dixi.

Ann. l. II.

IV. Corpus interit vel sublatis simul partibus sine quibus corpus subsistere nequit, vel sublata corporis ratione. Ad priorem modum refer populos mari abreptos, vt Atlãticæ populos, teste Platone, & alios quorum Tertullianus meminit, item eos quos terræ motus hausit penitus, aut chasma; quorum exempla sunt apud Senecam & Ammianum Marcellinum, & alibi: & qui spõte internecioni se dederunt, vt Sidonij & Saguntini.

L. De pallio. Ep. 92. Lib. XVII. rer. gest.

guntini. Ex antiquo Latio LIII. populos sine vestigiis interiisse ait Plinius. Quid si ex tali populo tam pauci supersint, qui populum facere nequeant? iam poterit in illis subsistere dominium quod populus habet ad modum priuatorũ: nõ siquid populo, vt populo competit. quod & de collegio sentiendum est. *Diod. XVI. Bibl. L. Sicut. §. vlt. D. quæ cuiusq; vniuers. n. L. In bello. §. si plurib. D. de capt.*

V. Corporis ratio tollitur si ciues aut sponte ob pestilentiam aut seditionem à societate discedant; aut vi ita distrahantur, vt coire non possint, quod bellis accidit interdum.

VI. Species interit, sublata, aut omni, aut perfecta iuris communitate, siue singuli personalem quoque seruitutem subeant, vt Thebani ab Alexandro venditi, Brutij à Romanis publicis seruitiis mancipari, siue ea retenta imperio exuantur. Sic de Capua narrat Liuius placuisse Romanis, vt tanquam vrbs habitaretur; corpus nullum ciuiratis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse, sed sine consilio publico, sine imperio multitudinem, cui prefectus Româ missus ius redderet. Itaque imaginem reipublicæ nullam Capuæ relictam dicit Cicero priore ad Populum contra Rullum. Idem dicendum de populis in prouincię formam redactis: item de his qui alterius populi ditionem subierunt. Sic Antiochia Laodiceæ suppositа à Theodosio, & Byzantium Perinthiis datum. *Lib. XXVI.* *Theod. V. hist. Eccl. c. 9. Zon. in Valent. & Theod. Herodian. lib. V. hist. Flor. l. II. c. 15.*

VII. At verò si loco migrauerit populus, siue sponte ob inediam, aut alia mala; siue coactus, vt populus Carthaginiensis bello Punico tertio, si species quæ dixi manear, populus esse non desinit, multoque minus si muri tantum vrbis diiecti sunt.

VIII. Neq; refert quomodo gubernetur, regione, an plurium, an multitudinis imperio. Idé enim est populus Romanus sub regibus, consulibus, imperatoribus. Imò etiamsi plenissimo iure regnetur populus

idem erit qui antea erat cum sui esset iuris, dum rex ei præsit, vt caput istius populi, non vt caput alterius populi. Nam imperium quod in rege est vt in capite, in populo manet vt in toto, cuius pars est caput: atque adeo rege si electus est, aut regis familiâ extincta, ius imperandi ad populum redit, vt supra ostendimus.

d.c.3. Pol. lib. 11. Neque est quod Aristotelem hîc mihi quis obiiciat, qui reipublicæ formâ mutata negat eandem esse ciuitatem, sicut, inquit, harmonia non eadem est vbi à Dorico modo in Phrygium transitur. Sciendum enim est vnius rei artificialis plures esse posse species, sicut legionis species vna est qua regitur, altera qua militat. Ita ciuitatis species vna est, consociatio iuris atque imperii; altera, relatio partium inter se earum quæ regunt, & quæ reguntur. Hanc spectat Politicus, illam Iurisconsultus: quod nec Aristotelem latuit cum ita subiicit: *an vero exsoluenda sint nomina necne, mutata gubernandi forma, alia inspectio est*: artis scilicet alterius quam cum Politicâ non confundit Aristoteles, ne quod in aliis culpat admittat ipse, καταβαινων ὁκ γένους εἰς γένος, ab vno tractandi genere ad alterum transitum faciens. Non desinit debere pecuniam populus rege sibi imposito quam liber debebat: est enim idem populus & dominium retinet eorum quæ populi fuerant, imo & imperium in se retinet, quanquam iam non exercendum à corpore sed à capite: vnde parata est responsio ad controuersiam ex facto nonnunquam agitatam, quo loco in conuentibus fœdere debeat qui summum imperium in populum ante liberum accepit; eodem nimirum quo ipse populus. sic vicissim qui regis fuerat locus, eum populus liber implebit.

IX. Quod si quando vniantur duo populi, non amittentur iura, sed communicabuntur, sicut Sabinorum primo, deinde Albanorum ius in Romanos trâs-

fusum

fusum est, & vna facta respublica, vt Liuius loquitur. Lib. I. Idemque censendum de regnis quæ non fœdere, aut eo duntaxat quòd regem communem habeant, sed vera vnitate iunguntur.

X. Contrà euenit, vt quæ vna ciuitas fuerat diuidatur, aut consensu mutuo, aut vi bellica, sicut corpus imperii Persici diuisum est in Alexandri successores. Quod cùm fit, plura pro vno existunt summa imperia cum suo iure in partes singulas. Si quid autem commune fuerit, id aut communiter est administrandum, aut pro ratis portionibus diuidendum. Huc referenda & discessio quæ ex consensu fit in colonias. Nam sic quoque nouus populus sui iuris nascitur: οὐ γὰρ ὅπως πᾶσι δοῦλοι, ἀλλ' ὅπως πᾶσι ὅμοιοι εἶναι ἐκπέμπονται, inquit Thucydides: *Non enim vt serui, sed vt pari iure sint dimittuntur.* Lib. I. Rex Tullius apud Dionysium Halicarnassensem: τὸ δ' ἄρχειν ἐκ παντὸς πᾶσι ἁπάντων τὰς μητροπόλεις ὡς ἀναγκαῖόν τι φύσεως νόμιμον οὔτε ἀληθὲς οὔτε δίκαιον ἡγούμεθα ἀφ' ἡμῶν. *Vt omnino matrices vrbes coloniis imperent, quasi naturæ lege, id verò nos neque verum neque æquum arbitramur.* Lib. III.

XI. Nobilis est & illa quæstio apud historicos & Iurisconsultos, de his quæ Romani imperii fuerunt cuius nunc sint: multi ea nunc esse volunt Germanici siue regni, vt olim vocabatur, siue imperii (vtro autem nomine appelles ad rem non refert,) & nescio quam surrogationem huius imperii in illius locum sibi confingunt, cùm tamen notum satis sit Germaniam magnam, id est Transrhenanam, totam fuisse extra complexum Romani imperii. Mihi non præsumenda videtur mutatio aut translatio nisi certis documẽtis probetur. Quare & populum Romanum eundem esse dico qui olim fuit, quanquam extraneorum accessione admixtum, & imperium penes eum mansisse, tanquam penes corpus in quo esset ac viueret.

Nam quæ olim iure potuit facere populus Romanus antequam Imperatores Romani regnarent, idem faciendi ius habuit, vt quisque Imperator mortuus erat, alio nondum existente: Imò & electio Imperatoris ad populum pertinebat; & aliquoties à populo per se, aut per senatum facta est: quæ autem à legionibus modò his, modò illis fiebant electiones, non erant ratæ ex iure legionum (nam in vago nomine ius certum esse non poterat) sed ex approbatione populi. Cum his non pugnat quòd Antonini constitutione quotquot in orbe Romano sunt, ciues Romani effecti sunt. Consecuti enim ea constitutione sunt subditi Romani imperii, ea iura quæ olim habebant coloniæ & municipia, & prouinciæ togatæ, vt & honorum participes essent, & iure Quiritium vterentur: non vt in aliis populis, itidem vt in populo vrbis Romæ fons imperii esset: quod facere in potestate Imperatorum non fuit, qui habendi imperii modum ac causam mutare non potuerunt. Nec quòd Imperatores postea Constantinopoli quàm Romæ habitare maluerunt, de iure populi Romani quicquam imminuit. sed tunc quoque electionem factam à parte sui quæ Constantinopoli habitabat, vnde Byzantinos Quirites vocat Claudianus ratam populus totus habuit: iurisque sui monumentum non tenue seruauit in vrbis suæ prærogatiua, & in honore consulatus aliisque rebus. Quare ius omne quod hi qui Constantinopoli habitabant ad eligendum Imperatorem Romanum habere poterant, pendebat à voluntate populi Romani: & cùm illi contra mentem ac morem populi Romani feminæ Irenes subiissent imperium, vt alias causas omittamus, meritò populus Romanus illam concessionem siue expressam siue tacitam reuocauit, & per se Imperatorem legit, ac voce primi ciuis, id est Episcopi sui

sui (quomodo & in Iudaica republica rege nõ existente prima erat summi Pontificis persona) pronuntiauit. Fuit autem hæc electio personalis in Carolum Magnum, & quosdam eius successores: qui ipsi ius imperii quod habebant in Francos, vt & in Langobardos, à iure imperii in Romanos, vt noua ex causâ quæsito, sollicitè distinxerunt. Postea verò diuiso Francorum populo in Occidentalem qui Galliam nunc obtinet, & Orientalem qui Germaniam siue Alemaniam tenet (duo Francorum regna vocat Frisingensis) cùm populus Francorum orientalis eligendo sibi reges facere cœpisset (nam & ad id tempus Francorum regum successio quasi agnatica, non tam à iure certo, quàm à populi suffragiis pependerat) placuit populo Romano, quò certius præsidium haberet, regem non proprium sibi sumere, sed eum quem Germani fecissent; ita tamen vt ius sibi aliquod retineret probandæ vel improbandæ electionis, quantum scilicet ea res ad se pertinebat. Hæc quoque approbatio per episcopum edici & solemniter testata fieri peculiari coronatione solebat. quare ex electione septem principum qui Germaniæ corpus referunt, qui lectus est ius habet imperandi Germanis secundùm eorum mores: ex approbatione verò populi Romani fit idem rex, aut Imperator Romanus, aut, vt historici sæpe loquũtur, rex regni Italiæ: atque eo titulo sub se habet quæcumque populi Romani fuerunt, neque pactionibus, aut derelicti occupatione, aut victorię iure in aliorum populorum imperium concesserunt. Vnde illud quoque intelligi facilè potest, quo iure episcopus Romanus vacante imperio, inuestituras tribuat feudorum imperii Romani, quia scilicet in populo Romano, tali tempore libero, primas obtinet. Solent autem quę sunt corporis alicuius per primam personam corporis

nomine expediri, vt alibi quoque diximus. Neq; verò malè Cynus & Raynerius tradidere, si Imperator Romanus morbo aut captiuitate impediretur fungi imperio, posse ei vicarium dari ab ipso populo Romano.

XII. Heredis personam, quoad dominii tam publici quàm priuati continuationem, pro eadem censeri cum defuncti persona, certi est iuris.

XIII. Victor autem victo quatenus succedat, infrà in effectibus belli explicabitur.

CAPVT X.

De obligatione quæ ex dominio oritur.

I. *Obligatio reddendæ domino rei alienæ vnde & qualis.*
II. *Obligatio de reddendo eo quod quis lucri fecit ex alieno: qua multis exemplis illustratur.*
III. *Bonæ fidei possessorem ad restitutionem non teneri si res perierit:*
IV. *Eundem teneri ad restituendos fructus exstantes.*
V. *Et consumtos, nisi aliàs consumturus non fuerit:*
VI. *Non eos quos neglexit percipere:*
VII. *Non teneri eundem ad restitutionem rei quam donauit alii, cum distinctione:*
VIII. *Nec si rem emtam vendiderit, similiter cum distinctione.*
IX. *Quando pretium aut eius partem seruare possit qui rem alienam bona fide emit.*
X. *Rem alienam emtam restitui venditori non posse.*
XI. *Qui rem habet cuius ignoretur dominus, nemini teneri eam concedere.*
XII. *Ob causam turpem aut alioqui debitam acceptum non esse restituendum naturaliter.*

XIII. Re-

XIII. *Refellitur sententia statuens rerum quæ pondere, numero, mensura constant, dominium sine consensu domini transire.*

I. EXPLICATO quantum instituto nostro sufficit, iure eo quod in personas, aut res nobis competit, videndum etiam quæ exinde nascatur obligatio aduersum nos. Nascitur autem hæc aut è rebus exstãtibus (rerum nomine iam comprehendam, etiam ius in personas quà vtile nobis esse potest) aut non exstãtibus. E rebus exstantibus obligatio hæc nascitur, qua tenetur is qui rem nostram habet in sua potestate, efficere quantum in se est, vt in nostram potestatẽ veniat. Quantum in se est dico; neque enim obligatur ad impossibile, neque ad reddendam rem suis impensis: sed indicare tenetur, vt alter recipere suum possit. Nam sicut in rerum communium statu obseruanda erat æqualitas quædam, vt huic non minùs quàm alteri rebus communibus vti liceret; ita introducto dominio hæc quasi societas inter dominos contracta est, vt qui rem alienã in sua haberet potestate eam domino redderet. Nam si dominii ea tantùm fuisset vis, vt poscenti domino reddenda res esset, nimis debile futurum fuisset dominium, & nimis sumtuosa custodia. Neque hîc consideratur bona quis an mala fide rei possessionem nactus sit: alia enim obligatio est ex delicto, alia ex re. Lacedæmonii delicto se liberauerant, damnato Phœbida qui Cadmeam Thebanorum arcem contra fœdus ceperat, sed ipsi iniustitiæ accusati quòd arcem nihilominus retinerent. Quia verò hæc obligatio tanquam ex contractu vniuersali omnes homines tenet, & ius quoddã rei domino parit, eò fit vt singulares contractus, quippe tempore posteriores, exceptionem inde accipiant. Inde lucem accipit illud Trypho-

L. Bona fides. D. depositi.

Thryphonini: *Latro spolia quæ mihi abstulit, posuit apud Seium inscium de militia deponentis: vtrum latroni, an mihi restituere Seius debeat. Si per se dantem, accipientemque intuemur, hæc est bona fides vt commissam rem recipiat is qui dedit: Si totius rei æquitatem, quæ ex omnibus personis, quæ negotio isto contingunt, impletur, mihi reddenda sunt, quoi* (male legitur *quo*) *facto scelestissimo adempta sunt.* Recte autem addit: *Et probo hanc esse iustitiam, quæ suum cuique ita tribuit, vt non distrahatur ab vllius personæ iustiore repetitione.* Iustior nimirum est repetitio domini ex iure illo quod ipsi dominio æquæuum diximus: vnde etiam illud sequitur quod apud eũdem Tryphoninum est, vt qui rem suam ignorans depositam accepit, reddere eam non teneatur: & quod ibidem paulo antè quærebatur de bonis depositis ab eo cuius bona erant publicata, hinc potius quam ex eo quod de pœnarum vtilitate adfert Tryphoninus, definiendum est. Nam ad dominii naturam nihil refert ex gentium an ex ciuili iure oriatur: semper enim secum habet quæ sibi sunt naturalia, inter quæ est obligatio cuiusuis possessoris ad rem domino restituendam. Ex hoc fonte oritur illud quod ab Vlpiano est proditum, qui rem alienam inuenit, eum ita ad eam domino reddendam teneri, vt εὕρετρον, hoc est præmium inuentionis petere non possit. Reddendi autem sunt & fructus saluis impensis.

L. Falsus. §. quid ergo. D. de fructis.

II. De rebus non extantibus hoc humano generi placuit, vt si tu ex re mea factus es locupletior, me rem non habente, in tantum tenearis, in quantum es factus locupletior; quia quatenus ex meo lucratus es, plus habes, cum ego minus habeam: introducta autem sunt dominia ad seruandam æqualitatem in eo scilicet, vt quisque suum haberet. *Contra naturam esse* ait Tullius, *ex hominis incommodo suum augere commodum.* Et alibi: *Illud natura non patitur, vt aliorum spoliis nostras facultates*

Calet. ad Tr. 2. 62. Art. 6. l. Ite veniunt §. præter hæc. D. de petit. hered.

De Off. III.

cultates, copias, opes augeamus. Est huius dicti tanta æquitas, vt multa hinc definiant Iurisconsulti extra legum præscripta, semper ad ipsam æquitatem, vt euidentissimam prouocantes. Ex actu serui institoris tenetur qui præposuit, ita nisi denuntiauerit ne ei crederetur. At etiam si sit facta denunciatio, & seruus ex eo contractu peculium habeat, aut in rem domini versum sit, replicabitur de dolo. *Videtur enim*, inquit Proculus, *dolum malum facere qui ex aliena iactura lucrum quærat.* Vbi dolo mali vox id omne significat, quod naturali iuri & æquitati repugnat. Qui matre iubente pro filii defensore fideiussit, aduersus defensorem mandati actionem non habet, nec proprie eius gessit negotium, quia cõtemplatione matris fideiussit. Attamen ex Papiniani sententia dabitur actio negotiorum gestorum (vtilis ni fallor) in defensorem, quia pecunia fideiussoris liberatur. Sic vxori quæ marito pecuniam donauit, quã ex lege posset repetere, datur cõdictitia aut vtilis vindicatio in rem expecunia comparatam; quia, inquit Vlpianus, locupletiorem esse maritum negari non potest: & hoc quæritur quid ex re mulieris possideat. Si consumseris nummos quos mihi meus seruus surripuerat, peculiares putans, condictio eo nomine mihi aduersus te competit, quasi res mea ad te sine causa peruenerit. Pupilli non tenentur commodati secundum leges Romanas; tamen vtilis actio dabitur si pupillus locupletior factus sit. Sic si aliena res pignori data & à creditore vendita fuerit, quantum ad creditorem, pro pretii accepti quantitate, liberatur debitor: quia, inquit Tryphoninus, ex quali quali obligatione occasione debitoris redactum pretium æquius debitori proficiet quam creditoris lucro cederet: sed emtori debitor tenebitur ne ex aliena iactura lucrum sibi quærat: nam & si maiores fructus à possessore creditor ab stulis-

L. Siquis mancipiis, D. de inst. act.

L. Quanquam. ad S C. Vel.

L. Vxor marito. D. de donat. int. vit. & vx.

L. Seruus. in prin. ver. secundum quæ. D. de act. emt. & ven. L. sed mihi. D. commodati.

L. Rescriptum. §. 1. de dist. pignorum.

L. Si me & Titiũ. D. de reb. cred.

abstuliſſet vniuerſos in quantitatem accepto ferre deberet. Similiter ſi cum debitore meo, non tanquam meo, ſed alienum debitorem putans egiſti, & mutuam ab eo accepiſti pecuniam, obligaris, non quia pecuniam tibi credidi (hoc enim niſi inter conſentientes fieri non poteſt) ſed quia pecunia mea quæ ad te peruenit eam mihi à te reddi bonum & æquum eſt. Poſteriores quoque iuris interpretes ad facta ſimilia hæc recte producunt: nempe vt cuius latitantis bona venú ierant, cum exceptionem haberet, is ad pecuniam ex bonis ſuis redactam admittatur; & vt qui pecuniam patri credidit ad alendum filium, ſi pater ſoluendo nõ ſit in ipſum filium bona materna habentem actionem habeat. His regulis duabus rectè intellectis non difficilis erit reſponſio ad eas quæſtiones quæ & à Iuriſconſultis & à Theologis internum animi tribunal inſtruentibus proponi ſolent.

Acc. in d.l. reſcriptum. Iaſon in d.l. ſi me & Titium.

Soto l. IV. q. 7. art. 2. Couar. ad c. peccatum. part. II. §. 1. Silu. in verbo Reſtituta. n. 3. q. 6. Medina de cõtr. q. 10. Leſſ. l. II. c. 14. Nauar. c. 17. n. 7.

III. Primum enim apparet bonæ fidei poſſeſſorem (nam malæ fidei poſſeſſor vltra rei rationem ex facto ſuo tenetur) non teneri ad vllam reſtitutionem ſi res perierit: quia nec res ipſa apud eum eſt, nec lucrum ex re.

IV. Secundo, bonæ fidei poſſeſſorem teneri ad reſtituendos etiam fructus extantes rei: dico fructus rei; nam induſtriæ fructus etiam ſi ſine re non procederent, rei tamen non debentur. Cauſa huius obligationis eſt ex dominio. nam qui dominus eſt rei, idem naturaliter dominus eſt fructuum rei.

V. Tertio, bonæ fidei poſſeſſorem teneri ad reſtitutionem & rei & fructuum conſumptorum, ſi modo alias quoque tantumdem conſumpturus fuerat: nam in hoc locupletior cenſetur. Sic laudatur circa initia imperii C. Cæſar Caligula, quod quibus regna reſtituit, adiecit & fructus medii temporis.

Suet. c. 16.

VI. Quar-

VI. Quarto non teneri eum ad fructus quos percipere neglexit: quia nec rem habet nec quicquam quod rei loco succedit.

VII. Quinto si talis possessor rem sibi donatam alij donauerit, non teneri eum nisi omnino etiam sine hac re donaturus tantundem fuisset: tunc enim lucrum erit rei suæ peperciſſe.

VIII. Sexto, si rem emtam vendiderit, non teneri, nisi quatenus forte pluris vendiderit: quod si donatam vendiderit, teneri ad restituendum pretium, nisi forte prodegerit pretium, alias non prodacturus. *L. Qui vas. §. vlt. D. furti.*

IX. Septimo rem alienam bona fide emtam restituendam, nec posse erogatum pretium repeti. cui regulæ hæc addenda mihi videtur exceptio, nisi quatenus dominus rei suæ possessionem recipere sine impendio aliquo probabiliter non potuit, vt puta si res apud piratas fuerit. Tunc enim deduci poterit quantum dominus impensurus libenter fuerat. ipsa enim facti possessio, præsertim recuperatu difficilis, est aliquid æstimabile, & in hoc dominus post rem amissam censetur factus locupletior. Neque hîc requiro vt empta res sit cum animo vt domino restitueretur, quo casu negotiorum actionem nasci sunt qui aiant, sunt qui negent. Nam negotiorum gestorum actio ex lege ciuili nascitur: nullum enim habet eorum fundamentorum ex quibus natura obligationem inducit. Nos autem id quod naturale est hîc quærimus. Non dissimile est quod de funeraria scripsit Vlpianus, iustum iudicem in ea non meram negotiorum gestorum actionem imitari, sed solutius æquitatem sequi, cum hoc ei actionis natura indulgeat. Et quod alibi idem ait, si quis negotia mea gesserit, non mei contemplatione, sed sui lucri causa, & circa res meas aliquid impenderit, non quidem in id quod debet, sed in id quòd *L. Si rem. D. de pet. her. L. Sed & si lege. D. eod. L. Si eum seruum. D. de reb. cred. L. Mater tua. L. Si mancipium. C. de rei vind. L. Sua. D. de cont. emt. L. 1. D. de euict. Ægid. Reg. disp. 31. dub. 7 n. 126. Host. tit. de pœn. V. quid de prædom. ementibus. Bald. & Castr. l. 1. D. de neg. gest. L. & si quis. §. idem Labeo. D. de relig. & f. L. Si pupillus. §. sed si quis. D. neg. gest.*

Caiet. 2.2. 62.6. Soto l. 4.q.7. art.2 Couar.d.loc. L.1.D.adl. Rhod.

quòd ego locupletior sum, habiturum actionem. Sic enim & domini rerum quarum iactu leuata est nauis, partem recuperant ab aliis quorum res iactu seruatæ sunt: quia & qui rem alioqui perituram seruauit, in hoc videtur locupletior.

X. Octauò, eum qui rem alienam emit, non posse eam restituere venditori, vt pretium seruet, quia ex quo res in eius fuit potestate, iam, vt diximus, cœpit obligatio restituendi.

XI. Nonò, eum qui rem habeat cuius dominus ignoratur, non teneri naturaliter eam rem pauperibus dare: quanquam valde hoc pium sit, & rectè multis in locis constitutum. Ratio est, quia ex dominio nemo ius habet præter dominum. Non esse autem, & non apparere tantundem valent quoad eum cui non appareat.

Th.2.2.62. art.5.ad 2. Caiet.ibid. Couarr. par. 2.§.2 ad c. peccatum.

XII. Decimò, naturaliter quod ob causam turpem aut honestam, ad quam quis obligabatur, acceptum est, non esse restituendum. quanquam hoc quoq; non immeritò legibus quibusdam introductum est. Ratio est, quia ratione rei nemo tenetur, nisi res sit aliena.

1.Sam.XII. 5.6.

hîc autem dominium transiit ex prioris domini volûtate. Aliud erit si in ipso accipiendi modo vitium fuerit, putà extorsio. hoc enim est aliud obligationis principium, de quo hîc non agimus.

De Rest. qu.10.

XIII. Addamus & hoc mendosè à Medina traditum, rerum alienarum in nos dominium transire sine consensu domini, si res sint tales quæ pondere, numero & mensura æstimari soleant. Nam res eius generis functionem quidem recipere dicuntur, id est restitui posse per id quod genere idem est, sed ita demum si

L.rogasti.§. vlt.D.si cer. pet.

consensus præcesserit, aut ex lege aut more præcessisse intelligatur, vt in mutuo; aut etiam si res, vtpote consumta, exhiberi nequeat. At extra talem consensum,

vel

vel expressum, vel præsumtum, & extra necessitatem functio ista locum non habet.

CAP. XI.

De Promissis.

I. *Refellitur sententia statuens ex promissis ius naturaliter non oriri.*

II. *Assertionem nudam non obligare.*

III. *Pollicitationem naturaliter obligare, sed inde alteri ius non nasci.*

IV. *Quid sit promissum, vnde alteri ius oritur.*

V. *Requiri ad hoc in promittente vsum rationis: vbi distinguitur ius naturale à legibus ciuilibus circa minores.*

VI. *Promissio errantis an & quatenus obliget naturaliter.*

VII. *Promissionem ex metu obligare, sed qui metui causam dedit teneri ad liberandum promissorem.*

VIII. *Id quod promittitur, vt promissio valeat, oportere in potestate sit promittentis.*

IX. *An promissio ob causam vitiosam valeat naturaliter, per distinctionem explicatur.*

X. *Quid sentiendum de promissione facta ad consequendã rem iam antè debitam.*

XI. *Modus validè promittendi per nos ipsos.*

XII. *Modus validè promittendi per alios: vbi & de legatis mandata excedentibus.*

XIII. *Exercitoria & institoria obligationes quatenus ex iure naturæ procedant, vbi & iuris Romani error notatur.*

XIV. *Ad promissionis validitatem acceptationem requiri.*

XV. *An acceptatio innotescere debeat promissori, per distinctionem explicatur.*

XVI. *Reuocari promissionem posse mortuo ante acceptationem*

cui promissum erat.

XVII. An & internuncio mortuo, per distinctiones explicatur.

XVIII. An reuocabilis sit promissio acceptatione per alterum facta, per distinctiones explicatur.

XIX. Onus promisso adjici quo tempore possit.

XX. Quomodo conualescere possit inualida promissio.

XXI. Promissiones sine causa, naturaliter non esse irritas.

XXII. Qui factum alienũ promisit ad quid naturaliter teneatur.

I. PERDVXIT nos ordo ad obligationem quæ ex promisso oritur: vbi statim se nobis objicit vir eruditionis minimè vulgaris Franciscus Connanus. *Lib. 1. c. 6. Lib. V. c. 1.* Is enim hanc defendit sententiam, iure naturæ ac gentium ea pacta quæ non habent συνάλλαγμα nullam inducere obligationem: honestè tamen impleri si modò talis res sit quam præstare etiam citra promissum honestum ac virtuti alicui congruens fuerat. Adfert autem pro sententia sua non tantum Iurisconsultorum dicta, sed & rationes has: quòd non minor sit culpa eius qui temerè nulla de causâ pollicenti credit, quàm eius qui vanitatem adhibuit promissionis: deinde quod fortunis omnium magnũ immineat periculum si promisso, quod sæpe ex ostentatione magis quàm ex voluntate proficiscitur, aut ex voluntate quidem, sed leui ac parum considerata, tenerentur homines: postremò quòd iustum fuit aliqua honestati cuiusque relinquere, nec ad necessitatem obligationis exigere: turpe esse promissa non implere, non quòd iniustè id fiat, sed quod detegatur promissionis leuitas. Tullij quoq; vtitur testimonio, qui dixerit nec promissa ferenda quæ sint iis quibus promiseris inutilia, nec si plus tibi nocea.nt quàm illi prosint cui promiseris. Quod si res integra non sit, vult deberi non quod promissum est, sed quod interest: cæterum pacta, quam ex

se non

se non habent vim, eam accipere, aut ex contractibus quibus insunt, aut adijciuntur, aut ex rei traditione: vnde nasci partim actiones, partim exceptiones, & vetitam repetitionem. Quæ verò pacta vim obligandi secundum leges habeant, vt pacta stipulata & alia quædam, habere eam legũ beneficio, quarum ea est efficacia, vt quod per se honestum est id efficere possint etiam necessarium. Verum hæc sententia, ita generaliter vt ab ipso effertur accepta, consistere non potest. Primum enim sequitur inde inter reges & populos diuersos, pactorum, quamdiu nihil ex iis præstitum est, vim esse nullam, præsertim iis in locis vbi nulla certa forma federum aut sponsionum reperta est. Tum vero ratio nulla reperiri potest, cur leges, quæ quasi pactum commune sunt populi, atque hoc nomine vocantur ab Aristotele & Demosthene, obligationem pactis possint addere, voluntas autem cuiusque hoc omni modo agentis vt se obliget, idem non possit, præcipuè vbi lex ciuilis impedimentum non affert. Adde quod voluntate sufficienter significata transferri rei dominium potest, vt antè diximus. quid ni ergo possit transferri & ius in personam, aut ad transferendum dominium (quod ius ipso dominio minus est) aut ad aliquid agendum, quippe cum in actiones nostras par ius habeamus atque in res nostras? Accedit his sapientum consensus: nam quomodo dicitur à Iurisconsultis, nihil esse tam naturale quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre ratam haberi, eodem modo dicitur nihil esse tam congruum fidei humanæ quàm ea quæ inter eos placuerunt seruare. Sic edictum de pecunia constituta, vbi nulla in constituente debendi causa præcesserat præter consensum, fauere dicitur naturali æquitati. Paulus quoque Iurisconsultus eum ait naturâ debere quem

Rhet. 1. 15. L. 2. D. de legibus.

§. Per traditionem. Inst. de rer. diuis. L. 1. D. de pactis.

L.1. D. de pec. const. L. Cum amplius. D. de reg. iuris.

iure gentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus: quo in loco primum vox, oportet, necessitatem quandam moralem significat: neque vero admittendum est quod ait Connanus, fidem secutos nos censeri vbi res integra esse desiit: aiebat enim eo loco Paulus de condictione indebiti, quæ cessat si ex qualicunque pacto solutum quid sit, quia iam ante re adhuc integra, naturæ ac gentium iure dari oportebat, etiamsi lex ciuilis ad præscindendas litium occasiones auxilium suum non præstabat. M. autem Tullius in officiis tantam promissis vim tribuit, vt fundamentum iustitiæ fidem appellet, & Platonici sæpe iustitiam vocant ἀλήθειαν, φ fidelitatem transtulit Apuleius: ac Simonides iustitiam definiebat, non modo acceptum reddere, sed & verũ dicere. Sed vt bene res intelligatur, distinguendi sunt diligenter tres gradus loquendi de rebus futuris quæ nostræ sunt potestatis, aut fore putantur.

De Off. l. 1.

Ap. de Platone.

Plato 1. de repub.

II. Primus gradus est assertio explicans de futuro animum qui nunc est: & ad hanc, vt vitio careat, requiritur veritas cogitationis pro tempore præsenti, non autem vt in ea cogitatione perseueretur. Habet enim animus humanus non tantum naturalem potentiam mutandi consilium, sed & ius. Quod si in mutatione sententiæ vitium sit aliquod, vt accidit, id non est intrinsecum mutationi, sed ex materia, puta quia prior sententia erat melior.

III. Secundus gradus est, cum voluntas se ipsam pro futuro tempore determinat, cum signo sufficiente ad indicandam perseuerandi necessitatem. Et hæc pollicitatio dici potest, quæ sepositā lege ciuili obligat quidem aut absolutè, aut sub conditione, sed ius proprium alteri non dat. Multis enim casibus euenit, vt obligatio sit in nobis, & nullum ius in alio; sicut in debito

bito misericordiæ & gratiæ reponendæ apparet, quibus simile est hoc debitum constantiæ siue fidelitatis. Itaque ex tali pollicitatione res pollicitantis retineri, aut is ipse qui pollicitus est ad implendam fidem cogi iure naturæ non poterit.

IV. Tertius gradus est vbi ad determinationem talem accedit signum volendi ius proprium alteri conferre: quæ perfecta promissio est, similem habens effectum qualem alienatio dominii. Est enim aut via ad alienationem rei, aut alienatio particulæ cuiusdam nostræ libertatis. Illuc pertinent promissa dandi, huc promissa faciendi. Eius quod dicimus insigne nobis argumentum præbent diuina oracula, quæ nos docent Deum ipsum, qui nulla constituta lege obstringi potest, contra naturam suam facturum nisi promissa præstaret. Neh. IX. 8. Hebr. VI. 18. & X. 23. I. Cor. I. 19. X. 13. I. Thess. V. 24. II. Thess. III. 3. II. Tim. II. 13. Vnde sequitur vt promissa præstentur venire ex natura immutabilis iustitiæ, quæ Deo & omnibus his qui ratione vtuntur suo modo communis est. Accedit iudicium Salomonis: *Fili mi, si quid spopondisti alteri, defixisti externo vlas tuas: illaqueatus es verbis oris tui: captus es enuntiationibus oris tui.* Et hinc Hebræis promissio vocatur אסרה vinculum, & voto comparatur, Num. XXX. 4. 5. 6. His cognitis non difficulter respondebimus ad Connani argumenta. Nam Iurisconsultorum dicta de pactis nudis respiciunt id quod Romanis legibus erat introductum, quæ de liberati animi signum certum constituerunt stipulationem. Neque negamus similes esse in aliis populis leges. *Quæ lex ad id præstandum nos quoque alicui promisimus obligat?* ait Seneca de lege humana & promisso non solenniter facto loquens. Possunt autē naturaliter deliberati animi alia esse signa præter stipulationē, aut si quid ei simile ad actionem pariendam

Prou. V. 1.

V. De Benef. c. 10.

lex ciuilis postulat. Quod autē fit animo non deliberato, id nos quoq; ad vim obligandi non credimus pertinere; q; & Theophrastus libro de legibus notauerat. imò & quod deliberatò fit, sed non eo animo, vt ius proprium concedat alteri, ex eo negamus ius exigendi cuiquam naturaliter dari, quanquam non solam hinc honestatem, sed & necessitatem quandam moralem nasci agnoscimus. De eo autem quod ex Cicerone adducitur agemus infrà, vbi de interpretatione pactorum sermo erit. Sed quæ ad perfectæ promissionis vim requirantur videamus.

V. Primum requiritur vsus rationis: ideo & furiosi, & amentis, & infantis nulla est promissio. Aliud cēsendum de minoribus. hi enim etsi non satis firmum iudicium habere credantur: vt & feminæ, id tamen nec perpetuum est, nec per se sufficit ad actus vim elidendam. Quando autem puer ratione vti incipiat, non potest certò definiri: sed ex quotidianis actibus, aut etiam ex eo quod communiter in quaque regione accidit, desumendum est. Leges quidem ciuiles iusta ratione motæ quasdam promissiones pupillorum ac minorum irritas pronuntiant, aduersus quasdam restitutionis beneficium introducunt: sed hi effectus sunt proprij legis ciuilis, ac proinde cum iure naturæ ac gētium nihil habent commune; nisi quòd quibus in locis obtinent, ibi eas seruari etiam naturale est. Quare etiamsi peregrinus cum ciue paciscatur, tenebitur illis legibus: quia qui in loco aliquo contrahit, tanquam subditus temporarius legibus loci subiicitur. Planè aliud erit si in mari pactio fiat, aut in vacua insula, aut per litteras inter absentes. Talia enim pacta iure solo naturæ reguntur, vt & pacta eorum qui summam habent potestatem, quà tales sunt. Nam in his quę priuatim agunt, locum habent leges, etiam quæ irritum

actum

actum faciunt, vbi id in fauorem ipsorum fit, non in pœnam.

VI. De pacto errantis perplexa satis tractatio est. Nam distingui solet inter errorem circa substantiam rei, & qui non sit circa substantiam: an dolus causam dederit contractui, an non: fueritne alter quicum actum est doli particeps: sitne actus stricti iuris, an bonæ fidei. Nam pro harum rerum varietate alios actus irritos pronuntiant scriptores, alios validos quidem, sed vt arbitrio eius qui læsus est rescindi possint aut reformari. Sed harum distinctionum pleræque veniunt ex iure Romano, tum ciuili vetere, tum prætorio: quædam etiam non satis veræ aut accuratæ sunt. At viam nobis reperiendæ naturali veritati pandit quod de legum vi atque efficacia omnium fere consensu receptum est, vt si lex fundetur in præsumtione aliqua facti, quod factum reuera ita se non habeat, tunc ea lex nō obliget, quia veritate facti deficiēte deficit totum legis fundamentum. Quando autem lex in tali præsumptione sit fundata, ex legis materia, verbis & circumstantiis colligendum. Similiter ergo dicemus, si promissio fundata sit in præsumptione quadam facti quod non ita se habeat, naturaliter nullam eius esse vim: quia omnino promissor non consensit in promissum, nisi sub quadam conditione quæ reipsa non exstitit. Quod si promissor negligens fuit in re exploranda, aut in sensu suo exprimendo, & damnum inde alter passus sit, tenebitur id resarcire promissor, non ex vi promissionis, sed ex damno per culpam dato, de quo capite infra agemus. Si vero adfuerit quidem error, sed in quo fundata non fuerit promissio, ratus erit actus, vtpote non deficiente vero consensu: sed hoc quoque casu si is cui promittitur dolo errori causam dederit, quicquid ex eo errore damni

Antonin. p. 2. tit. 1. c. 17. § 6. Dd. ad l. cōtractus. de reg. iuris. Conar. de contractibus q. 57. Medina c. de rest. q. 33.

Felin. c. 1. de constit. n. 40. Bal. in l. Cum quis. C. de iur. & facti ignor.

Gomez. in c. possessor. de reg. iuris, in 6. p. 2. §. 6. n. 8. Nauarr. c. 12. n. 13.

promissor fecit, resarcire tenebitur, ex alio illo obligationis capite. Si pro parte fundata erit errore promissio, valebit pro reliqua parte.

VII. De eo quod metu fit, non minùs implicita tractatio est, nam & hîc distingui solet inter metum grauem absolutè vel ratione habita personæ metuentis, & leuem; illarum iustè & iniustè; ab eo cui promittitur, vel ab alio; item inter actus liberales & onerosos: & pro his diuersitatibus alii actus dicuntur irriti, alii ad arbitrium promirtentis reuocabiles, alii in integrũ restituendi; non sine magna sententiarum varietate circa hæc singula. Ego omnino illorum accedo sententiæ qui existimant, sepositа lege ciuili quæ obligationem potest tollere aut minuere, eum qui metu promisit aliquid, obligari: quia consensus hîc adfuit, nec conditionalis, vt modò in errante dicebamus, sed absolutus. nam vt rectè ab Aristotele traditum est, qui naufragii metu res suas iactat, vellet res seruare sub conditione si naufragium non immineret; at absolutè vult res perdere, spectata scilicet temporis ac loci circumstantia. Sed illud simul verissimum censeo, si is cui promittitur metum intulerit non iustum, sed iniustũ, quamuis leuem, atque inde secuta sit promissio, eum teneri ad liberandum promissorem, si promissor velit, non quòd inefficax fuerit promissio, sed ob damnum iniuria datum. quod quam habeat exceptionem ex iure gentiũ, infrà suo loco explicabitur. Quòd verò quidam actus rescinduntur ob metum ab alio incussum, quàm quicum actum est, ex lege est ciuili, quę sæpe etiam actus liberè factos ob iudicii infirmitatem, aut iritos facit, aut reuocabiles. Quæ autem de legum ciuilium vi atq; efficacia suprà diximus, eadem hîc volumus haberi repetita. At quæ ad promissiones firmãdas vis sit iurisiurandi, infrà videbimus.

Eth. Nic. 3.

Silu. verb. metus. q. 8.

Siluest. verbo, restitutio. 2. dicto 7. Nauarr. c. 17. n. 15. & c. 22. n. 51. §. 7. Couarr. ad reg. peccatũ. p. 2. §. 3. n. 7. L. item si cũ exceptione. §. in hac actione. D. quod metus causa.

VIII. Ma-

VIII. Materiam promissi quod attinet, eam oportet esse, aut esse posse in iure promittentis, vt promissum sit efficax. Quare primùm non valent promissa facti per se illiciti: quia ad illa nemo ius habet, nec potest habere. At promissio, vt suprà diximus, vim accipit ex iure promittentis, nec vltrà extenditur. Quòd si res nunc non sit in potestate promittentis, sed esse aliquãdo possit, erit in pendenti efficacia; quia tum promissio facta censeri debet sub conditione, si res in potestatem venerit. Quòd si conditio, qua res in potestatem promissoris venire possit, ipsa quoque sit potestatiua, tenebitur promissor facere quicquid moraliter æquum est, vt ea impleatur. Sed in hoc quoque genere lex ciuilis vtilitatis causa multa irrita solet facere quæ naturaliter obligarent, vt promissum futuri matrimonii factum ab eo eáve qui coniugem nunc habeat, & non pauca quæ à minoribus aut filiis familiarum fiunt.

IX. Quæri hîc solet an promissio facta ob causam naturaliter vitiosam ipsa natura valeat, vt si quid promittatur homicidii perpetrandi causa. Hîc ipsam promissionem vitiosam esse satis apparet: in hoc enim adhibetur, vt alter impellatur ad malum facinus. Sed non quicquid vitiosè fit effectu iuris caret, quod in prodiga donatione apparet. Hoc interest, quòd donatione facta iam cessat vitiositas: nam sine vitio res relinquitur apud donatarium. At in promissis ob causam vitiosam manet vitium quamdiu non perpetratum est crimen: tamdiu enim impletio ipsa promissi, vt mali illex, labem in se habet: quæ cessare incipit peracto crimine. Vnde sequitur vsque ad id tempus promissionis talis efficaciam esse in pendenti, vt modò dicebamus in promissa re quæ iuris nostri non est. crimine verò perpetrato iam obligationis vim exseri, *Caiet. 2. 2. q. 32. art. 7.*

quæ ab initio non intrinsecus defuit, sed ab accedente vitio fuit impedita. Et huius rei exemplum afferri potest in Iuda Iacobi filio, qui Thamari, quam meretricem putabat, promissam mercedem, tanquam debitã, persoluit. Quod si iniustitia promissarii causam promissioni dederit, aut inæqualitas sit in contractu, hæc quomodo sint resarcienda alia est quæstio, de qua mox viderimus.

Gen. XXXVIII.

X. Quod vero promittitur ob causam ante debitam non eo minus debetur, si ius naturale spectemus, secundum ea quæ de rei alienæ acceptione supra diximus: nam & sine vlla causa promissum naturaliter deberetur. Sed hic quoque damnum per extorsionem datum aut inęqualitas in contractu reparanda venit, secundum tradendas inferius leges.

XI. Modum promittendi quod attinet, is vt de dominii translatione diximus requirit actum externum, id est signum sufficiens voluntatis, quale interdũ esse potest nutus, frequentiùs autem vox aut literę.

XII. Sed & per hominem alterum obligamur, si constet de voluntate nostra qua illum elegerimus, vt instrumentum nostrum ad hoc speciatim, aut sub generali notione. Et in generali præpositione accidere potest, vt nos obliget qui præpositus est agendo contra voluntatem nostram sibi soli significatam: quia hic distincti sunt actus volendi. vnus quo nos obligamus ratum habituros quicquid ille in tali negotiorum genere fecerit, alter, quo illum nobis obligamus, vt non agat nisi ex præscripto, sibi non aliis cognito. Quod notandum est ad ea quæ legati promittunt pro regibus ex vi instrumenti procuratorii excedendo arcana mandata.

XIII. Atque hinc etiam intelligi potest exercitoriam & institoriam quæ non tam actiones sunt, quam quali-

qualitates actionum, ipso naturali iure niti. Adiiciendum hic est male Romanis legibus introductum, vt ex facto magistri exercitores in solidum singuli tenerentur. Nam hoc nec naturali æquitati conuenit, quæ satis habet si pro suis singuli partibus conueniantur, nec publicè vtile est. absterrentur enim homines ab exercendis nauibus si metuant ne ex facto magistri quasi in infinitum teneantur. Atque adeo apud Hollandos, vbi mercatura pridem maximè viguit, & nunc & olim lex illa Romana obseruata non est: imo contra constitutum ne exercitoria etiam vniuersi amplius teneantur, quàm ad æstimationem nauis & eorum quæ in naui sunt. *L. qui absenti. D. de acq. poss.*

XIV. Vt autem promissio ius transferat, acceptatio hic non minùs quàm in dominii translatione requiritur, ita tamen vt hîc quoque præcedens rogatio durare intelligatur, ac vim habere acceptationis. Nec obstat quod de pollicitationibus factis ciuitati iure ciuili est proditum: quæ ratio quosdam induxit, vt iure naturæ solum promittentis actum sufficere iudicarent: nam lex Romana non hoc dicit, ante acceptationem pollicitationis plenam esse vim, sed reuocari vetat, vt acceptari semper possit: qui effectus non est naturalis, sed merè legitimus. cui non dissimile est quod pro infantibus & amentibus ius gentium introduxit. Nam pro his, vt possidendi res quæ possessione quæruntur, ita & acceptandi animum ius supplet. *Gomez. ad l. 11. c. 9. n. 1.* *Molina disp. 263.* *Vide hoc libro cap. 3. c. 6.*

XV. Illud etiam quæri solet, an satis sit acceptationem fieri, an vero etiam innotescere debeat promissori antequam promissio plenum effectum consequatur. Et certum est vtroque modo fieri posse promissionem: aut hoc modo, Volo vt valeat si acceptetur; aut hoc modo; Volo vt valeat si acceptatum intellexero. Et in his quidem quæ ad mutuam pertinêt obligationem

gationem posterior sensus præsumitur: in promissis verò merè liberalibus potius est vt prior sensus credatur adfuisse, nisi aliud appareat.

XVI. Sequitur hinc ante acceptationem, quippe iure nondum translato, reuocari promissum posse sine iniustitia, imò & sine inconstantia, si reuera eo animo factum sit, vt ab acceptatione demum valere incipiat. Reuocari etiam posse mortuo ante acceptationem eo cui promissum erat, quia videtur acceptatio in arbitrium ipsius collata, non heredum. Aliud enim est velle dare huic ius ad heredes transiturum, aliud velle dare heredibus: multùm enim refert in quem beneficium conferatur. Et hoc est quod Neratius respondit, non videri sibi principem quod ei quem viuere existimabat concessisset, defuncto concessisse.

L. Multum refert, C. si quis alteri vel sibi. L. si pater. D. de manumiss. vindicta. L. Neratius. D. de reg. iuris.

XVII. Poterit etiam reuocari mortuo eo qui lectus erat voluntatis internuncius; quia in illius verbis posita fuerat obligatio. Aliud in tabellario qui non est instrumentum obligationis, sed perlator instrumenti obligatorii. Itaque literæ consensus indices per quemuis perferri poterunt. Distinguendum quoque inter ministrum qui electus est, vt promissionem significet, & inter eum qui electus est vt ipse promittat. Priore casu reuocatio vim suam habebit etiam si ministro non innotuerit: altero verò irrita erit reuocatio; quia ius promittendi ab ipsius voluntate pendebat, quæ voluntas necdum cognita reuocatione omni culpa vacabat. Sic etiam priore casu mortuo donatore poterit acceptari donatio, vt perfecta ab vna parte, quanquam reuocabiliter: quod apertiùs in legatis conspicere est. altero casu non poterit, quia non facta est, sed mandata fieri. In dubio autem mandantis voluntas fuisse censetur, vt impleatur mandatum, nisi magna mutatio inciderit, qualis est mors mandantis.

L. Mandatum. D. Mandati. Clarus lib. IV. §. donatio. q. 12.

L. Si mandassem. D. Mandati. L. Nec ambigi. C. de don.

Possunt

Possunt tamen suppetere coniecturæ quæ aliud iudicandum suadeant, quæ facilè admittendæ sunt vt subsistat quod pia de causa dari mandatum est.

XVIII. Solent & controuersiæ incidere de acceptatione pro altero facta: in quibus distinguẽdum est inter promissionem mihi factam de re danda alteri, & inter promissionem in ipsius nomen collatam cui res danda est. Si mihi facta est promissio, omissa inspectione an mea priuatim interfit, quam introduxit ius Romanum, naturaliter videtur mihi acceptãti ius dari efficiendi, vt ad alterum ius perueniat, si & is acceptet: ita vt medio tempore à promissore promissio reuocari non possit; sed ego cui facta est promissio eam possim remittere. Nam is sensus iuri naturæ non repugnat, & verbis talis promissionis maximè congruit. neque nihil mea interest si per me alter beneficium acquirat. Quod si promissio in nomen eius collata est cui danda res est, distinguendum est, an qui acceptat, aut speciale mandatum habeat acceptandi, aut ita generale, vt talis acceptatio ei inclusa censeri debeat: an vero non habeat. Vbi mandatum tale antecessit, distinguendum vltrà non puto, sitne persona sui iuris necne, quod Romanæ leges volunt, sed planè ex tali acceptatione promissionem perfici: quia consensus potest & per ministrum interponi ac significari. Velle enim censeor quod in alterius voluntate posui, si & ille velit. Deficiente autem mandato, si alius cui promissio facta non est acceptet volente promissore, tunc is erit effectus, vt promissori reuocare promissionem non liceat antequam is quem spectat promissio eam ratam habuerit aut irritam: sic tamen vt medio illo tempore is qui acceptauit remittere promissum non possit, quia hîc non adhibitus est ad ius aliquod accipiendum, sed ad adstringẽdam promissoris,

Couarr. in var. c. 14. n. 16. L. si pater. D. de manumiss. vind.

Couarr. d. quamuis. p. 2. §. 4. 13.

Alex. cons. 204. lib. 1. & ibi Car. Mol.

ris fidem in sustentando beneficio: ita vt promissor ipse si reuocet faciat contra fidem, non contra ius proprium alicuius.

XIX. Ex superioribus intelligi etiam potest, quid sentiendum sit de onere adiecto promissioni. id enim fieri poterit quamdiu promissio completa nondum est per acceptationem, nec fide interposita facta irreuocabilis. Onus autem in commodum tertii adiectum promissioni reuocari poterit, quamdiu à tertio acceptatum non erit: quanquam non desunt tam in hac quàm in aliis quæstionibus qui secus sentiant. Sed rectè rem inspicienti facilè elucet naturalis æquitas, vt multis probationibus non egeat.

L. perfecta. C. de donat. quæ sub modo.
Bart. in l. Qui Roma. §. Flauius. de verb. oblig.

XX. Solet & illud disputari, quomodo conualescere possit promissio cui error causam dedit, si re cognita promissor stare velit promisso. Atq; idem quæri potest de promissionibus quibus lex ciuilis impedimentum iniicit ex metu aut causa alia, si illa causa postea cessauerit. Nam ad hæc firmanda quidam solum actum internum requirunt, quem coniunctum cum priore actu externo sufficere putant ad pariẽdam obligationem. Alii, quibus id displicet ideo quia actus externus non potest signum esse actus interni sequentis, requirunt nouam verbis factam promissionem & acceptationem. Verior est media sententia, actum quidem externum requiri, sed non vtique verbis factum, cùm retentio rei promissæ ex parte eius cui promissa est, & relictio eius ex parte promittentis, aut simile aliquid, sufficere possint ad significandum consensum.

Nauarr. c. 22. n. 51. & 80. Lib. III.
Sanc. lib. II. de matrim. disp. 32. n. 8.

XXI. Hoc quoque omittendum non est, ne iura ciuilia cum naturali iure confundantur, neque promissiones quæ causam expressam non habent naturaliter esse irritas, non magis quàm rerum donationes.

XXII. Ne-

XXII. Neque eum qui factum alienum promisit ad id quod interest teneri, modò facere non omiserit quod ex sua parte ad id factum obtinendum facere poterat; nisi verba aut negotii natura obligationem inducant strictiorem. *Couarr. c. quamuis. p. 2. §. 5.*

CAP. XII.

De Contractibus.

I. *Diuisio actuum humanorũ qui aliis hominibus vtiles sunt: ac primùm, in simplices ac mixtos.*
II. *Simplicium in beneficos meros, aut cum mutua obligatione:*
III. *Et permutatorios: tum qui dirimunt:*
IV. *Tum qui communionem adferunt.*
V. *Mixtos esse principaliter.*
VI. *Aut per accessionem.*
VII. *Qui actuum contractus dicantur.*
VIII. *AEqualitatem in contractibus requiri primùm circa actus præcedaneos:*
IX. *Ad scientiam:*
X. *Ad libertatem volendi.*
XI. *Secundò in ipso actu, si sit permutatorius:*
XII. *Tertiò in eo de quo agitur: quod explicatur.*
XIII. *Quæ æqualitas locum habeat in actibus merè aut partim beneficis.*
XIV. *Quomodo æstimandum rei pretium in venditione, & ex quibus causis iustè crescat aut minuatur.*
XV. *Quando naturaliter perfecta sit venditio: & quando dominium transeat.*
XVI. *Monopolia quæ sint contra ius naturæ, aut diligendi legem.*
XVII. *Pecunia functionem quomodo recipiat.*
XVIII. *De conductionis mercede naturaliter nihil remittendum ob steri-*

ob sterilitatem & similes casus: & quid si conductore primo impedito vti, res alij locata sit?

XIX. *Iusta merces quomodo crescat & minuatur.*

XX. *Quo iure vetitæ sint vsuræ.*

XXI. *Quæ commodæ vsuræ nomine non veniant.*

XXII. *Legum ciuilium quæ circa hanc rem vis sit.*

XXIII. *Qualis æstimatio facienda in contractu auersi periculi, siue assecurationis.*

XXIV. *Qualis in societate, vbi multæ eius species explicantur.*

XXV. *De societate nauali.*

XXVI. *Iure gentium inæqualitatē in quam consensum est, quoad actus exteriores non attendi: & quo sensu id naturale dicatur.*

I. ACTVVM humanorum qui ad aliorum hominum vtilitatem tendunt, alij sunt simplices, alij compositi.

II. Simplices alii benefici, alij permutatorij. Benefici aut meri, aut cum mutua quadam obligatione. Benefici meri, aut in præsens absoluuntur, aut in futurum prominent. In præsens absoluitur factum vtile, de quo nihil loqui necesse est, quando vtilitatem quidem parit, sed nullum iuris effectum: item donatio, qua dominium transfertur, qua de re egimus suprà cum de dominii acquisitionibus ageretur. In futurum prominēt promissiones tum dandi, tū faciēdi, de quibus iamiam egimus. Benefici actus cum obligatione mutua sunt, qui aut de re disponunt sine alienatione, aut de facto ita vt aliquis effectus supersit. Talis est circa rem vsus concessio, qui commodatio dicitur: in factis præstatio operæ sumtuosæ, aut obligatoriæ, quæ dicitur mandatum, cuius speeies est depositum, præstatio scilicet operæ in re custodienda. His autem actibus similes sunt actuum promissiones,

nes, nisi quòd, vt diximus, hæ in futurum prominent: quod & de actibus iam explicandis intellectum volumus.

III. Actus permutatorij, aut dirimunt partes aut communionem adferunt. Actus eos qui diremtorij sunt rectè diuidunt Iurisconsulti Romani in Do vt des, facio vt facias, facio vt des: de quibus videri potest Paulus Iurisconsultus in l. Naturalis. Digestis, præscriptis verbis. Sed Romani ab hac diuisione eximunt quosdam contractus quos ipsi nominatos vocant, non tam quòd proprium habeant nomen (habet enim hoc & permutatio quam à nominatorum numero excludunt) quàm quòd ob vsum frequentiorem vim quandam & naturam accepissent talem, quæ etiamsi nihil esset dictum specialiter, ex ipso nomine satis posset intelligi: vnde etiam certæ de illis proditæ erant actionum formulæ: cùm in cæteris contractibus minùs frequentibus hoc tantùm inesset quod dictum erat ac proinde non communis aliqua & vsitata, sed accommodata ad ipsum factũ daretur formula quæ ideo præscriptis verbis dicebatur. Ob eandem causam vsus frequẽtioris, in conuentionibus nominatis, si requisita quædam adessent, vt in venditione si de pretio conuenisset, etiam re integra, id est antequam à partiũ altera præstitum esset aliquid, iniungebatur implendi necessitas: cùm in illis rarioribus re integra daretur pœnitendi libertas, id est impunitas, quia lex ciuilis vim coactricem subtrahebat illis conuentionibus, vt sola contrahentium fide starent. At ius naturæ ignorat hæc discrimina: neque vero qui innominati ab illis dicuntur cõtractus, aut minus sunt naturales, aut minus antiqui. imò permutatio, quæ innominatis accẽsetur, emtione & simplicior est & antiquior. Nos ergo natu-

ram sequentes, contractus omnes diremtorios, nullo nominatorum aut innominatorum discrimine, ad tria quæ diximus genera reuocabimus. Dicemus proinde dari vt detur statim quidem rem pro re, vt in ea quæ specialiter dicitur permutatio, antiquissimum haud dubie commercii genus: aut pecuniam pro pecunia, quo collybum Græci vocant, mercatores hodie cambium: aut rem pro pecunia, vt in emtione ac venditione: aut vsum rei pro re: aut vsum rei pro vsu rei: aut vsum rei pro pecunia, quod postremum locatio conductio dicitur. Vsus autem nomine hic intelligimus tum nudum vsum, tum eum qui cum fructu coniunctus est, siue is sit temporarius, siue personalis, siue hereditarius, siue alio quouis modo circumscriptus, vt apud Hebræos is qui durabat ad annum Iubilæum. Datur vero, vt interposito tempore tantundem, & genere eidem detur, in mutuo, quod locum habet in his, quæ pondere, numero, mensura constant, tam rebus aliis quam pecunia. Facti cum facto permutatio innumeras habere potest species pro factorum diuersitate. At facio vt des, aut pecuniam, atque id quoque in factis quotidianæ vtilitatis locatio conductio dicitur, in facto præstandę indemnitatis circa casus fortuitos auersio periculi, vulgò assecuratio, qui contractus olim vix cognitus nunc est inter receptissimos; aut vt des rem, aut vsum rei.

Arist. V. Eth. 8. D. de contrah. emt. p. 1.

IV. Actus autem communicatorii, aut facta communicant, aut res, aut hinc res, inde facta ad vtilitatem communem, quæ omnia veniunt societatis nomine: in quo genere comprehenditur & bellica societas, qualis illa apud nos frequens nauium priuatarum coitio aduersus piratas, aut alios inuasores, quam vulgo Admiralitatem nuncupant, Græci συμπλοίαν vocant.

V. Mixti

V. Mixti autem actus sunt, aut principaliter, aut per accessionem alterius. Sic si sciens rem maioris emam, & quod plus est in pretio alteri condonem, partim donatio erit, partim emtio: si fabro pecuniam promittam vt de suo auro mihi annulos faciat, partim emtio erit, partim conductio. Sic & in societate accidit vt alter factum & pecuniam, alter pecuniam tantum contribuat. Et in feudali contractu rei feudalis concessio beneficium est, pactio autem militaris operæ pro tutela, est facio vt facias. Quod si onus pensionis accedat, eatenus miscetur cum emphyteusi. Fœnus quoque nauticum mixtum quid est ex contractu mutui & periculi auersi.

VI. Per accessionem ad alterum actum fit mixtio, vt in fideiussione & pignoris datione. Nam fideiussio, si negotium spectes quod inter fideiussorem & principalem debitorem geritur, plerumque mandatum est: sin negotium quod inter creditorem & fideiussorem qui nihil recepit geritur, videtur actus merè liberalis: sed quia contractibus onerosis accedit, inde censeri solet. Pignoris quoque datio per se videtur actus liberalis, qua detentio rei conceditur. sed hæc quoque naturam trahit ex contractu cui securitatem præstat. *L. Labeo. D. de verb. sign.*

VII. Omnes autem actus aliis vtiles extra merè beneficos contractuum nomine appellantur.

VIII. In contractibus natura æqualitatem imperat, & ita quidem vt ex inæqualitate ius oriatur minus habenti. Hæc æqualitas partim consistit in actibus, partim in eo de quo agitur; & in actibus tum præcedaneis, tum principalibus.

IX. Ad præcedaneos actus pertinet, quod is qui cum aliquo contrahit vitia sibi nota rei de qua agitur significare debet: quod non ciuilibus tantum legibus constituti solet, sed naturæ quoq; actus congruit. nã in- *L. 1. D. de act. emt. & venditi.*

ter contrahentes propior quædam est societas quàm quæ communis est hominum. Atque hoc modo soluitur quod dicebat Diogenes Babylonius hoc tractatis argumentum, non celari omnia quæ tacentur: nec quicquid tibi audire vtile est idem mihi dicere necesse esse, vt de rebus cœlestibus. nam contractus natura vtilitatis causa reperta propius quiddam exigit. Bene Ambrosius: *In contractibus etiam vitia eorum quæ veneunt prodi iubentur, ac nisi intimauerit venditor, quamuis in ius emptoris transcripserit, doli actione vacuantur.* At non idem dicendum est de his quæ rem non contingunt: vt si quis sciat multas naues in cursu esse quæ frumentum adeunt. nam tale quid indicare est quidem officiosum ac laudabile, sæpe adeo vt omitti nequeat nisi vt caritatis regula violetur; non tamen iniustum, id est non pugnans cum iure eius quicum negotium est: ita vt locum hic habere possit illud quod idem ille Diogenes non incommode dicebat referente M. Tullio: *Aduexi, exposui: vendo meum non pluris quam cæteri: fortasse etiam minoris cum maior est copia. cui fit iniuria?* Non ergo generaliter sequendum illud eiusdem Ciceronis, celare esse cum tu quod scias id ignorare emolumenti tui causa velis eos quorum interest scire: sed tum demum id locum habet cum de iis agitur quæ rem subiectam per se contingunt, vt si domus sit pestilens, si à magistratu deiici iussa, quæ exempla ibidem videas. At vitia ei quicum agas, nota, vt seruitutem ædium quas M. Marius Gratidianus C. Sergio Oratæ vendebat ab ipso prius emtas, dici nihil attinet. scientia enim vtrinque par pares facit contrahentes.

Cic. de Off. III.

Off. III. c. 12.

Th. 2. 2. 78. art. 3. Bal. l. 2. de ad. ed. Couar. ad c. peccatum. p. 2. §. 4. n. 6.

d. loco.

D. l. 1. D. de contr. emt. in fine.

X. Neque vero tantum in intellectu rerum, sed & in voluntatis vsu quædam contrahentibus inter se æqualitas debetur: non quidem vt si quis antecessit metus iuste incussus, is demi debeat; id enim contractui extrin-

extrinsecum est: sed nequis incutiatur contrahendi causa, aut si incussus est, vt dematur. Quod tamen quam exceptionem ex iure gentium habeat, suo loco videbimus.

XI. In ipso actu principali hæc desideratur æqualitas, ne plus exigatur quàm par est. Quod in contractibus beneficis locum vix potest habere. Nam si quis pro commodato aut opera in mandato aut depósito exhibenda aliquid mercedulæ stipuletur, non iniuriã faciet, sed contractum miscebit, id est ex gratuito efficiet semipermutatorium. At in permutatoriis omnibus sollicite id obseruandum est. nec est quòd dicat quispiam id quod pars altera ampliùs promittit donatum censeri. Neque enim solet hic esse tales contractus ineuntium animus, nec præsumendus est nisi appareat. Quod enim promittunt aut dant credendi sunt promittere aut dare tanquam æquale ei quod accepturi sunt, vtque eius æqualitatis ratione debitum. *Instit. de mandato. §. vlt. L. 1. §. Siquis seruum. D. depositi.*

XII. Restat æqualitas in eo de quo agitur, in hoc consistens, vt etiamsi nec celatum quicquam sit quod dictum oportuit, nec plus exactum quàm deberi putabatur, in re tamen deprehendatur inæqualitas, quãquam sine culpa partium, putà quòd vitium latebat, aut de pretio errabatur, ea quoque sit resarcienda, & demendum ei qui plus habet reddendumque minùs habenti: quia in contractu id vtrimque propositum aut fuit, aut esse debuit, vt vterque tantundem haberent. Lex Romana hoc constituit non in quauis inæqualitate, minima enim non persequitur, imo & occurrendum censet multitudini litium, sed in satis graui, vt quæ dimidium iusti pretii excedit. Nimirum leges, vt ait Cicero, iniqua tollunt quatenus teneri manu possant, philosophi quatenus ratione & intelligentia. Hi vero qui legibus ciuilibus subiecti non sunt, id *d. loco.*

sequi debent quod æquum esse ipsis ratio recta dictat: imo & illi qui legibus subiecti sunt, quoties de eo q̃ fas piumque est agitur, si modo leges non ius dant aut tollunt, sed iuri duntaxat ob certas causas auxilium suum denegant.

XIII. Sed notandum est quandam rei æqualitatẽ spectari & in contractibus beneficis, non quidem omnimodam vt in commutatoriis, sed ex suppositione eius quod agitur, ne quis scilicet ex beneficio damnum sentiat: ob quam rationem mandatarius indemnis prẽstari debet à sumptibus factis & damno in quod ex causa rei mandatæ incidit: & commodatarius tem tenetur resarcire si periit, quia non solius rei ratione domino tenetur, id est ex vi dominii, quomodo quiuis possessor teneretur, vt supra didicimus, sed & ratione beneficæ acceptionis: quod ita verum est nisi omnino & apud dominum fuisset peritura. Hoc enim casu nihil per commodatum domino abest. Contra depositarius præter fidelitatem nihil recepit: ideo si periit res, non tenebitur: non rei ratione, quia non exstat, nec locupletior est; nec acceptionis ratione quia accipiendo beneficium non accepit, sed dedit. In pignore, vt & in locato, media via sequenda est, vt qui rem accepit, nec de casu quouis teneatur, vt commodatarius, & maiorem tamen diligentiam quam depositarius præstare debeat: quia pignoris acceptio est quidẽ gratuita, sed accedere solet contractui oneroso. Quæ omnia Romanis quidem congruunt legibus, sed non ex illis primitus, sed ex æquitate naturali veniunt. Quare eadem apud alias quoque gentes reperire est. Inter cẽteros apud Hebræum Mosem Maimonidem libro III. Ductoris dubitantium capite 43. Spectauit huc Seneca cùm dixit *alios fidem debere, alios tutelam*. Ad hanc vero formam de cæteris quoque contractibus iudicium est faciẽ-

Siluestr. in verbo Bellũ. p. 1. n. 7.

Th. 2. 2. 62. art. 6.

VII. De beneficiis. 19.

faciendum. Sed generali tractatione quantum instituto nostro sufficit absoluta, speciales quasdam contractuum quæstiones percurramus.

XIV. Mensura eius quod res quæque valeat maximè naturalis est indigentia, vt Aristoteles rectè ostendit: quod in permutationibus rerum apud barbaros populos maximè spectatur. Non tamen hæc vnica est mensura. Nam hominum voluntas, quæ rerum domina est, multas res magis desiderat quàm sunt necessariæ. *Margaritis*, inquit Plinius, *pretium luxuria fecit*. Et contrà euenit vt res maximè necessariæ minoris sint propter copiam: Quod Seneca multis exemplis ostendit libro de Beneficiis. v 1. c.15. vbi & hoc addit: *Pretium cuiusque rei pro tempore est. cùm benè ista laudaueris, tanti sunt quanto pluris venire non possunt*. Paulus Iurisconsultus: *Pretia rerum non ex affectu nec vtilitate singulorum, sed communiter funguntur*. Hinc fit vt res tanti æstimetur quantum pro ea cõmuniter offerri aut dari solet, quod vix est vt nõ aliquam latitudinem habeat, intra quam plus minusve dari aut exigi possit, nisi vbi lex certum rebus pretium τὸ σταμῆ, vt Aristoteles loquitur, id est in puncto constituit. In communi autem illo pretio ratio haberi solet laborum & expensarum quas mercatores faciunt: soletque subitò quoque mutari ex copia & inopia ementium, pecuniæ, mercium. Cæterùm possunt & quædam esse rei accidentia æstimabilia, ob quæ res licitè supra aut infra commune pretium ematur vendaturve, putà ob damnum consequẽs, lucrum cessans, affectum peculiarem, aut si in gratiam alterius res vendatur ematurve alioqui non emenda aut vendenda; quæ ipsa accidentia ei cum quo agitur indicãda sunt. Eius quoque damni aut lucri cessantis ratio haberi potest, quod ex pretij solutione dilata aut anticipata nascitur.

Mor. Nic. V. 8.

IX. 35.

L. Pretia. D. ad l. Fale.

XV. De venditione & emtione notandum etiam sine traditione ipso contractus momento transferri dominium posse, atque id esse simplicissimum. ita Senecæ venditio *alienatio est & rei suæ iurisq; sui in alium translatio*: nam & ita fit in permutatione. Quòd si actũ sit ne statim dominium transeat, obligabitur venditor ad dandum dominium, atque interim res erit commodo & periculo venditoris: quare quòd venditio & emtio constat præstando, vt habere liceat & euictionem, item quòd res periculo est emtoris & vt fructus ad eum pertineant antequã dominium transeat, commenta sunt iuris ciuilis, quod nec vbique obseruatur: imò plerisq; legum conditoribus placuisse, vt ad traditionem vsque res commodo & periculo venditoris sit, notauit Theophrastus in loco qui apud Stobæum est, vbi & multa alia instituta reperias de solennitate venditionis, de arrhabone, de pœnitentia, multũ differentia à iure Romano. Illud quoque sciendum, si res bis sit vendita, ex duabus venditionibus eam valituram quæ in se continuit præsentem dominii translationem, siue per traditionem, siue aliter. Per hanc enim facultas moralis in rem abiit à venditore: quod non fit per solam promissionem.

XVI. Monopolia non omnia cum iure naturæ pugnant. nam possunt interdum à summa potestate permitti iusta de causa & pretio constituto. Possunt & à priuatis institui, æquo duntaxat compendio: cuius rei exemplum nobis illustre præbet Iosephi historia cùm is vice regia Ægypto præesset. At qui, vt in Velabro olearii, de compacto id agunt, vt res suprà pretium id quod summum nunc est in communi pretio, vendantur, aut vi, aut fraude impediunt, ne maior copia importetur, aut ideo merces coemunt vt vendant pretio quod tempore venditionis iniquum sit, iniuriam faciunt,

faciunt, atque eam reparare tenẽtur. Quòd si alio modo impediunt inuectionem mercium, aut ideo coemunt vt pluris vendant, pretio tamẽ pro temporis ratione non iniquo, faciunt quidem aduersus caritatis normam, quod multis euincit Ambrosius libro officiorum tertio, sed propriè ius alterius non violant. Cap. 6.

XVII. De pecunia sciendum, eam naturaliter functionem recipere, non in materia sola, nec in speciali appellatione aut forma, sed in genere magis communi, qua scilicet comparatur ad res aut omnes aut maximè necessarias: quę æstimatio, si aliud non conuenerit, facienda erit tempore ac loco solutionis. Michaël Ephesius ad quintum Nicomachiorum: ὡς ἐπὶ τῆς χρείας τοῦτο ἐπὶ τοῦ νομίσματος ἴδοι ἄν τις γινόμενον. ὡς γὰρ ἐπ' ἐκείνης οὐκ ἀεὶ ὁμοίως δεόμεθα καὶ ἐν χρείᾳ τῶν ἀλλοτρίων ἐσμὲν, οὕτως οὐδὲ τὸ νόμισμα ἀεὶ ἴσον δύναται, ἀλλὰ μεταπίπτει, καὶ τὸ πρότερον πλεῖον δυνάμενον ὕστερον ἢ ἔλαττον ἢ οὐδὲν ἰσχύει. ὅμως μᾶλλόν γε τοῦτο διαμένει καὶ δεῖ ὡς μέτρῳ αὐτῷ τῶν ἀλλασσομένων χρῆσθαι. *Quod de indigentia accidit, idem in nummo videre est. Nam sicut ea non eadem semper, nec enim alienis rebus æquè semper opus est nobis, sic nec nummus idem semper valet, sed mutatur, & cùm priùs plus valuerit, postea aut minus, aut nihil valet: diuturnius autem est nummi pretium: eoque vt mensura aliarum quæ comparantur rerum vti solemus.* Cuius loci hic sensus est: quicquid adhibetur in hoc vt mensura sit rerum aliarum, debet esse tale vt per se minimè flectatur. talia autem sunt in genere ęstimabilium, aurum, argentum, æs. per se enim fermè tantundem vbique, & semper valent: sed prout res aliæ, quibus indigent homines, copiosæ sunt aut raræ, ita eadem pecunia ex eadem facta materia, eodem pondere, nunc plus, nunc minus valet.

XVIII. Locatio & conductio, vt rectè à Caio dictũ est, proxima est venditioni & emtioni, eisdemque re- L. II. D. Locati.

gulis consistit. Respondent enim pretium pensioni siue mercedi, & rei dominium facultati vtendi. Quare sicut res domino perit, ita naturaliter sterilitas, & alij casus qui vsum impediunt, damno sunt conductoris: neque eo minus locator ius habebit ad pecuniam promissam, quia ipse facultatem vtendi tradidit, quæ eo tempore tantum valebat. quanquam & legibus & pactis immutari id potest. Si tamen locator, cùm conductor primus re vti impeditus esset, alij eam locauerit, quicquid consecutus inde fuerit rependet primo conductori, ne ex re aliena fiat locupletior.

XIX. Et quod de venditione suprà diximus pluris rem vendi minorisve emi posse, si in gratiam alterius vendatur ematurve, aliàs non vendenda aut emenda, idem & de re aut opera locata conductave intelligendum est. Quod si vna opera pluribus vtilis esse possit, vt itineris susceptio, & locator pluribus se in solidum singulis obstrinxerit, poterit de singulis mercedem pacisci quam ab vno exigeret, vbi lex non obstat: quia quòd illa opera secũdo quoque vtilis est, extrinsecum est contractui qui cum primo est initus, neque respectu primi quicquam minuit de æstimatione.

XX. Circa mutuum quęri solet quo iure vetitæ sint vsurę: & quanquam iure naturali vetitas esse receptior est sententia, contrarium tamen sentit Abulensis. Neque verò videntur argumenta quæ in alteram adferuntur partem talia esse vt assensum extorqueant. Nam quod de mutuo dicitur gratuitum esse, tantundem & de commodato dici potest: cùm tamen pro vsu rei pretium exigere illicitum non sit, sed efficiat vt cõtractus in aliud nomẽ transeat. Nec magis vrget quòd suapte natura sterilis est pecunia. Nam & domos & res alias natura infœcundas hominum industria fructuosas fecit. Illud speciosius quòd hîc res pro re reddatur,

inc. 25. Matth. q. 371. & 17.

vsus

vsus autem rei à re distingui non possit, cùm in abusu consistat, ac proinde pro eo nihil debeat exigi. Sed notandum est cùm rerum quę vsu pereunt, aut in alterius dominium transeunt, vsusfructus Senatusconsulto introductus dicitur, non tamen effectum, vt proprius vsusfructus esset, de voce vsusfructus agi quæ certè secundùm suam proprietatem tali iuri non congruit; non tamen sequi inde ius tale nihil esse, aut non æstimabile, cum contra certum sit, si quis proprietario tale ius cedat, pecuniam posse exigi eo nomine. Sic & ius illud non nisi post tempus certum reddēdi pecuniam aut vinum, est aliquid æstimabile: minus enim soluit qui tempore minus soluit. Quæ verò à Catone, Cicerone, Plutarcho, & aliis contra vsuras dicuntur, ea respiciunt non tam quod intrinsecum ei est, quàm quod plerumque ei adest, eamq; consequitur. Sed quicquid hac de re sentire libeat, sufficere nobis debet lex à Deo Hebræis data, quæ vetat Hebræos Hebræis pecuniam dare fœnori. Est enim huius legis materia si non necessaria, certè honesta moraliter, vnde & aliis maximè moralibus annumeratur Psalmo qui apud Hebræos est decimus quintus, apud Latinos decimus quartus, & apud Ezechielem capite decimo octauo. quæ autē huius generis sunt, Christianos quoque obligāt, quippe vocatos ad maiora virtutum specimina: & quę tunc officia homini Hebræo aut alioqui circumciso (nam huius cum Hebræo par causa erat) præstari iubentur, ea nunc præstanda sunt homini cuiuis, omni populorum discrimine per Euangelium sublato, latiusque extenso proximi intellectu: quod præter cætera ostendit insignis Christi de homine Samarita apologus. Itaque Lactātius de officiis tractās hominis Christiani, *nō dabit*, inquit, *in vsuras pecuniā. hoc est enim de alienis malis lucra captare.* Ambrosius: *Subuenire nō habēti humanitatis est;*

L. II. D. de vsufructu ear. rer. quæ vsu consum.

Luc. X. 29.

De Off. III. c. 2.

duritia

duritiæ autem plus extorquere quàm dederis. Ipse Cæsar Au-
Suet. c. 39. gustus notauit aliquos quòd pecunias leuioribus vsu-
ris mutuati grauiori fœnore collocassent.

XXI. Obseruandum tamen est esse quædam quæ ad vsuræ speciem accedant, ac vulgò vsuræ esse videantur, cùm tamen pacta sint generis alterius: vt de repensando damno quod facit qui pecuniam dat mutuã eo quòd diu pecunia careat: item de lucro ob mutui dationem cessante, deducto scilicet incerto spei, & labore qui subeundus fuerat: Sic etiam pro impensis eius qui multis dat mutuam pecuniam, & in hoc paratam habet: & pro periculo amittendæ sortis, vbi idoneè non cauetur, si quid exigitur, vsura verè non est.

XXII. Leges verò humanæ quæ concedunt aliquid stipulari pro vsu pecuniæ, aut rei alterius; vt apud Hollandos iampridem concessum est aliis quidem octo nummos in centum, mercatoribus autem duodecim pro vsu annali exigere, siquidem verè stant intra compensationem eius quod abest, aut abesse potest, non pugnant cum naturali aut diuino iure: sin eum modum excedunt, impunitatem præstare possunt, ius dare non possunt.

XXIII. Contractus auertendi periculi, quem assecurationem vocant, omnino nullus erit si contrahentium alter rem de qua agitur, aut saluam quò destinabatur peruenisse, aut periisse sciuerit: non tantum ob paritatem quam exigit contractuum permutatoriorum natura, sed quia propria materia huius cõtractus est damnum sub ratione incerti. Periculi autem huius pretium ex communi æstimatione petendum est.

XXIV. In societate negotiatoria, vbi confertur pecunia cum pecunia, si pecuniæ æquales sint, æquales esse etiam oportet partes in damno & lucro: sin inæquales fuerint, partes quoque fient pro rata. Atque

idem

idem habebit locum si operæ aut æquales aut inæquales conferantur. Sed & opera cum pecunia, aut cum pecunia & cum opera, conferri potest, vt dici solet:

Par pari datum hostimentum est opera pro pecunia.

Sed hæc collatio non vno modo fit: nam aut opera confertur cum solo pecuniæ vsu, quo casu sors domino perit, & si salua est domino salua est; aut opera confertur cum ipso dominio pecuniæ, quo casu qui operam impendit particeps fit sortis. In prima specie comparatur cum opera non sors, sed periculum amittendæ sortis, & lucrum quod probabiliter ex ea sperari poterat. In altera operæ pretium habetur quasi sorti adiectum, & pro eo quod valet in ipsa sorte partem habet qui operam præstat. Quod de opera diximus, idem & de labore ac periculo nauigationis, & similibus intelligi debet. Vt autem sociorum aliquis lucri sit particeps, immunis damni est quidem præter naturam societatis: potest tamen ita conueniri sine iniuria. fiet enim mixtus contractus ex societate & ex contractu auersi periculi, in quo ita seruabitur æqualitas si tanto plus lucri ferat quàm alioqui laturus fuerat qui in se damnum recepit. Vt autē quis damnum sentiat sine lucro, ideò admittendum non est, quia ita naturalis est societati vtilitatum communio, vt sine ea nequeat societas consistere. Quod autem dictum est à Iurisconsulto non expressis partibus æquales intelligi, ita demum pro vero habendum est si quæ conferuntur sint æqualia. In societate autem vniuersorum bonorum non id quod hinc aut illinc obuenit, sed quod probabiliter sperari poterat comparandum est.

Nauarr. 17. n. 250. Couarr. III. var. c. 2. Less. lib. II. c. 25. dub. 3.

Angelus verb. Societas. 1. §. 7. Silu. verbo Societas. 1. q. 2. Naua. 17. n. 255. Couarr. & Less. d. loco. Liu. l. XXXIX. Arist. III. Polit. c. 6. L. si non. D. pro socio.

XXV. In societate nauali aduersus piratas vtilitas communis est ipsa defensio: interdum & præda. Solēt autem æstimari naues, & quę in naui sunt, atque ex his summa confici, vt damna quæ eueniūt, in quibus sunt

& vul-

& vulneratorum impendia, ferantur à dominis nauiũ & mercium pro parte quam habent in ea ſumma. Et hæc quidem quæ diximus hactenus ipſi iuri naturæ ſunt conſentanea.

XXVI. Nec in his iure gentium voluntario quicquam mutatum apparet: vno excepto, quòd inæqualitas rerum, in quam conſenſum eſt, vbi nec mendacium interceſſit, nec eius quod dictum oportuit reticentia, in actionibus exterioribus pro æqualitate habetur: ita vt quomodo iure ciuili ante conſtitutionem Diocletiani actio in foro nulla dabatur aduerſus talẽ inæqualitatem, ita nec inter eos qui iure gentium ſolo ſociantur exactio aut coactio ſit eo nomine. Hoc enim eſt quod ait Pomponius, in pretio venditionis & emtionis naturaliter licere ſe mutuò circumuenire: vbi licere eſt non quidem fas eſſe, ſed ita permitti vt nullum contrà proditum ſit remedium in eum qui ſe pacto velit defendere. Naturaliter autem eo in loco, vt & alibi interdum, poſitum eſt, pro eo quod recepti paſſim moris eſt, quomodo apud Apoſtolum Paulum ipſa natura docere dicitur viro turpe eſſe comam alere, cùm tamen id neque repugnet naturæ, & multos apud populos vſitatum ſit. Sic idolorum cultores, non autem quoſvis homines φύσει ματαίους, id eſt natura vanos appellat ſcriptor libri Sapientiæ, & πάντα φύσει ὀργὴν Paulus Apoſtolus, non tam ex ſua quàm ex Romanorum, apud quos tum viuebat, perſona loquens. Euenus Poëta vetus:

L. in cauſa cognitione. D. de minoribus.

I. Cor. XI. 14

XIII. 1.

Epheſ. II. 3.

φημὶ πολυχρόνιον μελέτλιον ἔμεναι, φίλε, καὶ δὴ
παύτλιον ἀνθρώποισι τελευτῶσαν φύσιν εἶναι.
Quod meditare diu durabile fiet, amice,
Atque id naturam credo mortalibus eſſe.

Lib. III. Apud Thucydidem ſimili notione dicitur τὸν νόμων κρατήσασα ἡ ἀνθρωπία φύσις, *humana natura legum victrix.*

Sic

Sic πφυτοὶ θεοὶ dicunt Græci tum virtutes tum vitia, postquam altas radices egerunt. Sic Pomponius Iurisconsultus cùm dixisset ius Romanum non patieundem in paganis & testato & intestato decedere, addidit earum rerum naturaliter inter se pugnã esse, cùm tamen ea regula è solis Romanorum moribus pendeat, neque apud alios populos locum habeat, ac ne apud ipsos quidem Romanos in militum testamento. Euidens autem fuit vtilitas eius quod dixi iuris introducendi, ad præcidendas controuersias infinitas, &, ob incerta rerum pretia inter eos qui communem iudicem non habent, inexplicabiles, quæ vitari non poterant si ob inæqualitatem à pactis discedere licuisset. *L. ius nostrum, D. de R.I.*

Hæc est emtionis atque venditionis substantia (aiunt Imperatores substantiæ nomine morem perpetuum significantes) *quòd emtor viliore comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerentes ad hunc contractum accedant, vixque post multas contentiones, paulatim venditore de eo quod petierat detrahente, emtore autem huic quod obtulerat addente ad certum consentiant pretium.* Seneca ait hoc ius respiciens: *Quid interest quanti sint, cùm de pretio inter ementem & vendentem conuenerit? Nihil venditori debet qui bene emit.* *L. si voluntate. C. de rescind. vend.* *Lib. VI. de Benef. 15.*

CAP. XIII.

De Iureiurando.

I. *Iurisiurandi quanta vis sit etiam ex paganorum opinione.*

II. *Animum deliberatum requiri, nempe vt quis iurare voluerit.*

III. *Verba iurantis obligare in sensu quo ea creditur accepisse cui iuratum est.*

IV. *Iuramentum dolo elicitum quando obliget.*

V. Iura-

V. Iuramenti verba non extendenda vltra receptum loquendi morem.

VI. Iuramentum non obligare de re illicita factum:

VII. Aut quod impediat maius bonum morale:

VIII. Aut si factum sit impossibile.

IX. Quid si impossibile sit ad tempus?

X. Iurari Deo nominato, & quo sensu:

XI. Sed & nominatis rebus aliis cum respectu ad Deum.

XII. Iuramentum esse etiamsi per falsos Deos iuretur.

XIII. Obligatio ex iureiurando duplex, tempore iurisiurandi & postea: quod distinctè explicatur.

XIV. Quando ex iureiurãdo ius quæratur homini & Deo, quando Deo tantùm.

XV. Refellitur sententia statuens eum qui piratæ aut tyranno iurauit, Deo non teneri.

XVI. Qui perfido iurauit an implere debeat, distinctione explicatur.

XVII. Cũ Deo soli quis obligatus fuit, heredẽ eius ad nihil teneri.

XVIII. Periurum non esse qui non implet nolenti impleri, aut sublata qualitate eius cui sub illa qualitate iuratum est.

XIX. Quando irritum sit quod contra iuramentum fit.

XX. Superiorum actus quid possit circa id quod subditus iurauit, aut quod subdito iuratum est, cum distinctionibus exponitur.

XXI. Monita Christi de non iurando ad quale iuramentum propriè pertineant.

XXII. Quæ fides iniurata iuramenti vim ex more habeat.

I. APVD omnes populos, & ab omni æuo circa pollicitationes, promissa, & cõtractus maxima semper vis fuit iurisiurandi. Nam vt Sophocles ait Hippodamiâ:

Mens excitari iureiurando solet,
Vt bina diligenter euitet mala,

Culpari

Culpari amicis & Deos offendere.

Nullum vinculum, inquit Cicero, *ad astringendam fidem ma-* Off. 1.
iores nostri iureiurando arctius esse voluerũt. Hinc grauis pœna periuris imminere nunquam non credita: vt Hesiodus dixit de iuramento:

clades mortalibus vnde
Aduenium, quoties fallaci pectore iurant.

Ita vt posteritas etiam maiorum delicta lueret, quod nõ nisi de grauissimis criminibus creditum: & sine facto voluntas quoque pœnam in se accerseret: quorum vtrumq; Herodotus confirmat narratione de Glauco Lib. II.
Epicydide, qui deliberauerat tantùm an iuratam de depositi fidem falleret: vbi hoc carmen Pythiæ adfert idem Herodotus:

At iuramento quædam est sine nomine proles
Trunca manus, & trunca pedes: tamen impete magno
Aduenit, atque omnem vastat stirpemque domumque.

Et eandem historiam recitans Iuuenalis ita concludit:

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.

Bene Cicero: *Est iusiurandum affirmatio religiosa: quod autẽ* Off. III.
affirmate quasi Deo teste promiseris id tenendum est. Quod autem addit: *Iam enim non ad iram Deorum quæ nulla est, sed ad iustitiam & fidem pertinet*: si iræ nomine perturbationem intelligit, non improbandum est; sin qualemcunque nocendi affectum aut voluntatem, minime est recipiendum, vt rectè probat Lactantius. Nunc vnde vis Iurisiurandi oriatur, & quo pertingat vsque videamus.

II. Primum quod de promissis & contractibus diximus, & hic habet locum, vt animus rationis compos & deliberatus requiratur. Quare si quis non putans se iurare verba protulerit iurantia, vt de Cydippe narratur, locum habere potest quod ei tribuit Ouidius:

Quæ iurat mens est: nil coniurauimus illa.

ex Euripide desumtum qui in Hippolyto dixerat,

Iurata lingua est: mente iurauì nihil.

Soto lib. VIII, q. 1. art. 7. Couarr. ad c. quamuis. parte 1. §. 5.

Quod si quis volens iurare obligare se noluerit, non eo minùs obligatur, quia obligatio à iuramento est inseparabilis & effectus eius necessarius.

III. At si quis deliberatò protulerit verba iurantis, animo tamen non iurandi, hunc non obligari, sunt qui tradant, peccare tamen temerè iurando. Sed verius est teneri eum vera facere dicta quorum Deum adhibuit testem. nam is actus qui per se est obligatorius ex animo deliberato processit. Cui consequens est, vt quanquam plerumque verum est illud Tullij; *Quod ex animi tui sententia iuraueris, id non facere periurium est*; id tamen hanc exceptionem habeat, nisi qui iura sciat, aut probabiliter credat ab eo qui cum negotium est verba aliter accipi. nam dictis ipsis testem adhibens Deum, debet dicta facere vera, quomodo putat intelligi. Et hoc est quod idem ait Cicero: *Quod ita iuratum est, vt ei qui deferentis conciperet fieri oportere, id seruandum est.* Et Augustinus: *Periuri sunt qui seruatis verbis exspectationem eorum quibus iuratum est deceperunt.* Et Isidorus: *Quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hæc accipit sicut ille cui iuratur intelligit.* Atque hoc est quod dicitur liquidò iurare. Ideo Metellus rectè recusans iurare in legem Apuleianam, quanquam erant qui dicerent legem ob rogationis vitium esse irritam, & iuramentum in legem ita intelligendum si lex ritè rogata lataque esset. Nam quanquam in promissis aliis facilè subintelligitur tacita aliqua conditio quæ promissorem exsoluat, id tamen in iuramento admittendum non est: quò pertinet egregius ille locus Apostoli ad Hebræos: *Deus volens abundantiùs, mè hæredibus promissionis ostendere immutabilitatē consilij sui, fidem fecit iureiurando: vt per duas res immutabiles in quibus fieri non potest, vt fallat*

Off. III.

Epist. CXXIV.

App. de bello ciuil. lib. 1. Pan. in c. Clericus de iureiur. Silu. in verbo Iuramentum. 4. q. 23. VI. 17. ibi. Thom.

Deus

Deus (ita rectè verti puto illud ψεύδεσθαι, sicut aperta locutio vocatur veritas, Dan. VII. 16.) *firmum habeamus solatium.* Quæ verba vt intelligantur, sciendum est sanctos scriptores de Deo sæpe loqui ἀνθρωποπαθῶς, & magis secundum id quod videtur nobis quàm quod est. Nam Deus verè decreta sua non mutat. Mutare tamẽ *Ionæ IV. 2.* & pœnitentia duci dicitur, quoties aliter agit quàm verba sonare videbantur, nimirum ob conditionem tacitè intellectam quæ cessat. Ierem. XVIII. 8. Exempla videre est Gen. XX. 3. Esaiæ XXXVIII. 1. Ionæ III. 5. 11. Quo sensu etiam nos fallere Deus impropriè dici potest. & solet vox ψεύδεσθαι, quia in dicto loco ad Hebræos apparet, significationem habere euentus spem frustrantis, vt videre est tum alibi, tum Leuit. VI. 2. Ios. XXIV. 27. Ose. I. 2. Abac. III. 17. Facillimè autem hoc procedit in comminationibus, quia illæ ius nemini conferunt. In promissis interdum, vbi scilicet conditio tacitè quædam subest. Ideo duas res Apostolus nominat quæ immutabilitatem notant, promissionem, quia ius dat, & iuramentum, quia conditiones tacitas & aliquo modo latentes repellit. Nam aliud est si quas conditiones ipsa negotij natura apertè indicet. Quò nonnulli referunt id quod legitur Num. XIV. 30. Sed verius est terram promissam iuratò dici ipsis, non personis, sed populo, posteris scilicet eorum quibus Deus iurauerat, com. 23. Talis autem promissio impleri quouis tempore potest, nec personis certis adstringitur. Ex his quæ diximus intelligi potest quid sentiendum sit de iureiurando quod dolo elicitum est. Nam si certum est eum qui iurauit aliquod factum supposuisse quod reuera se ita non habeat, ac nisi id credidisset non fuisse iuraturum, non obligabit iura- *Nauar. c. 12. num. 13.* mentum. At si dubium sit, an non etiam sine eo idem fuisset iuraturus, standum erit verbis, quia simplicitas

quam maxima iuramento conuenit. Atque huc refero iusiurandum quod Iosue & primores populi Israëlitici Gabaonitis dederunt. Decepti quidem erant à Gabaonitis è regione longinqua se venire fingentibus. At non inde sequebatur Iosuam & primores, si sciissent ex vicinis populis eos esse, non fuisse eis parcituros. Nam quod dixerant Gabaonitis: *Fortasis in medio mei habitas, quomodo tecum paciscerer?* hunc habere sensum potest, vt interrogentur Gabaonitę quale pactum desiderent, sociale an deditionis; aut etiam vt ostendant Hebræi licitum sibi non esse cum quibusdam populis fœdus inire sociale: non etiam vt negent dedentibus se vitam relinqui posse. Lex enim diuina quæ eos populos internecioni deuouebat, ex legis alterius comparatione ita erat intelligenda, vt locum haberet nisi si qui moniti statim facerent imperata. Quod inter alia probat historia Rahabæ cui ob benemerita parcitum est, & Solomonis, qui Cananæorum reliquias sub imperium ac tributum accepit. Atque huc pertinet quod in Iosuæ libro dicitur nullam fuisse ciuitatem ex populis septem quæ pacem fecerit; obduratos enim ne gratia illis fieret. Quare cum credibile esset, si rem ipsam Gabaonitæ indicassent, quod præ metu non fecerunt, tamen vitam saluam sub parendi conditione impetraturos fuisse, valuit iusiurandum, adeo quidem vt & de eo violato postea pœnæ sumtæ sint grauissimę Deo auctore. Ambrosius hanc tractans historiam: *Iosue tamen pacem quam dederat, reuocandam non censuit, quia firmata erat sacramenti religione, ne, dum alienam perfidiam arguit, suam fidem solueret.* Nihilominus doli sui pœnam aliquam sustinuerunt Gabaonitæ iam sua deditione subditi facti Hebræorum. Addicti enim sunt personali cuidam seruituti, cum si egissent aperte, potuissent ad tributariam conditionem recipi.

Iosue IX.

Deut. XX. 10.

1. Reg. IX. 2.

XI. 19. 20.

II. Sam. XXI. 6.

V. Non

V. Non tamen vltra receptum loquendi morem extendenda est iuramenti significatio. Ideo periuri non erant qui cùm iurassent non daturos se in matrimonium filias Benjaminitis, raptas cum raptoribus viuere permiserunt. Aliud enim est dare, aliud amissum non repetere. Ambrosius de hoc facto: *Quæ indulgentia congruo intemperantiæ supplicio non videtur vacare, quando illis hoc solum permissum est vt rapta inirent coniugia, non connubii sacramento.* De Off. II. c. 14.

VI. Vt valeat iuramentum oportet obligatio sit licita. Quare nullas vires habebit iurata promissio de re illicita, aut naturaliter, aut diuina interdictione, aut etiam humana, de qua mox agem⁹. Bene Philo Iudæus: ἴστω δὲ πᾶς ἐνωμότως ἄδικα δρῶν, ὅτι εὐορκήσει μὲν οὔ, τὸν δὲ πολλῆς φυλακῆς καὶ ἐπιμελείας ἄξιον ὅρκον ἀνατρέπει, ᾧ τὰ καλὰ καὶ δίκαια ἐπισφραγίζεται. προστίθεται γὰρ ὑπαίτια ὑπαιτίοις, ἐν οὐ δέοντι γινομένοις ὅρκοις, οἷς πολὺ βέλτιον ἦν ἡσυχάζεσθαι πράξεις παρανόμους· ἀπεχόμενος οὖν τοῦ ἀδικοπραγεῖν ποτνιάσθω τὸν Θεὸν ἵνα μεταδῷ τῆς ἵλεω δυνάμεως αὐτῷ συγγενοῦς ἐφ' οἷς ἀβουλίᾳ χρησάμενος ὤμοσε. διπλάσια γὰρ αἱρεῖσθαι κακὰ, δυνάμενον τὴν ἡμίσειαν αὐτῶν ἀποφορτίζεσθαι, μανία καὶ φρενοβλάβεια δυσίατος. *Sciat quisquis ob iuramentum iniusti aliquid molitur agere, non se iurisiurandi obseruantem fore, sed potiùs euersorem iurisiurandi, quod magna cura ac religione dignum est, & quo honesta ac recta sanciri solent. Addit enim culpam culpæ, iuramento non rectè facto, & quo abstinere satius fuerat actum illegitimum. Quare ab iniusta actione abstinens Deum veneretur, vt quæ ipsi est maximè propria misericordiam ei impertiat. Nam dupla eligere mala, cùm parte altera exonerari possis, insanabilis est furor, & mentis inopia.* Exemplum dari potest in Dauide qui Nabali pepercit quem se occisurum iurauerat. I. Sam. XXV. Cicero simile ponit exemplum in voto Agamemnonis: Dionysius Halicarnassensis in coniuratione Decemuirorum de republica occupanda. Lib. II. Seneca:

Præstare fateor posse me tacitam fidem,
Si scelere careat: interim scelus est fides.

Off. 1. c. vlt. Vbi *interim* valet *interdum*. Ambrosius: *Est enim contra officium nonnunquam soluere promissum, iuramentum custodire.* Augustinus: *Si ad peccatum admittendum fides exhibeatur, mirum est si fides appellatur.*

VII. Imò etiamsi res quæ promittitur non sit illicita, sed maius bonum morale impediens, sic quoque non valebit iusiurandum: quia scilicet profectum in bono Deo debemus, ita vt eius libertatem eripere nobis ipsis non valeamus. Huc pertinet insignis eius quę dixi Philonis Iudæi locus quem asscribere non pigebit: Εἰσὶ δ' οἱ τὸν φύσιν ἄμικτοι, καὶ ἀκοινώνητοι πρὸς ἅπαν ἀνθρωπίας μισανθρωπίας γεγονότες, ἢ καὶ ὑπ' ὀργῆς οἷα χαλεπῆς διακαυθέντες, ὅρκῳ τὸν ἀχειότητα πιστωσάμενοι ἢ ἄθων, οἵπερ οὐ φασιν ὁμοτράπεζον, ἢ ὁμόροφον ἔξειν τὸν δεῖνα, ἢ πάλιν τῷ δεινὰ ῥέξειν ὠφελείαν τινὰ ἢ παρ' ἐκείνου τινὰ λήψεσθαι, καὶ μήτε πλευτῆς. *Sunt quidam adeò duro atq; insociabili ingenio, siue odio humani generis, siue dura domina iracundia subacti, vt morum feritatem iureiurando obfirment, vt ne hunc habeant mensæ aut tecti socium, ne illi bene vnquam faciant, ne quid ab eo ad mortem vsque accipiant.* Quod ait iurasse quosdam ne huic vel illi vnquam bene facerent, id Hebræi vocabant נדר הנאה. id est εὐχὴν ὠφελείας, votũ de beneficentia. Huius formula tradentibus Hebræorũ magistris, erat קרבנ שאתא נהנה לי, aut קרבנ בל מה דרהנא, cui conuenit illa Syriaca in veteri versione Matth. xv. 5. מרם דתח הנא מני קרבני: Græcè, δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. id est, *Donum Deo dicatum sit,* (id enim est קרבנ κορβᾶν) *si quid vnquam à me boni acceperis.* Votum addita consecrationis pœna validũ planè censebant Hebræorum magistri, pessimi iuris diuini interpretes, etiamsi aduersus parentes factum esset: quod dicto loco refellit Christus, in cuius verbis τιμᾶν honorare est benefa-ce-

nefacere, vt collato Marci loco apparet, & Pauli I. Timot. v. 3. 17. & Num. xxxiii. 11. Sed etiamsi aduersus alios conceptum sit, rectè dicemus non obligare iusiurandum, quia vt diximus profectui aduersum est.

Th. 2. 2. 89. art. 7. & ibi Cai. Grat. c. vlt. §. vlt. 22 quæst. 4. Soto lib. VII. q. 1. art. 3. circa 2.

VIII. De impossibilibus dicere nihil attinet. Satis enim manifestum est ad omnino impossibile neminem obligari.

IX. De eo verò quod pro tempore, aut ex suppositione est impossibile in pendenti esse obligationem, ita vt is qui ex suppositione iurauit operam quam potest dare debeat, vt quod iurauit possibile reddat.

X. Forma iurisiurandi verbis differt, re conuenit. Hunc enim sensum habere debet, vt Deus inuocetur, putà hoc modo: *Deus testis sit*, aut *Deus sit vindex*, quæ duo in idem recidunt. Nam cùm superior puniendi ius habens testis aduocatur, simul ab eo perfidiæ vltio poscitur: & qui scit omnia vltor est ideo quia testis. Hue pertinent federum formulæ antiquæ quibus mos erat victimas adhiberi, vt apparet Gen. xv. 9. & sequentibus. Vt illa Romana apud Liuium: *Tu Iupiter ita illum ferito, vt ego hunc porcum.* Et alibi: *Deos precatus ita se mactarent quemadmodum ipse agnum mactasset.* Et apud Polybiũ ac Festum: *Si sciens fallo, ita me Diespiter eijciat, vt ego hunc lapidem.*

Lib. 1. Lib. XXI.

XI. Sed & nominatis rebus personisve aliis iurari mos est vetus, siue quòd illas sibi noxias imprecabantur, vt solem, terram, cœlum, principem, siue quòd in illis puniri deposcebant, vt in capite, in liberis, in patria, in principe. Neque profanarum tantum gentium hic mos, sed & Iudæorum, vt idem ille Philo nos docet. Ait enim non debere iuraturos ob rem quamuis statim ἐπὶ τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἀνατρέχειν, *ad rerũ omnium auctorem ac parentem procurrere*, sed iurare per parentes, cœlum, terram, vniuersum. cui simile est quod

Homeri interpretes notant, Græcos illos veteres non solitos περπτῶς κατὰ τὴν θεὸν ὀμνύειν, ἀλλὰ καθ' ἣν περινεύοντων, facilè per Deos iurare, sed per res alias præsentes, vt per sceptrum: idque ipsum à iustissimo rege Rhadamantho fuisse constitutum tradit Porphyrius, & ad Aristophanem scholiastes. Sic Iosephus per salutem Pharaonis iurasse legitur, Elisæus per vitam Eliæ. Neque verò Christus Matthæi v. vt quidam existimant, hæc iuramenta vult minus esse licita quàm quæ expresso Dei nomine fiunt: sed cùm Hebræi ea minus curarent, opinione quadam non dissimili illius qui dixit, *Sceptrum non putat esse Deos*, ostendit & hæc esse vera iuramenta. Nam & Vlpianus optimè dixit: *Qui per salutem suam iurat, Deum iurare videtur. respectu enim diuini Numinis iurat.* Sic Christus ostendit eum qui Templũ iurat, Deum iurare qui Templo præsidet, & qui cœlum, Deum qui cœlo velut insidet. At Hebræi magistri istorum temporum existimabant non obstringi homines iuramentis per res conditas factis nisi adiecta pœna, vt si res de qua iurabatur, Deo consecraretur. Hoc enim est iuramentum κορβᾶν, siue ἐν τῷ δώρῳ, cuius non dicto tantum Matthæi loco, sed in Tyriorũ quoque legibus mentio exstabat, vt ex Iosephi contra Appionem disputatione discimus: nec aliunde arbitrer Orientis populos dictos Græcis καρβάνους, quæ vox apud Æschylum & Euripidem exstat. καρβάνα δ' αὐδάς, apud eundem Æschylum. Huic ergo errori dicto loco Christus occurrit. Christianos veteres Tertullianus iurasse ait per salutẽ Principis omnibus Geniis augustiorem. Apud Vegetium formula est, cuius & suprà meminimus, qua Christiani milites iurant nõ per Deum tantùm, sed & per maiestatem Imperatoris, quæ secundùm Deum humano generi diligenda est & colenda.

Gen. XLII. 15. II. Reg. II. 2.

L. Qui per. D. de iure iur.

Matth. XXIII. 21.

XII. Sed

XII. Sed & si quis per falsos Deos iurauerit obligabitur: quia quanquam sub falsis notis generali tamen complexione numen intuetur: ideoque Deus verus si peieratum sit in suam iniuriam id factum interpretatur. Et sanctos viros videmus non detulisse quidē vnquam sub ea forma iusiurandum, multo minùs ita iurasse, quod à Duareno permitti miror; sed tamē si quibuscum negotium erat adduci non possent, vt aliter iurarent, contraxisse cum eis, ipsos quidem vt oportebat iurantes, ab illis autem iuramentum accipientes quale haberi poterat. Exemplum est in Iacobo & Labane Genes. xxxi. 53. Hoc est quod ait Augustinus: *Et qui per lapidem iurat, si falsum iurat periurus est.* Deinde: *Nō te audit lapis loquentem, sed punit Deus fallentem.* Effectus iuramenti præcipuus est præcidere controuersias. Πάσης ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος, inquit diuinus scriptor ad Hebræos. *Omnis disputationis finis est iuramentum rem sanciens.* Cui simile est illud Philoneum: ὅρκος μαρτυρία Θεοῦ περὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου: *Dei testimonium est iusiurandum de re de qua ambigitur.* Et illud non dissimile Halicarnassensis: τελευταία δὲ πίστις ἅπασίν ἐστιν ἀνθρώποις ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, ἣν οὐδεὶς πώποτε ἀναιρήσει χρόνος, ἡ δι' ὅρκων καὶ σπονδῶν ἐγγυητὰς θεοὺς ποιουμένη τῶν συμβάσεων. *Vltima fides inter homines tum Græcos tum barbaros, quā nulla delebit ætas, est ea quæ per iurata pacta sponsores adhibet Deos.* Sic & Ægyptiis iusiurandum μεγίστη παρ' ἀνθρώποις πίστις, maxima fides hominibus inter se.

August. Epist. ad Public. 254.

Diod. Sicul.

XIII. Duo ergo debet iurans, primùm vt verba animo congruant, quod ἀληθορκεῖν vocat Chrysippus; alterum vt factum congruat verbis, quod idem appellat εὐορκεῖν. Qui in illo peccat ψευδορκεῖν, qui in hoc ἐπιορκεῖν eidem Chrysippo dicitur, satis distinctè, quanquam confundi interdum hæc solent.

XIV. Et si quidem materia talis sit, & verba ita cō-

cepta vt non ad Deum tantum, sed & ad hominem referantur, ius haud dubie homini ex ipso iuramento quæretur, tanquam ex promisso aut contractu qui simplicissime intelligi debeat. Si vero aut verba hominem non respiciant ius ei conferendo, aut respiciant quidem, sed aliquid sit quod ei possit opponi, tunc ea vis erit iurisiurandi, vt homo quidem ille ius nullum consequatur, at nihilominus qui iurauit Deo obligetur stare iureiurando. Huius rei exemplum est in eo qui per metum iniustum causam promissioni iuratæ dedit. Nam hic ius nullum consequitur, aut tale quod reddere debeat, quia causam damno dedit. Sic videmus Hebræos reges, & à Prophetis increpitos & punitos à Deo quod fidem iuratam Babyloniis regibus non seruassent. Laudat Cicero Pomponium tribunum qui seruauit quod terrore coactus iurauerat: *tantum*, inquit, *temporibus illis iusiurandum valebat.* Quare non Regulus tantum redire in carcerem, vt maxime is fuerit iniustus, debuit; sed & decē illi quorum Cicero meminit, redire ad Annibalem: iusiurandum enim interceſſerat.

Ezech. XVII. 12.14.15.

Off. III.

Tolet. lib. IV. c. 22. Off. III.

XV. Neque hæc tantum inter hostes publicos locum habent: sed inter quosuis. non enim persona sola respicitur, cui iuratur, sed is qui iuratur Deus qui ad obligationem pariendam sufficit. Repudiandus ergo Cicero cum ait periurium nullum esse, si prædonibus pactum pro capite pretium non adferatur, nesi iuratum quidem sit: quia pirata non sit ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium, cum quo nec fides esse debeat, nec iusiurandum commune. Quod & de tyranno dictum ab eodem est alibi, & à Bruto apud Appianum: οὐδὲν πιστὸν ἦν Ῥωμαίοις πρὸς τύραννους οὐδὲ ὅρκιον, *cum tyranno Romanis nulla fides, nulla iurisiurandi religio.* Atqui sicut in iure gentiū constituto

Th. 2. 2. 89. art. 7. & ibi Cai. Alex. Imol. in c. verum de iureiur. Soto lib. VIII. q. 1. art. 7.

Ciuil. II.

tuto differre hostem à pirata verum est, & à nobis infra ostendetur; ita hic ea differentia locum habere nō potest, vbi etsi personæ ius deficiat, cum Deo negotiū est: qua de causa iuramentum voti nomine nuncupatur. Neque id quod sumit Cicero verum est, nullam esse cum prædone iuris societatem. Nam depositum ex ipso gentium iure reddendum latroni, si dominus non apparet, recte à Tryphonino responsum est. Quare probare non possum quodà quibusdam est traditū, cum qui prædoni quicquam promiserit momentanea solutione posse defungi, ita vt liceat ei quod soluit recuperare. Verba enim in iuramēto quoad Deum simplicissime atque adeo cum effectu sunt intelligenda. Atque ideo qui rediuit ad hostem clam, iterumque abiit, non satisfecit iuramento de reditu, vt recte à Senatu Romano iudicatum est. *L. Bona fides. D. depositi.*

XVI. Illud vero Accianum:

T. *Fregisti fidem.*

A. *Quam neque dedi, neque do infideli cuipiam:*

ita demum probari potest, si iurata promissio aperte respectum habuerit alterius promissionis, quæ ei quasi conditio fuerit implicita, non si diuersi generis sint promissa & citra respectum mutuum. tunc enim omnino seruandum cuique erit quod ipse iurauit. Inæqualitatem in contractibus naturaliter locum facere, aut rescindendi, aut reformandi contractus supra diximus. Et quanquam ius gentium aliquid in hac re mutauit, iure tamen ciuili, quod inter eiusdem populi partes valet, rediri sæpe ad illud quod natura licebat, itidem supra monuimus. Sed hic quoque, si iuramentū interceſſit, etiamsi personæ nihil aut minus debeatur, Deo fides erit præstanda. Itaque Psalmorum scriptor vbi viri boni virtutes enumerat addit & hanc: *Iuratus in damnum suum non tamen mutat.* *L. sicut. in fine. de iureiurando.* *Auth. sacramenta. C. si aduersus vend.* *Psal. XV.*

XVII. V

XVII. Verùm illud notandum est, quoties non personæ ius nascitur ex tali aliquo defectu qualem diximus, sed Deo obstringitur fides, heredem eius qui iurauit non teneri. Quia ad heredem sicut bona transeunt, id est quæ in hominum sunt commercio, ita bonorum onera; non item alia quæ quis ex officio putà pietatis, gratiæ, fidei debuit. Hæc enim ad illud quod strictè ius dicitur inter homines non pertinent: vt alibi quoque ostendere meminimus.

XVIII. Sed etiam vbi ius personæ non nascitur, si tamen iuramentum vtilitatem spectet alicuius, atque is eam nolit, non tenebitur qui iurauit: sicut nec tenebitur si cesset qualitas sub qua alicui iurauit, vt si magistratus desinat esse magistratus.

XIX. Illud quæritur, an quod contra iuramentum fit, illicitum sit tantùm, an & irritum, qua de re distinguendum arbitror, vt si sola fides sit obstricta, valeat actus contra iuramentũ factus, putà testamentum, venditio: non valeat autem si ita conceptum sit iusiurandum, vt simul contineat abdicationem plenam potestatis ad actum. Et hæc quidem naturaliter iusiurandum sequuntur: ex quibus faciendum est iudicium de Regum iuramentis, & his quæ exteri exteris iurant, quando actus ex loco subiectionem non accepit.

c. dilecto, de præbendis. Couarr. in d. c. quamuis. p. 2. §. 2. n. 10.

XX. Nunc quid superiorum, id est Regum, patrum, dominorum, & maritorum in his quæ maritalis sunt iuris, imperia possint videamus. Superiorũ actus hoc quidem efficere non potest, vt iusiurandum quatenus verè fuit obligatorium non sit præstandum: id enim, iuris est naturalis & diuini. Sed quia actus nostri non plenè sunt in nostra potestate, sed ita vt à superioribus dependeant, ideo duplex esse potest actus superiorum circa id quod iuratur, alter directus in personam iurantis, alter in personam cui iuratur. In personam

Th. 2. 2. q. 89. art. 9.

nam iurantis dirigi potest, aut antequam iuretur irritum reddendo iuramentum, quatenus ius inferioris sub potestate superioris continetur, aut postquam iuratum est vetando ne impleatur. Nam inferior quà inferior obstringere se non potuit, nisi quatenus superiori id placiturum esset: ampliorem enim non habebat potestatem. Hoc modo lege Hebræa mariti vxorum, patres filiarum iuramenta irrita faciebant. Proponit hanc quæstionem Seneca: *Si lex lata erit, ne id quisquam faciat quod ego me amico meo facturum promiseram?* & soluit: *Eadē lex me defendit quæ vetat.* Sed & actus ex vtroque mixtus esse potest, vt si superior cōstituat quod inferior iurauerit hoc aut illo casu, putà ex metu, aut imbecillitate iudicii, ita demum valere si ab ipso approbetur. Atque ex hoc fundamento defendi possunt absolutiones iuramentorum, quæ olim à principibus, nunc ipsorum principum voluntate, quò magis cautum sit pietati, ab Ecclesiæ præsidibus exercentur. In personam eius cui iuratur actus dirigi potest tollendo ab eo ius quod ei partum est, aut etiam, si ius desit, vetando ne quid ex tali iuramento accipiat. idque duobus modis, siue in pœnam, siue ob publicam vtilitatem ex vi supereminentis dominij. Atque hinc intelligi potest si iurans non eiusdem sit ditionis cum eo cui iuratur, quid aut huius aut illius rectores possint circa iusiurandum. Ipse autem qui iuratus aliquid promisit nocenti quà talis est, putà piratæ, non potest ius promissō quæsitum pœnæ nomine ob id ipsum ei auferre: quia tunc verba nullum haberent effectum, quod omnino vitandum est: Similique de causa compensari non poterit quod promissum est, cum iure quod ante erat controversum, si post moram controversiam inita pactio fuerit. Potest & lex humana impedimentum, quod certi generis actibus posuerat, tollere, si iura-

c. Venientes de iureiurā do. c. 1. de prohibit. feudi alien. per Fed. Lib. IV. de benef. 35.

L. vlt. ad mun. Molin. disp. 149. c. si vero. de iureiurando.

si iuramentum aut qualecunque, aut certa forma accesserit: quod Romanæ leges fecerunt in iis impedimentis quæ non directè publicam, sed priuatam iuratis vtilitatem spectant. Quod si fiat, valebit actus iuratus eo modo quo naturaliter citra legem humanam fuerat valiturus, aut fidem tantùm obstringendo, aut ius etiam dando alteri, pro diuersa actuum natura quę alibi à nobis explicata est.

XXI. Notandū hîc est obiter quod in Christi præceptis, & apud Iacobum de non iurando dicitur, propriè non ad assertorium iuramentum, cuius apud Paulum Apostolum exempla exstant aliquot, sed ad promissorium futuri incerti pertinere. Ostendit hoc euidenter oppositio illa in verbis Christi: *Audistis dictum antiquis, Non peierabis, sed reddes Domino iuramentum. Ego verò dico vobis, Ne iurate omnino.* Et ratio quam Iacobus adiicit: μὴ εἰς ὑποκρισιν πέσητε, id est, nè fallaces inueniamini. nam eum sensum vox ὑποκρίσεως apud Hellenistas habet, vt apparet Iob. xxxiv. 10. Matth. xxiv. 51. & alibi. Idem euincit illud in Christi verbis, ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ ναί, οὒ οὔ, quod sic Iacobus explicat, ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ: vbi manifestè est figura quam πλοκὴν Rhetores vocant, vt in illo,

Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.

Et in altero simili: *Ad illum diem Memmius erat Memmius.* Nam prius ναὶ & οὒ promissum significat, posterius eius implementum. Est enim ναὶ promittentis: vnde per ἀμὴν explicatur Apoc. 1. 7. Hinc vetus Hebræorū dictum, *iusti hominis* ναὶ *est* ναὶ, *& non est non.* Contrà, quorum facta à dictis discrepant apud eos esse dicitur ναὶ καὶ οὔ. 1 1. Cor. 1. 18. 19. id est ναὶ eorum esse ὄχι, & ὄχι esse ναί. Sic Paulus Apostolus ipse exponit, nam cùm negasset se ἐλαφρίᾳ χρήσασθαι, leuitate vsum, addit sermonē suum non fuisse ναὶ καὶ οὔ. Festus varias referens sentē-

tias

tias de significatione vocis *naucum*, sic scribit: *Quidam* (aiunt) *ex Græco* ναὶ καὶ οὐχὶ *leuem hominem significari*. Quòd si ναὶ καὶ οὔ leuitatem significat, sequitur, vt ναὶ ναὶ, οὔ οὔ, constãtiam significet. Idem ergo dicit Christus, quod Philo: κάλλιστον καὶ βιωφελέστατον καὶ ἅρμοττον λογικῇ φύσει τὸ ἀνώμοτον, οὕτως ἀληθεύειν ἐφ' ἑκάστου δεδιδαγμένη, ὡς τοὺς λόγους ὅρκους εἶναι νομίζεσθαι. *Optimum atque vtilissimum & rationali naturæ conuenientissimum est iuramento abstinere, atq; ita se veracitati assuefacere vt verba pro iuramento accipiantur.* Et alibi: ὁ τοῦ σπουδαίου λόγος ὅρκος ἔστω βέβαιος, ἀκλινὴς, ἀψευδέστατος. *Viri boni oratio pro iuramento sit firmo, immutabili, fallere nescio.* & quod de Essenis Iosephus: πᾶν τὸ ῥηθὲν ὑπ' αὐτῶν ἰσχυρώτερον ὅρκου. τὸ δὲ ὀμνύειν αὐτοῖς περιίσταται: *quicquid dixerint validius est iureiurando: ac superuacua res ipsis habetur iurare.* Clemens quoque Alexandrinus dixit viri boni esse, τὸ πιστὸν τῆς ὁμολογίας ἐν ἀμεταπτώτῳ καὶ ἑδραίῳ δεικνύειν βίῳ τε καὶ λόγῳ. *Fidem promissi ostendere in verborum ac vitæ stabilitate & constantia.* Alexis Comicus:

ὅρκος βέβαιός ἐστιν ἂν νεύσω μόνον.

Nutus mei pro iureiurando valent.

A Christi dicto non discrepat Hieroclis illud ad aureum carmen: ὁ σέβου ὅρκον ἐν ἀρχῇ παραγγείλας τὴν ἀποχὴν τοῦ ὀμνύναι, προστάττει περὶ τῶν ἐνδεχομένων καὶ ἀόριστον τῆς ἐκβάσεως ἐχόντων τὸ πέρας. ταῦτα γὰρ τὰ μικρὰ καὶ μεταπίπτοντα, διὸ οὔτε ἄξιον ἐπ' αὐτοῖς ὀμνύναι οὔτ' ἀσφαλές. *Qui in principio dixerat, Iusiurandum reuerere, eo ipso præceperat abstinere à iurando de his quæ possunt fieri & non fieri, & incertum habent casus exitum. Talia enim & parui ducenda sunt, & mutabilia sunt, vnde nec dignum de iis iurare nec tutum.*

XXII. Ideo multis in locis vice iurisiurandi repertum est, vt fides datis dexteris, aut alio quo signo obstringatur, ea vi, vt ni impleatur promissio, promissor non minus detestabilis habeatur quàm si peierasset. Præcipuè de regibus virisque principibus dictum est

Can. in c. querelam. de iureiur. Pan. in c. ad aures. De his quæ vi vel metus causa.

Itaſ. in l. III. § iurari. D. de iureiur. Mynſ. obſ. 17. cent. 1.

eſt vſitatiſſimum, fidem eorum pro iureiurando valere. Tales enim eſſe debẽt, vt cum Auguſto dicere poſſint, Bonæ fidei ſum: & cum Eumene, vitam ſe potiùs poſituros quàm fidem: quò & illud pertinet Gunther Ligurini:

nudo ius & reuerentia verbo
Regis ineſſe ſolet, quouis iuramine maior.

CAPVT XIV.

De eorum qui ſummum imperiũ habent promiſſis & contractibus & iuramentis.

I. *Refellitur ſententia ſtatuens reſtitutiones in integrum ex iure ciuili venientes ad regum actus quà tales ſunt pertinere: item regem ex iuramento non teneri.*

II. *Ad quos regum actus leges pertineant diſtinctionibus explicatur.*

III. Iureiurando rex quando teneatur, aut non teneatur.

IV. *Quatenus rex teneatur his quæ ſine cauſa promiſit.*

V. *Vſus eius quod de legum vi circa regum contractus dictum eſt.*

VI. Rex ſubditis obligari naturaliter tantùm aut & ciuiliter quo ſenſu rectè dicatur.

VII. Ius quæſitum ſubditis licitè quomodo auferatur:

VIII. Reiectâ hic diſtinctio quæſiti ex iure naturali aut ciuili.

IX. Contractus regum an leges ſint, & quando.

X. *Quomodo ex regum contractibus teneantur omnium bonorum heredes.*

XI. *Quomodo ex ijſdem contractibus obligentur qui in regnum ſuccedunt:*

XII. Et

XII. *Et quatenus.*

XIII. *Beneficia regum quæ reuocabilia sint, quæ non, distinctione explicatur.*

XIV. *Contractibus inuasorum imperij an teneatur cuius erat imperium.*

I. PROMISSA, contractus & iuramenta Regum & qui alii iis pares ius in republica summum obtinent, peculiares habent quæstiones, tum de eo quod ipsis in actus suos licet, tum de eo quod in subditos, tum de eo quod in successores. Quod primum caput attinet, quæritur an ipse rex, vt subditos suos, ita se quoque restituere in integrum, aut contractum irritū facere, aut à iureiurando se exsoluere possit. Bodinus censet iisdem ex causis Regem siue aliena fraude ac dolo, siue errore circumuētum, siue metu, restitui posse ex quibus subditus restitueretur, tum in iis quæ ad iura maiestatis imminutæ, tum in iis quæ ad priuata commoda pertinent. Addit ne iureiurando quidem teneri regem, si eiusmodi sint pacta conuēta à quibus discedere lex patiatur, etiamsi pacta honestati sint consentanea: non enim ideo teneri quia iurauerit, sed quia iustis conuentionibus quisque teneatur quatenus alterius interfit. Nos vt alibi distinximus, ita hîc quoque distinguendum censemus interactus Regis qui regii sunt, & actus eiusdem priuatos. Nam in regiis actibus quæ rex facit eo loco habenda sunt quasi communitas faceret: in tales autē actus sicut leges ab ipsa communitate factæ vim nullam haberent, quia communitas se ipsa superior non est, ita nec leges regiæ. Quare aduersus hos contractus restitutio locum non habebit: venit enim illa ex iure ciuili. Non admittenda igitur exceptio regum aduersus contractus quos minores fecissent. *Lib. 1. cap.*

II. Planè si populus regem fecerit non pleno iure, sed additis legibus, poterunt per eas leges contrarij actus irriti fieri, aut omnino, aut ex parte, quia eatenus populus ius sibi seruauit. De iis autem actibus regum qui pleno iure regnant, sed regnum non vt proprium possident, quibus regnum aut regni pars aut res fiscales alienantur, egimus suprà, & ostendimus hos actus ipso naturæ iure nullos esse vt factos de re aliena. At priuati actus regis considerandi sunt, non vt actus cõmunitatis, sed vt actus partis, ac proinde facti eo animo vt communem legum regulam sequantur. Vnde etiam leges, quæ actus quosdam aut simpliciter, aut si is qui læsus est velit, irritos faciunt, locum & hîc habebunt, quasi sub ea conditione contractum foret. Sic videmus reges quosdam aduersus fœnebre malum sibi consuluisse iuris remediis. Poterit tamen rex vt aliorũ ita suos actus his legibus soluere; quod an facere voluerit, ex circumstantiis erit æstimandum. Si fecerit, iudicanda res erit ex mero iure naturali. Hoc addendũ, si quæ lex actum irritum faciat, nõ in fauorem agentis, sed in pœnam, hanc in regum actibus locum non habituram, vt nec alias leges pœnales & quicquid vim habet cogendi. Nam punitio & coactio non possunt procedere nisi à voluntatibus diuersis: itaque cogens & coactum requirunt distinctas personas, neque sufficiunt distincti respectus.

III. Iuramentum autem Rex irritum reddere antecedenter potest vt priuatus, si se ipse potestate tale quid iurandi planè priuauerit priore iuramento: consequenter non potest, quia hîc quoque personarum distinctio requiritur. Nam quæ consequenter irrita redduntur, iam antea exceptionem in se habebant, nisi superior noluerit. at ita iurare vt tenearis nisi ipse nolis, perabsurdum est & naturæ iurisiurandi cõtrarium.

Etsi

Etsi verò ex iureiurando ius quæri alteri non possit, ob aliquod vitium in persona, tamen eum qui iurauerit Deo obstringi suprà ostendimus: quod ad reges non minùs quàm ad alios pertinet, contrà quàm sentit dicto loco Bodinus.

IV. Promissa quoque plena & absoluta atque acceptata naturaliter ius trãsferre demonstratum suprà est, quod itidem ad reges non minùs quàm ad alios pertinet, ita vt improbanda sit hoc quidem sensu eorum sententia qui negant regem teneri vnquam his quæ sine causa promisit; quod tamen quo sensu locum habere possit mox videbimus. *Ang. l. Lucius. D. de euiction. Curt. iun. cons. 138. n. 4.*

V. Cæterùm quod diximus suprà, leges ciuiles regni locum non habere in regum pactis & cõtractibus, id rectè vidit & Vasquius. Sed quod infert emtionem & venditionem sine certo pretio, locationem & conductionem non expressa mercede, emphyteusin sine scriptura si à Regibus fiant valitura, non concedẽdum est: quia hi actus non à rege quà rege, sed ab eo quasi alio quouis fieri solent. In quo actuum genere tantum abest vt communes regni leges vim nullam habeant, etiam leges oppidi vbi Rex habitat valere credimus: quia speciali ratione rex ibi se habet, vt illius cœtus membrum. Quæ tamen vt diximus ita procedunt nisi circumstantiæ ostendant placuisse regi suum actum ab illis legibus immunem facere. Aliud verò exemplum quod idẽ adfert Vasquius de promissione quolibet modo facta, bene conuenit, & ex his quæ suprà diximus explicari potest. *Lib. 11. Contr. Ill. c. 51. n. 34. Suar. lib. III. c. 35. n. 14. Bal. l. 1. D. de pactis. L. Princepr legibus. D. de legibus. L. vlt. C. de transf. L. Si aquã. C. de seruit.*

VI. Contractibus quos rex cum subditis iniit obligari eum naturaliter tantùm, non ciuiliter Iurisconsulti fermè omnes sentiunt. quod loquẽdi genus perobscurum est. Nam naturalis obligatio interdum à iuris auctoribus dicitur per abusionem de eo quod fieri

Dd. in c. 1. de Const. Bal. L. Si pecuniam. C. de condict. ob causam: & in l. ex imperfecto. C. de testamentis. L. Si pœna. D. de cond. ind. L. 1. C. ad l. Falc. L. Sed & si lege. §. consuluit. D. de pet. hered.

natura honestum est, quanquam non vere debitum, vt legata integra sine detractione Falcidiæ præstare, soluere debitum quo quis in pœnam creditoris erat liberatus, vicem beneficio rependere, quæ omnia cessare faciunt condictionem indebiti: Interdum vero magis proprie id quod vere nos obligat, siue inde ius alteri oriatur, vt in pactis, siue non oriatur vt in plena & firma pollicitatione. Maimonides Hebræus libro III. ducis dubitantium capite 54. tria hæc aptè distinguit, & quæ non debentur ait venire benignitatis nomine, id est חסד, quæ debẽtur ex iure stricte sumto משפט iudicium Hebræis vocari, quæ ex honestate iustitiam צדקה, id est æquitatem. Ciuiliter quoque obligari ex actu suo dici quis potest, aut eo sensu vt obligatio procedat non ex mero iure naturali, sed ex iure ciuili, vel ex vtroque, aut eo sensu, vt in foro actio inde detur. Dicimus ergo ex promisso & contractu Regis quem cum subditis iniit nasci veram ac propriam obligationem quæ ius det ipsis subditis: ea enim est & promissorum & contractuum natura, vt supra ostendimus: etiam inter Deum & hominem. Quòd si tales sint actus qui à rege, sed vt à quouis alio fiant, etiam ciuiles leges in eo valebunt: sin actus sit regis, qua regis, ad eum ciuiles leges non pertinent. quod discrimen à Vasquio non satis obseruatum est. neque tamen eo minus ex vtrouis actu nascetur actio, nempe vt declaretur ius creditoris, sed coactio sequi non poterit, ob statum eorum quibuscum negotium est: nam subditis cogere eum cui sunt subditi non licet, sed æqualibus in æquales id ius est à natura, superioribus in subditos etiam ex lege.

Iaſ. l. V. de cont. causa dat. Cast. al. de Imperio. q. III. vers. 81. Vasq. lib. 1. contr. III. c. 3. n. 1. Bod. 1. c. 8.

VII. Sed hoc quoque sciendum est, posse subditis ius etiam quæsitum auferri per regem duplici modo, aut in pœnam, aut ex vi supereminentis dominii: sed vt id

id fiat ex vi supereminentis dominii primum requiritur vtilitas publica; deinde, vt si fieri potest, compensatio fiat ei qui suum amisit ex communi. Hoc ergo sicut in rebus aliis locum habet, ita & in iure quod ex promisso aut contractu quæritur. *Vasq. lib. 1. cont. 34. n. 5. in pr. & lib. 1. frcq. cont. Castr. lib. 1. cons. 229.*

VIII. Neque vllo modo hic admittenda est distinctio quam adferunt nonnulli, iuris quæsiti ex vi iuris naturalis, & eius quod venit ex lege ciuili. nam in vtrumuis par ius est Regis, nec hoc magis quàm illud sine causa tolli potest. Vbi enim dominium, aut ius aliud alicui legitimo modo partum est, id ne sine causa ei auferatur iuris est naturalis. Contra si rex faciat, haud dubiè tenetur reparare damnum datum: facit enim contra verum ius subditi. Hoc ergo differt ius subditorum & ius exterorum, quod ius exterorum (hoc est qui nulla ratione subditi sunt) supereminenti dominio nullo modo subest: nam de pœna infra videbimus: subditorum autem ius ei dominio subest quatenus publica vtilitas desiderat.

IX. Ex his quæ diximus & hoc apparet, quam falsum sit quod quidam tradunt contractus Regum leges esse. Nam ex legibus nemini ius aduersus Regem nascitur: ideo si eas reuocet nemini facit iniuriam. Peccat tamen si sine iusta causa id faciat. At ex promissis & contractibus ius nascitur. Contractibus ligantur contrahentes tantum: legibus subditi omnes. Possunt tamen quædam esse mixta ex contractibus & legibus, vt contractus cum vicino rege, aut cum publicano factus, qui simul pro lege publicatur, quatenus ei insunt quæ subditis obseruanda sunt. *Bal. in l. Cæsar. D. de publicanis. Bart. in l. sicut. D. quod cuiusque vniuersitatis. Iaf. cons. 1. col. 4. vol. 1. & alii allegati à Vasquio. d. c. 3. n. 5.*

X. Veniamus ad successores: de quibus adhibenda distinctio est, sint ne omnium simul bonorum heredes, vt qui regnum quod in patrimonio est testamento vel ab intestato accipiunt; an successores regni

duntaxat, puta ex electione noua, aut ex præscripto, siue imitatione quadam vulgaris hereditatis, siue aliter: an vero mixto iure succedentes. Nam qui bonorum omnium ita vt regni heredes sunt, quin promissis & contractibus teneantur dubitandum non est. Pro debitis enim etiam personalibus bona defuncti vt obligata sint ipsi rerum dominio cœuum est.

XI. At qui in ius regni duntaxat succedũt, aut partim in bona, in ius regni vero in solidum, quatenus obligentur, tam dignum est quæri, quam confuse hactenus tractatum est. Directe, hoc est ἀμέσως hos successores regni qua tales non obligari satis est manifestum. quia ius non accipiunt ab eo qui proxime decessit, sed à populo, siue ea successio propius accedat ad ius hereditarium vulgarium, siue absit longius; de quo discrimine supra egimus. Sed ἐμμέσως, id est per interpositam ciuitatem obligantur etiam tales successores: quod sic intelligetur. Cœtus quilibet non minus quam personæ singulares ius habet se obligandi per se aut per maiorem sui partem. Hoc ius transferre potest tum expresse, tum per consequentiam necessariam, puta imperium transferendo. nam in morbis qui dat finem, dat ea quæ ad finem perducunt.

XII. Non tamen in infinitum hoc abit, nequenim obligandi infinita potestas ad imperium recte exercendum necessaria est, vt nec ad tutelam aut curationem, sed quatenus eius potestatis natura exigit. *Tutor domini loco habetur*, inquit Iulianus, *cum rem administrat, non cum pupillum spoliat*. quo sensu & illud intelligẽdum q̃ dixit Vlpianus, magistri societatis pactũ societatẽ in nõ prodesse tantũ, sed & obesse. Neq; tamẽ, vt quidam existimant, res hæc ad naturam negotiorũ gestorum exigenda est, vt tũ demũ ratus sit habendus actus si vtiliter gestus sit. Nam ad tales angustias reipublicæ imperan-

L. qui fundum. § si tutor. D. pro emto. L. ab agnato. D. de curatoribus. L. factum. C. de pact. l. si curator. D. de pactis. L. item. D de pactis.

imperantem redigere ipsi reipublicæ esset periculosum. Quare nec sensisse hoc credendus est populus, cum imperium detulit. Sed quod à Romanis Imperatoribus in causa ciuitatis responsum est, valere transactionem quam magistratus fecissent in re dubia, non si indubitate id quod deberi possit remissum sit, idem ad nostram de populo toto quæstionem referri debet ac potest, sed seruata proportione. Sicut ergo leges nō quæuis subditos obligant, possunt enim etiam extra eas quæ iubent quod illicitum est, esse quædam euidenter stultæ atque absurdæ, sic & contractus regentium ita obligant subditos si probabilem habeant rationem; quod in dubio ob regentium auctoritatē præsumi debet. Quæ distinctio multo est melior, quam illa quæ à multis afferri solet de exitu modicæ aut immodicæ læsionis. Nō enim exitus in hac re, sed probabilis ratio rei gerendæ spectanda est. Quæ si adsit, & populus ipse obligabitur, si quo casu sui iuris esse inceperit, & successores vt populi capita. Nam & si quid populus liber contraxisset, obligaretur is qui postea regnum plenissimo iure acciperet. Laudatur Cæsar Titus hoc nomine quod beneficia à superioribus concessa à se peti passus non est, cum Tiberius & eum secuti non aliter rata habuissent superiorum beneficia, nisi eadem iisdem & ipsi dedissent. Illud tamen hic addendum est si quo casu contractus incipiat vergere non ad damnum modo aliquod, sed ad perniciem publicam, ita vt ab initio contractus in extensione ad illum casum censendus fuisset iniustus & illicitus, tunc non tam reuocari eum contractum posse, quam declarari eum non vltra obligare, quasi factum sub conditione sine qua iustè fieri non potuit. Quæ de contractibus diximus eadem intelligenda sunt de alienatione pecuniæ populi, aut rei alterius quam

L. Præses. C. de transactionibus.

Alph. de Castro, lib. 1. de leg. pœnalibus. c. 5. Vict. in Relect. de potest. Papæ, & conc. nu. 18. Th. 1. 2. q. 95. art 3. Pan. in c. cum ecclesiarum, nu. 14. Felin. num. 60. Turrecrem. in c. sententia. II. q. 3. concl. 6. & 7. n. 8. & 9. Alii in c. licet. de voto Aguirre. Apolog. part. 1. n. 70.

secundum leges rex alienare bono publico possit. Nam hîc quoque similis adhibenda est distinctio, an probabilis donandi, aut aliter alienandi fuerit ratio. At si contractus ad regni eiusque partis aut patrimonii regalis, quatenus id regi permissum non est, alienationem pertineant, non valebunt vt facti de re aliena. Tantundem erit in regnis restrictis si quam materiam, aut actuum genus populus à potestate regia exceperit. Nam vt tales actus valeant populi per se aut per eos qui populum legitimè referunt consensus requiritur, vt ex iis quæ de alienatione supra diximus intelligi potest. Quibus distinctionibus adhibitis facile iudicari poterit, iustæ, an iniustæ fuerint exceptiones regum qui priorum regum nomina exsoluere recusarunt, quorum heredes non fuerant: quarum exempla apud Bodinum videre est.

Lib. 1. c. 8. §. Neq; enim. Curt. iun. cons. 138. n. 4. cons. 157. n. 18. Cravett. de ant. temp. 2. parte. 1. partis princ. n. 38. Bell. in spec. princ. rubr. 26. Ant. Gabr. lib. 1. tit. de iure quæs. non tollendo. concl. 6. n. 20. & concl. 7.

XIII. Illud quoque à multis traditum beneficia Principum quæ liberaliter sunt concessa semper posse revocari, sine distinctione transmittendũ non est. Sunt enim quædam beneficia quæ rex de suo facit, & quæ, nisi adsit precarii clausula, vim habent perfectæ donationis. Hæc revocari non possunt nisi quod subditos attinet in pœnam, aut ob vtilitatem publicam cum compensatione si fieri potest. Sunt alia quę vinculum duntaxat legis demunt sine vllo contractu. Et hæc sunt revocabilia. Quia sicut lex sublata vniuersaliter reponi vniuersaliter semper potest, ita & particulariter sublata particulariter reponi. Nullum enim hic ius quæsitum est aduersus legis auctorem.

XIV. Contractibus vero eorum qui sine iure imperium inuaserunt, non tenebuntur populi aut veri reges. nam hi ius obligandi populum non habuerunt. De in rem verso tamen tenebuntur, id est quatenus locupletiores facti sunt.

CAP.

CAPVT XV.

De federibus ac sponsionibus.

I. *Publicæ conuentiones quæ:*
II. *Diuiduntur in federa, sponsiones, pactiones alias.*
III. *Federum & sponsionum discrimen, & in quid sponsiones obligent.*
IV. *Reiecta diuisio federum quam Menippus fecit.*
V. *Federum diuisio in ea quæ idem statuunt cum iure naturæ: & vnde id natum.*
VI. *Et ea quæ aliquid adijciunt: quæ sunt æqualia:*
VII. *Aut inæqualia, quæ rursum diuiduntur.*
VIII. *Federa cum his qui alieni sunt à vera religione licita esse iure naturæ:*
IX. *Nec vniuersaliter prohiberi lege Hebræa:*
X. *Nec Christiana.*
XI. *Cautiones circa talia federa.*
XII. *Christianos omnes obligari ad fedus ineundum aduersus hostes Christianismi.*
XIII. *Si plures federatorum bellum gerant, cui potiùs opem ferri oporteat distinctionibus explicatur.*
XIV. *An tacitè renouatum censeatur fedus.*
XV. *An partis alterius perfidia alteram liberet.*
XVI. *In quid teneantur sponsores si sponsio improbetur, vbi de Caudina sponsione.*
XVII. *An sponsio non improbata obliget ex notitia & silentio distinctionibus explicatur, vbi de sponsione Luctatiana.*

I. CONVENTIONES Vlpianus diuisit in publicas & priuatas: & publicam exposuit nõ vt quidam putant definitione, sed exemplis additis, *quæ sit per pactum*, quod primum exemplum est: *quoties inter se duces* *L. Conuentionum. D. de pactis.*

belli quædam paciscuntur; quod secundum. Publicas ergo conuentiones eas intelligit quæ nisi iure imperii maioris aut minoris fieri nequeunt, qua nota differunt non tantum à contractibus priuatorum, sed & à contractibus regum circa negotia priuata. Quanquam ex priuatis quoque istis belli causa nasci solet, frequentius tamen ex publicis. Ideo postquam de conuentionibus generaliter à nobis tractata sunt satis multa, quædam addenda sunt quæ ad excellentionem hanc speciem pertineant.

II. Publicas has conuentiones quas Græci σπονδὰς καὶ φιλίας vocant, diuidere possumus in fœdera, sponsiones, pactiones alias.

III. De fœderum & sponsionum discrimine aditi potest Liuius libr. 1 x. vbi recte nos docet fœdera esse quæ fiunt iussu summæ potestatis, & in quibus ipse populus iræ diuinæ obstringitur si minus stetur dictis. Ea apud Romanos peragi per feciales solebant addito patre patrato. Sponsio est vbi hi qui à potestate summa mandatum eius rei non habent aliquid promittunt quod illam proprie tangit. Apud Sallustium legimus: *Senatus vti par erat decreuit suo atque populi iniussu nullum potuisse fœdus fieri.* Quare quod apud Senecam patré est: *Imperator fœdus percussit, videtur populus percussisse Romanus & fœdere continetur*: non ad antiquos illos Imperatores pertinet, id est belli duces, sed ad Cæsares qui ius omne populi in se transferebant. Sicut autem magistratus populum non obligant, ita nec minor pars populi. quod pro Romanis est aduersus Gallos Senonas: nam maior pars populi erat apud Dictatorem Camillum. Sed vbi qui ius populi non habent de eo quod populi est spoponderunt, videamus in quid teneantur. Putet forte aliquis hoc casu sponsores fidem liberasse si operam omnem dedissent, vt id quod spopon-

ponderunt fierer, secundùm ea quæ de promisso tertij facto suprà diximus: sed negotij huius, cui contractus inest, natura obligationem multo strictiorem desiderat. Nam qui contrahendo aliquid de suo dat aut promittit, is vicissim præstari reipsa sibi aliquid vult: vnde & iure ciuili, quod facti alieni promissiones repudiat, promissio tamen ratam rem haberi, ad id quod interest obstringit.

IV. Federa Menippus regis Antiochi ad Romanos legatus, referente eodem Liuio, magis ex vsu suo quàm ex præscripto artis ita diuisit, vt diceret tria esse eorum federum quæ inter se paciscerentur reges ciuitatesque genera. vnum cùm bello victis dicerentur leges, quo in genere quid victum habere, quo mulctari cum vellet victoris esse arbitrium: alterum cum pares bello æquo federe in pacem atque amicitiam venirent. tunc repeti reddique per conuentionem res, & si quarum turbata bello possessio sit, eas aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis vtriusque commodo componi: tertium esse genus cum qui hostes nũquam fuerint ad amicitiam sociali federe inter se iungendam cocant: quos nec dicere leges, nec accipere. *Lib. XXXIV.*

V. At nobis accuratius instituenda partitio est, vt primum dicamus federa alia idem cõstituere quod iuris est naturalis, alia aliquid ei adijcere. Prioris generis federa non tantum fieri solent inter hostes qui à bello discedunt, sed olim & fiebant sæpe, & aliquo modo erant necessaria inter eos qui antè nihil contraxissent. id inde ortum quòd regula illa iuris naturalis, cognationem inter homines quandam esse à natura ac proinde nefas esse alterum ab altero lædi, vt olim ante diluuium, ita rursus aliquo post diluuium tempore malis moribus esset obliterata, ita vt latrocinari & prędas agere in externos nullo bello indicto pro licito habe-

L. vlt. D. de collegiis. haberetur. Hinc illa apud Homerum, an prædones estis? amica interrogatio, cuius & Thucydides meminit, & in Solonis lege veteri collegia ἐπὶ λείαν ἐρχομένων: Lib. XLIII quippe, vt Iustinus ait, ad Tarquinii tempora latrocinium maris gloria habebatur: & illud in Romano iure, vt si cum gente aliqua neque amicitiam, neque hospitium, neque fedus amicitiæ causa factum habeatur, hi hostes quidem non sint: quod autem ex Romano ad eos peruenerat illorum fiat, & liber homo Romanus ab eis captus seruus fiat. idemq; sit si quis inde ad Romanos perueniat: & hoc quoque casu postliminiũ detur. Hinc in barbaros prædam exercere laudatum Aristoteli, & ipsa vox hostis veteri Latio nihil nisi externum significabat. Sub hoc genere comprehendo & federa quibus cauetur, vt vtrinque ius hospitii, vt ius commercii sit, quatenus ista sub iure naturali veniunt, qua de re egimus alibi. Hoc genus totum cõuentionum Græci strictè εἰρήνην vocant, & opponunt σπονδαῖς, vt tum alibi videre est, tum in oratione Andocidis de pace cum Lacedæmoniis.

VI. Conuentiones quæ iuri naturæ aliquid adiiciunt, aut æquales sunt, aut inæquales. Æquales sunt quæ vtrinque eodem modo se habent, αἱ ἴσως καὶ κοινῶς ἐν ἀμφοτέροις ἔχουσι, vt Isocrates in Panegyrico loquitur; quò illud Virgilii pertinet:

Nec mihi regna peto, paribus sed legibus ambas
Inuictas gentes æterna in federa mittam.

Græci istas vocant modò συνθήκας simpliciter, modò συνθήκας ἐπὶ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, vt apud Appianum & Xenophontem videre est: has magis propriè σπονδὰς, & quatenus minus dignos respiciunt προστάγματα, aut συνθήκας ἐκ τῶν ἐπιταγμάτων, quas Demosthenes in oratione de Rhodiorum libertate fugiendas ait his qui libertatem amant, quia ad seruitutem accedant proximè.

Vtriuſ-

Vtriusque modi federa aut pacis, aut societatis alicuius fiunt causa. Æqualia pacis, vt quæ de restituendis captiuis, rebus captis, & ad securitatem conueniri solent, qua de re agendum erit infrà in belli effectibus & consectaneis. Æqualia societatis, aut ad commercia pertinent, aut ad belli communitatem, aut ad res alias. Æquales de commerciis pactiones variæ esse possunt, putà vtrinque ne vectigal vllum soluatur, quod in vetere erat federe Romanorum & Carthaginiensium, excepto eo quod scribæ & præconi dabatur, aut ne maius soluatur quàm in præsens, aut ad certam quantitatem. Sic & in bellica societate vt auxilia præstentur paria equitum, peditum, nauium, siue ad omne bellum quod Græci ξυμμαχιαν vocant, siue ad tuendos fines duntaxat, quod ἐπιμαχίαν, siue ad certũ bellum, aut in certos hostes, aut in omnes quidem, sed exceptis sociis, vt in federe inter Pœnos & Macedonias, quod apud Polybium est. Potest, vt diximus, æquale fedus & ad res alias pertinere, vt ne in confinio alterius alter arces habeat, ne subditos alterius alter defendat, ne iter alterius hosti præbeat.

VII. Ex æqualibus qualia sint inæqualia facile est intelligi. Promittuntur autem inæqualia aut ex parte digniori, aut ex minus digna. Ex parte digniori, vt si quis auxilia promittat, nec restipuletur, aut maiora promittat: Ex parte indigniori inæqualia, aut vt Isocrates dicto Panegyrico loquitur, τὰ τοὺς ἑτέρους ἐλαττοῦντα παρὰ τὸ δίκαιον, sunt ea quæ diximus προστάγματα, aut ἐπιτάγματα vocari. Et hæc ipsa aut cum imminutione sunt imperii, aut sine eius imminutione. Cum imminutione imperii, vt in secundo federe Carthaginiensium cum Romanis, ne cui Carthaginienses bellum facerent iniussu populi Romani. Ab eo tempore, vt Appianus loquitur, Καρχηδόνιοι Ῥωμαίοις ὑπήκουον ἐπιτάγ-

δοι,

dit, Carthaginienſes Romanis ex fœdere morem gerebant. Poteſt addi huic generi deditio conditionata, niſi quòd illa non imminutionem, ſed translationem totius imperii continet, qua de re diximus alibi. Talem autem conuentionem fœderis nomine, & alibi Liuius appellat, vt libro IX. *Teates Apuli impetrauerunt vt fœdus daretur, neque vt æquo tamen fœdere, ſed vt in ditione populi Romani eſſent.* Sine imminutione imperii onera, aut tranſitoria ſunt, aut manentia. Tranſitoria de ſoluendo ſtipendio, de mœnibus diruendis, vt locis quibuſdam decedatur: vt dentur obſides, elephanti, naues. Manentia, vt de imperio ac maieſtate comiter colenda, cuius fœderis quæ ſit vis alibi diximus. Huic proximum eſt vt hoſtes & amici habeantur quos velit partium altera. Tum illa minora, ne arces certis locis ædificare, ne exercitum ducere, ne naues habere vltra numerum definitum, ne vrbem condere, ne nauigare, ne militem certis locis conſcribere liceat: ne commeatu hoſtes iuuare: ne recipere eos qui aliunde veniunt: vt fœdera priùs facta cum aliis dirimantur: quorum omnium exempla apud Polybium, Liuium, & alios videre eſt. Solent autem fœdera inæqualia contrahi, non tantùm inter victores & victos, vt Menippus cenſebat, ſed & inter potentiores & impotentiores etiam qui bello inter ſe experti non ſunt.

VIII. De fœderibus frequens eſt quæſtio, liciténe ineantur cum his qui à vera religione alieni ſunt: quæ res in iure naturæ dubitationem non habet. Nam id ius ita omnibus hominibus commune eſt, vt religionis diſcrimen non admittat. Sed de iure diuino quæritur, ex quo hanc quæſtionem tractant, non Theologi tantùm, ſed & Iuriſconſultorum nonnulli, inter quos Oldradus & Decianus.

Tho. 2. 2. q. 10. art. 12.

Oldr. conſil. 71.

Deci. III. conſ. 20.

IX. Videamus primùm de iure diuino veteri, acturi dein-

ri deinde de nouo. Fedus non nocendi causa cum alienis à religione contrahere ante Mosis legem licuit. Exempla sunt in federe Abrahami cum Abimeleco, Isaaci cum eodem, Iacobi cum Labane. Neque id lex per Mosem data mutauit. Exemplo sint Ægyptii haud dubiè idololatræ. Hos tamen auersari vetantur Hebræi. Excipiendi sunt populi septem diuina sententia damnati, cuius sententiæ exsecutores erant delegati Israëlitæ. nam his in idololatria perstãtibus, & imperium detrectantibus parcere vetantur, quibus itidem decreto diuino additi sunt Amalecitæ. Federa quoque commerciorum, & quę his similia ad vtilitatem communem, aut alterius partis pertinent, inire cum profanis licet per legem. nihil enim reperitur quod obstet. Et exempla habemus federum quæ Dauid & Solomo cum Hiromo Tyriorum rege fecerunt: ac notandum in sacra historia dici fedus hoc à Solomone factum iuxta sapientiam quam Deus ei dederat. Lex quidem Mosis specialiter imperat benefacere popularibus, ἀγαπᾷν τὸν πλησίον: præterea peculiaris victus & morum ratio Iudæis præscripta familiarem cum hominibus cæteris consuetudinem vix patiebatur. At hinc non sequitur aut benefacere extraneis non licuisse, aut etiam laudabile id non esse, quod malè inde collegit posteriorum magistrorum praua interpretatio: vnde illud Iuuenalis de Iudæis:

Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti.

quo loco exemplum monstrandæ viæ minimè molesta neque sumtuosa beneficia indicat, quæ ignotis etiã tribuenda Cicero dicit & Seneca. Eodem pertinet Taciti illud de iisdẽ: *Apud ipsos fides obstinata, misericordia in promtu, aduersus omnes alios hostile odium.* Sic in noui federis historia legimus sæpe non solitos Iudæos conuiuere, συγχρῆσθαι, συνεσθίειν, κολλᾶσθαι, προσέρχεσθαι, alienigenis.

Gen. XXI. 27. Gen. XXVI 28. Gen. XXXI 44. Deuter. XXIII. 7. Deut. VII. 1 Deut. XXV 17. II. Sam. V. 11. I. Reg. V. 11. Leuit. XIX 8. Deut. XXII 1. Offic. I. De Benef. IV. 9. Hist. V.

genis. Et Apollonius Molo Iudæis obiiciebat: ὅτι μὴ παρεδέχοντο τοὺς ἄλλαις προκατειλημμένους δόξαις περὶ Θεοῦ, μηδὲ κοινωνεῖν ἤθελον τοῖς καθ' ἑτέραν συνήθειαν βίου ζῆν προαιρουμένοις: *non admitti ab eis qui de Deo sentirent alia, nec quicquam ipsis commune esse cum his qui institutis differrent:* Sicut & passim Iudæis apud Iosephum obiicitur, τὸ ἄμικτον, τὸ ἀσύμφυλον, ἡ διαίτης ἀμιξία, *insociabilis viuendi ratio.* At hunc non esse legis sensum Christus nos docuit exemplo suo, cum à Samaritide femina aquam accipere non recusauit, legis vbique obseruantissimus. Sed & olim Dauid apud populos irreligiosos perfugium sibi quæsiuerat nusquam eo nomine reprehensus. Excipiendi ab hac regula non illi tantùm populi quos suprà diximus, sed insuper Ammonitæ & Moabitæ de quibus scriptum est Deut. XXIII. 6. *Non quæres prosperitatē eorum* (ita rectius hoc loco verteris שלמם quàm pacem eorum) *nec bonum eorum vllis diebus tuis vnquam.* Quibus verbis federa benefica cum illis populis vetantur, non etiam ius belli conceditur. Imò disertè ius belli in Ammonitas illis negatur Deut. II. 19. neque Iephthes arma in eos mouit nisi post tentatas aquæ pacis vias, neque Dauid nisi atrocibus iniuriis lacessitus. De societate bellica quæstio superest. Ante legem, hanc quoque non illicitam fuisse cum profanis gentibus exemplo apparet Abrahami impios Sodomitas bello adiuuantis. Nec lege Mosis quicquam generaliter hac in re mutatum legitur. Atque ita apparet sensisse Asmonæos, legis & peritos & reuerentes admodum, vt ex religiosa Sabbati obseruatione, permissa sola sui tutela, non alio armorum vsu, apparet. Et hi tamen cum Lacedęmoniis & Romanis fedus pepigere, approbantibus sacerdotibus & populo. Quæ verò contrà adferuntur, causas habent peculiares. Nam si quos reges aut populos, extra eos qui in lege expressi erant, exosos sibi

Ioh. IV. 9.

Iud. XI. 16.
II. Sam. X.

sibi & infortunio damnatos per prophetas Deus significasset, eorum tutelam susciperé, aut cum iis arma sociare haud dubiè nefas erat. Huc illud pertinet prophetæ ad Iosaphatum de rege Israëlis: *Tene improbo opitulari, & eos diligere qui Deum oderunt? At ob hoc ipsum exarsit in te Dei ira.* Et alterius Prophetæ ad Amasiam: *Ne ito tecum exercitus Israelitarum: nam non adest Deus Israelitis, vlli inquam Ephraimitarum.* Hoc vero non venire ex naturâ federis sed ex personæ peculiari quadam qualitate, vel hinc euincitur, quod grauiter increpitus est Iosaphatus etiam diris additis eo nomine quòd commercii causa societatem iniisset cum Achazia rege Israelitarum plane similem ei quam Dauid & Solomo inierant cum Hiromo, quos eo nomine partim non reprehensos, partim laudatos diximus. Notandum & hoc, peiorem fuisse causam eorum qui à Iacobo orti Deum bene cognitum deseruerant, quam populorum extraneorum. Nam in defectores illos cæteri populares armabantur lege quæ extat Deut. x i i i. 13. Est & vbi culpantur fœdera ob animi vitium vnde procedebant: ita à propheta reprehensus Asa quod ad societatem Syri se contulisset, Deo diffisus: quod ostenderat cum res Deo sacratas ad Syrum mitteret. Sed nempe rex idem culpatus quod in medicis spem posuisset non in Deo. Non ergo ex hac historia magis sequitur per se, aut generaliter malum esse societatem contrahere cum talibus quales erant Syri, quam medicos consulere. Multa enim non illicita vitiat animus, vt censum in Dauide, thesaurorum ostensionem in Ezechia. Sic alibi fiducia in Ægyptio posita reprehenditur, cum tamen Solomoni cum Ægyptio affinitatem contrahere licuerit. Quibus & hoc addendum est, Hebræos sub statu legis veteris disertas habuisse promissiones victoriæ si legem obseruarẽt, quominus recurrẽdũ habe-

II. Paralip. XIX. 2.

II. Paralip. XXV. 7.

II. Paralip. XX. 37.

II. Paralip. XVI. 2. 7. Esai. VIII. 6.

II. Paralip. XVI. 12. Ambr. ad Rom. c. 3. Auctor. imperf. ad Matt. c. XVI. II. Sam. XXIV. II. Reg. XX. 13. Esaiæ XXXI. 1. I. Reg. III. 1. Deut. XXVIII. 7.

Prou. I. 15. XIII. 20. XXII. 24. XXIV. 1.

bant ad humana auxilia. Exstant quidem & apud Salomonem sententiæ non paucæ de vitandis consortiis impiorum. Sed hæc prudentiæ monita sunt, non legis præcepta: & illa ipsa monita, vt moralia pleraque, plurimas habent exceptiones.

Victoria de Indis relect. 1. n. 15. & 17. Franc. Arius de bello, n. 192. Caiet. 2. 2. q. 40. art. 1. Molina tract. II. disp. 112.

X. Lex autem Euangelii nihil hac in parte mutauit: imò magis etiam fauet federibus quibus hi qui à religione alieni sunt in causa iusta subleuantur, quia beneficentiam in quoslibet homines data occasione, non liberam modò reliquit & laudabilem, sed & sub præcepto posuit. Nam Dei exemplo, qui solem oriri facit bonis & malis, & pluuia vtrosque humectat, iubemur nullum hominum genus à beneficiis nostris excludere. Bene Tertullianus: *Quamdiu intra Israëlem erat sacramentum, meritò in solos fratres misericordiam mandabat. At vbi Christo dedit gentes hereditatem & possessionem terminos terræ, & cœpit expungi quod dictum est Osee: Non populus meus populus meus, & non misericordiam consecuta misericordiã consecuta, Natio scilicet; exinde Christus in omnes legem fraternæ benignitatis extendit, neminem excludens in miseratione sicut in vocatione.* Quæ accipi oportet salua gradus differentia, vt in omnes simus benefici, præcipuè tamen in religionis consortes. *Perfecta liberalitas*, inquit Ambrosius, *fidei causa, loco, tempore cõmendatur, vt primùm operaris circa domesticos fidei.* Simile est illud Aristotelis: οὐ γὰρ ὁμοίως προσήκει συνήθων καὶ ἀθνείων φρονπίζειν. *Neq; enim par est æqualem curã subiri pro externis & pro amicis.* Conuictus etiam familiaris cum hominibus qui alieni sunt à religione nõ prohibetur: ac ne cum illis quidem quorum peior causa est, & qui à disciplinæ Christianæ regula deficiunt, omne interdicitur commercium, sed familiare extra necessitatem, non etiam quod emendandis ipsis spem præbet. Illud verò quod apud Paulum est, *Ne iugum ducite cum alienis à fide: quod enim consortium est iustitiæ cum iniquitate,*

Gal. VI. 10. Off. I. c. 3. Nic. IV. II. Thess. I. 15. II. Cor. VI. 14.

quitate, aut quæ commixtio est luci cum tenebris, aut quæ concordia est Christo cum Satana, aut quæ pars credenti cum non credente? ad eos pertinet qui in idoliis conuiuabantur, atque ita aut idololatriam committebant, aut certè committentium speciem præbebant. Ostendunt sequentia: *Quæ consensio Templo Dei cum idolis?* similia illis quæ in priore ad Corinthios eosdem: *Non potestis fieri participes mensæ Domini & mensæ dæmoniorum.* Neq; ab eo quòd subeunda sponte non sunt profanorum imperia, nec coniugia cum eis contrahenda, rectè procedet argumentum. Nam in vtroque hoc casu apparet maius periculum, aut certè plus difficultatis iniici veræ religionis vsui. adde quòd magis perpetua sunt ista vincula: & in matrimonio liberior electio, cùm federa ex temporum & locorū occasione sumenda sint. Sicut autem benefacere profanis malum non est, ita nec opem eorum implorare, sicut Cæsaris & Tribuni auxilium Paulus inuocauit. *1. Cor. X. 21.* *Silvestr. verb. bellū. 1. n. 9. concl. 3. Pan. in c. quod super, de voto.*

XI. Nulla ergo hîc intrinseca aut vniuersalis est prauitas, sed ex circumstantiis æstimanda. Cauendū enim ne nimia commixtio contagium adferat infirmis; quā ad rem vtile erit sedes distingui, sicut Israëlitæ seorsim ab Ægyptiis habitarunt. Neque enim ratione caret illud Anaxandridæ:

οὐκ ἂν δικαίως συμμαχεῖν ὑμῖν ἐγὼ·
οὔθ' οἱ τρόποι γὰρ ὁμόσσοδοι οὐδ' οἱ νόμοι
ἡμῶν· ἀπ' ἀλλήλων δὲ διέχουσιν πολύ.

Ego esse vester non queam commilito,
Quando nec leges, nec mores consentiunt,
Sed multis inter se interuallis discrepant.

Quò pertinent & ea quæ alibi attulimus de religione Iudæorum & Christianorum in commilitio cum paganis. Sed & si ex societate tali profanæ opes magnum sint habituræ incrementū, abstinēdum erit extra sum- *Lib. 1. c. 2.* *Silvestr. in verbo Bellū. p. 1. n. 9. v. 3.*

mam necessitatem: In qua locum habet, quod in simili re dixit Thucydides: *Lib. I.* ἀνεπίφθονον δὲ ἔστι ὥσπερ καὶ ἡμῖν ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ὁπλιζομένοις μὴ Ἕλληνας μόνον, ἀλλὰ καὶ βαρβάρους προσλαβόντας ξυμφῆναι. *His qui armis impetuntur, vt nos ab Atheniensibus, inuidia fieri non debet si salutem quærunt non Græcorum modò, sed & barbarorum auxilio.* Nó enim ius quoduis sufficit ad id committendum quod religioni, si non directè, indirectè tamen nocituruṁ putetur. Quærendum enim primo loco est regnum *Matth. VI. 33.* cœleste, id est Euangelii propagatio. Optandum esset vt multi hodie Principes ac populi in animum admitterent liberam & piam vocem Fulconis Archiepiscopi quondam Rhemensis Carolum Simplicem sic ad- *Prod. lib. IV* monentis: *Quis non expauescat vos inimicorum Dei amicitiã velle, ac in cladem & ruinam nominis Christiani, pagana arma & fœdera suscipere detestanda? Nihil enim distat vtrum quis se paganis societ, an abnegato Deo idola colat.*

I. Cor. XII. 18. 26. XII. Illud hîc addam, cùm omnes Christiani vnius corporis membra sint quæ iubentur alia aliorum dolores ac mala persentiscere, sicut id ad singulos pertinet, ita & ad populos quà populi sunt, & ad reges quà reges pertinere. Neque enim pro se quisque tantùm, sed & pro mandata sibi potestate seruire Christo debet. Hoc autem præstare reges & populi non possunt, grassante armis hoste impio, nisi alii aliis auxilio sint: quod commodè fieri nequit nisi fedus eo nomine ineatur: quod fedus iam olim initum fuit, & princeps eius creatus consensu communi Romanus Imperator. Debent ergo Christiani omnes ad causam hanc communem pro virium modo viros aut pecunias cõferre: quod quominus faciant non video quomodo possint excusari, nisi si qui bello ineuitabili domi distinentur.

XIII. Solet sæpe & illa incidere quęstio, si plures bellum

lum gerant, vtri potiùs opem ferre debeat qui vtrique est federatus. Hîc primùm sciendum est, quod & suprà diximus, ad iniusta bella nullam esse obligationem. Quare qui federatorum iustam habet belli causam præferendus, si cum extraneo res sit. Etiam si cum alio federato: nisi conuenerit hoc quoque ne aduersus eum auxilia mittere liceat. In pactione Hannibalis cum Macedonibus erat: *Hostium hostes erimus, exceptis regibus, ciuitatibus & portubus quibuscum fedus nobis & amicitia est.* Polyb. lib. VI. Quòd si federati inter se committãtur causis vtrinque iniustis, quod accidere potest, vtraque parte abstinendũ erit. Quòd si federati in alios bellẽt iusta quisq; de causa, si vtrique auxilia mitti possunt, putà in milite aut pecunia, mittẽda erunt, vt fit circa creditores personales. At si ipsius qui promisit præsentia requiritur quæ indiuidua est, ratio postulat vt præferatur cũ quo antiquius est fedus, quod Acarnanes Spartanis dicunt apud Polybium: eodemque pertinet Consulis Romani responsum Campanis datum: *amicitias ita institui par est ne qua vetustior amicitia ac societas violetur.* Lib. IX. Sed addenda exceptio, nisi fedus posterius vltra promissionem aliquid habet quod quasi dominij translationem in se contineat, putà subiectionis aliquid. Nam & sic in vẽditione dicimus priorem præferri, nisi posterior dominium trãstulerit. Sic Nepesinis apud Liuium deditionis quàm societatis fides sanctior. Distinguunt hæc alij subtilius, sed quæ dixi, vt simpliciora ita veriora arbitror. Sylu. in verb. bel. lum. p. 1. n. 7. Lib. III.

XIV. Finito tempore fedus tacitè renouatum intelligi non debet, nisi ex actibus qui nullam aliam interpretationem recipiunt. non enim facilè præsumitur noua obligatio. Dec. cons. 407.

XV. Si pars vna fedus violauerit, poterit altera à federe discedere: nam capita federis singula conditionis Dec. cons. 265. Cep. 451. 455. 461.

Lib. I.

vim habent. Exemplo sit illud apud Thucydidem: λύουσι τὰς σπονδὰς οὐχ οἱ ἐρημίας ἄλλοις μεθιστάντες, ἀλλ' οἱ μὴ βοηθοῦντες οἷς ἂν ξυμμαχήσωσι. *Soluti foederis culpam sustinent, non qui deserti ad alios se conferunt, sed qui quam iurati promiserant, opem re non præstant.* Sed hoc ita verum est, ni aliter conuenerit: quod fieri interdum solet, ne ob quasvis offensas à fœdere discedere liceat.

XVI. Sponsionum tot esse materiæ possunt quot fœderum. Distant enim hæc personarum facientium potestate. Sed duo sunt quæ de sponsionibus quæri solent: Primùm, si improbetur à rege, aut ciuitate spõsio, in quid teneantur sponsores, ad id quod interest, an ad restituendam rem in eum statum in quo erat ante sponsionem, an ad corpus dedendum. Prima sentẽtia videtur iuri ciuili Romano congruere: secunda æquitati quam in Caudina controuersia Tribuni plebis L. Liuius, & Q. Mœlius vrgebant: tertia vsu probata est, vt exemplis sponsionum duarum nobilium Caudinæ & Numantinæ apparuit. Sed illud ante omnia tenendum, eum qui summum imperium habet nullam in partem obligari. Bene enim Romanis Posthumius: *Hosti nihil spopondistis: ciuem neminem pro vobis spondere iussistis. nihil ergo vobis nec nobiscum est, quibus nihil mandastis; nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egistis.* Bene idem: *Iniussu populi nego quicquam sanciri posse quod populum teneat*: & hoc non minùs rectè: *si quid est in quod obligari populus possit, in omnia potest.* Ergo nec ad id quod interest, nec ad restitutionem populus tenebatur: cum quo si negotium sibi esse voluissent Samnites, retinere exercitum apud Furculas Caudinas debuerant & Romã legatos mittere qui cũ Senatu ac populo de pace ac fœdere agerẽt, vt quanti ipsis esset exercitus incolumitas id ipsi æstimarent. Tum demũ si pactis statum non esset, potuissent dicere quod & ab ipsis & à Numantinis dictum

ait Velleius, publicæ violationem fidei non debere vnius lui sanguine. Maiori specie dici potest milites omnes fuisse obligatos. Et certe æquum id esset si ipsorũ iussu ac nomine contractum foret à sponsoribus, vt in pacto quod Hannibal fecit cum Macedonibus factũ videmus. Quod si fide sponsorum & sexcentorum quos imperarunt obsidum fuerunt contenti Samnites, habent quod sibi imputent. Rursum si sponsores præ se tulerunt potestatem publico nomine contrahendi, ex damno per dolum dato ad restitutionem tenebantur. Si id non apparet, tenebantur ad id quod intererat ex vi negotii ratum haberi. Et hoc casu non corpora tantum, sed & bona sponsorum fuissent obligata Samnitibus, nisi pœnam vice eius quod interest expressissent. Nam de obsidibus conuenerat, vt capite luerent si pacto non staretur. De sponsoribus an eadem dicta sit pœna in obscuro est. Pœnæ autem stipulatio tali modo facta efficit, vt si factum præstari nequeat, nihil aliud sit in obligatione: succedit enim certum loco incerti quod interest. Erat autem communis istorum temporum sententia, etiam vitam validè posse obligari. Apud nos autem qui aliter sentimus existimo tali sponsione bona primum ad id quod interest, & si ea non sufficiant corpus ad seruitutem obligari. Fabius olim Maximus cum pactum quoddam eius cum hostibus factum Senatus improbasset, fundum suum ducentis millibus vendidit, & fidei satisfecit. Samnites vero Brutulum Papium induciarum ruptorem simul cum bonis suis dedendum recte censuerunt. *Scriptor de vir. Ill. c. 43. Liu. lib. VIII. & IX.*

XVII. Altera quæstio est, an sponsio obliget summam potestatem ex notitia & silentio. Hîc distinguẽdum primum an purè facta sit sponsio, an sub conditione si rata haberetur à summa potestate. Nã hęc con-

ditio non impleta (debent autem conditiones disertè impleri) nullam facit sponsionem. Quod rectè cõuenit in sponsionem Luctatij cum Pœnis: accedebat quòd ea se populus, quia suo iniussu facta erat, teneri negauerat: itaque publico consilio aliud de integro fedus factum erat. Videndum deinde, an præter silentium res aliqua accesserit. nam sine re aut facto aliquo silentium non satis probabilem voluntatis cõiecturam suppeditat, vt ex his quæ de dominij derelictione suprà diximus intelligi potest. Sed si actus aliqui accesserint qui ad aliam causam probabiliter referri nequeant, tum recte intelligetur actus ratus esse habitus. Silentium aduersus Carthaginienses vrgebãt Romani de pactione cum Asdrubale facta. Sed cùm illa pactio verbis concepta esset negantibus, ne Pœni amnem Iberum transirent, vix erat vt silentium solum ad inducendam ratihabitionem facti alieni valeret, quippe cum factum proprium nullum secutum esset, nisi aliquando Pœnus Iberum transire volens prohibitus à Romanis esset, eorumque dicto Pœni paruissent. talis enim actus vim habet actus positiui, nec manet intra fines nudè abnutiuos. Quòd si Luctatij pactio plures habuisset partes & cæteras partes à iure communi abeuntes obseruatas à Romanis semper appareret, iam satis firma esset coniectura, probatæ pactionis. Restabat hîc dicere aliquid de pactionibus quas duces & milites non de eo quod summi est imperij, sed de re priuata sua aut sibi permissa faciunt: sed de his agendi oportunior erit locus vbi ad ea quæ in bello accidunt peruentum erit.

Liu. lib. XXI. Polyb. lib. III.

Polyb. & Liu. dicto loco.

CAP.

CAP. XVI.

De interpretatione.

I. *Quomodo p: omissa obligent exterius.*
II. *Verba, si aliæ coniecturæ absint, intelligenda ex proprietate populari:*
III. *Verba artis ex arte.*
IV. *Coniecturis vsum esse ex ambiguitate vocum, ex specie repugnantiæ aut quia se ingerunt:*
V. *Vt ex materia:*
VI. *Ex effectu:*
VII. *Ex coniunctis: origine aut etiam loco:*
VIII. *Quò pertinet coniectura ex ratione mouente, quæ quando & quomodo locum habeat.*
IX. *Distinctio significationum in laxas & strictas.*
X. *Distinctio promissorum in fauorabilia, odiosa, mixta, & media.*
XI. *Reiecta circa actus populorum aut regum differentia contractuum bonæ fidei aut stricti iuris.*
XII. *Ex dictis distinctionibus significationum & promissorum regulæ formantur circa interpretationes.*
XIII. *An sociorum nomine futuri veniant, & quatenus: vbi de federe Romanorum cum Asdrubale, & similibus controuersiis.*
XIV. *Quomodo interpretandum, Ne alter populus alterius iniussu bellum gerat.*
XV. *De illis verbis, Liberam fore Carthaginem.*
XVI. *Quæ pacta personalia habenda, quæ realia, distinctionibus explicatur.*
XVII. *Fedus cum rege initum extendi ad regem regno pulsum:*
XVIII. *Non ad regni inuasorem.*
XIX. *Promissum ei qui primus hoc fecerit, si plures simul fecerint,*

rint, cui debeatur.

XX. *Coniectura se vltro offerens: aut extẽdit: & quando id fiat:*

XXI. *Vbi & de mandato per aliud implendo:*

XXII. *Aut restringit: idque vel ex defectu originarij voluntatis qui colligitur ex absurdo:*

XXIII. *Ex cessatione rationis vnicæ:*

XXIV. *Ex materiæ defectu:*

XXV. *(Obseruatio circa coniecturas proximè dictas:)*

XXVI. *Vel ex casus emergentis repugnantia cum voluntate: qui sumitur, ex illicito:*

XXVII. *Ex onere nimium graui, habita ratione actus:*

XXVIII. *Ex signis aliis, vt vbi partes scripti inter se committũtur.*

XXIX. *Quæ tum regulæ obseruandæ sint.*

XXX. *Scripturam in dubio ad contractus validitatẽ non requiri.*

XXXI. *Regum contractus interpretationem ex iure Romano non sumere.*

XXXII. *Verba conditionem acceptantis an offerentis magis spectanda per distinctionem explicatur.*

I. IPSVM qui promisit solum si spectamus, sponte id præstare obligatur in quod obligari voluit. *In fide quid senseris non quid dixeris cogitandum est*, inquit Cicero: Sed quia interni actus per se spectabiles non sunt, & certi aliquid statuendum est, ne nulla sit obligatio si quisque sensum quem vellet sibi affingendo liberare se posset, ipsa dictante naturali ratione ius est ei cui quid promissum est promissorem cogere ad id quod recta interpretatio suggerit. nam alioqui res exitum non reperiret: quod in moralibus pro impossibili habetur. Hoc forte sensu cùm de pactis egisset Isocrates præscriptione aduersus Callimachũ, πάντω, inquit, νόμῳ κοινῷ πάντες ἄνθρωποι διαπλεόμεν χρώμενοι, vt recte eum locum emendauit vir eminentissimæ eruditionis Petrus Faber. *Hac lege communi homines inter*

nos

nos perpetuo vtimur, nec Græci tantùm, sed & barbari, vt paulò ante idem dixerat. Huc illud pertinet in antiqua fœderum formula apud Liuium: *Sine dolo malo vtique ea hic hodie rectißimè intellecta sunt.* Rectæ interpretationis mensura est collectio mentis ex signis maxime probabilibus. Ea signa sunt duûm generum, verba & coniecturæ aliæ: quæ aut seorsim considerantur, aut coniunctim.

II. Si nulla sit coniectura quæ ducat alio, verba intelligenda sunt ex proprietate, non Grammatica quæ est ex origine, sed populari ex vsu,

Quem penes arbitrium est, & ius & norma loquendi.

Stulto ergo perfidiæ effugio vsi sunt Locri cùm polliciti se pactis staturos quamdiu terram hanc insisterent & capita humeris gestarent, terram calceamentis iniectam, & aliorum capita humeris imposita abiecerũt, quasi eo modo religione se possent exsoluere, quæ historia apud Polybium exstat: ac similis perfidiæ exempla aliquot apud Polyænum, quæ transscribere nihil opus est, quia controuersiam non habent.

III. In artium autem vocabulis, quæ populus vix capit, adhibenda erit artis cuiusque prudentum definitio, vt quid sit maiestas, quid parricidium, quæ ad finitiuum statum referunt oratoriæ artis magistri. Sic si in pactis de exercitu dictum fuerit definiemus exercitum esse eam militum multitudinem quæ palam fines hosticos ausit inuadere. nam passim opponunt historici id quod furtim fit aut latrocinantium more, & quod iusto fit exercitu. Quare pro viribus hostium æstimandum quæ copiæ exercitum faciant. Polybius Romanum exercitum plerunque ait constitisse sexdecim millibus Romanorum, viginti sociorum. at minor quoque numerus implere potest eius nominis mensuram. Nam Vlpianus exercitui præesse eum ait

L. 2. D. de his qui not. infamia.

qui

Liu lib. XXV. qui vel vni legioni cum auxiliis præest. & Liuius in octo millibus speciem posuit iusti exercitus. Pari modo de classe erit æstimandum. Sic arx est locus qui arcere hostilem exercitum ad tempus possit.

IV. Coniecturis assumtis opus est, vbi verba aut verborum complexio sunt πολυσημα, id est, plures significationes recipiunt. Hunc locum Rhetores vocãt ἐξ ἀμφιβολίας: Dialectici subtilius, si in vna voce sensus esse plures possent ἀμφυμία, si in complexione ἀμφιβολία. Similiter coniecturis opus est quoties in pactis est ἐναντιοφανεια, species quædam repugnantiæ. Tunc enim coniecturæ quærendæ sunt quæ partes alias aliis concilient si fieri potest. nam si certa sit pugna, quod posterius inter contrahentes placuit prioribus derogabit: quia vno tempore nemo contraria potuit voluisse, & ea natura est actuum qui à voluntate pendent, vt nouo actu voluntatis discedi inde possit, siue μονομερῶς ex parte vna, vt in lege & testamento, siue coniunctim, vt in contractibus & pactis. Hunc locum Rhetores vocant ἐξ ἀντινομίας. Et his quidem casibus verborum euidens obscuritas cogit recurrere ad coniecturas. Interdum verò ipsæ coniecturæ ita euidentes sunt, vt sponte se ingerant etiam contra receptiorem verborum significatum. Hunc locũ Græci Rhetores vocant ἀπὸ ῥητοῦ καὶ διανοίας, Latini ex scripto & sententia scripti. Loci autem ex quibus voluntatis cõiecturæ promuntur præcipui sunt ex materia, ex effectu, ex coniunctis.

V. Ex materia, vt vox diei, si triginta dierum pactæ sint induciæ, non debet de diebus naturalibus, sed ciuilibus intelligi: id enim materiæ congruit. Ita verbũ donare sumitur pro transigere ex negotii qualitate. Sic armorum vox, quæ modo belli instrumenta, modò milites armatos significat, pro materia aut hunc

L. si vno. D. Locati conducti. Euerh. in loco à subiecta materia.

aut

aut illum in modum erit interpretanda. Ita homines qui reddere promisit, viuos non mortuos reddere debet contra quam cauillati sunt Plataenses. Et ferrum deponere iussi satis fecerunt si gladium deponant, non & fibulas, quod Pericles argutabatur: & exitus ex vrbe liber intelligi debet, ita vt & iter tutum sit, contra quam fecit Alexander. Et pars dimidia nauium in diuisione, integrarum intelligi debet, non sectarum, cõtra quam Romani Antiocho fecerunt. De similibus idem esto iudicium.

VI. Ex effectu, in quo præcipuum est si vox ex vsu receptiore sumta effectum post se traheret à ratione alienum. In ambigua enim voce ea potius accipienda est interpretatio quæ vitio caret. Itaque non admittenda Brasidæ cauillatio, qui pollicitus agro Bœoto se decessurum negabat agrum Bœotum esse quem exercitu insideret, quasi debellica possessione non de finibus antiquis ea vox intelligenda esset; quo sensu inanis fuerat pactio.

Euerh. in loco ab absurdo.

L. In ambigua. D. de legibus.

Thuc. IV.

VII. Coniuncta sunt, aut origine, aut etiam loco. Coniuncta origine sunt quæ ex eadem voluntate proficiscuntur, etiamsi alio loco & occasione dicta, vnde coniectura nascitur, quia in dubio voluntas creditur sibi fuisse consentiens. Sic apud Homerum quod dictum erat inter Paridem & Menelaum, vt victori Helena cederet, ex posterioribus ita erit exponendum, vt victor is demum intelligatur qui alterum occiderit.

Euerh. in loco à coniunct. duarum leg.

Plut. Symp. 4.

VIII. Inter ea quæ & loco coniuncta sunt, vim præcipuam habet ratio legis, quam cum mente multi confundunt, cùm vnum sit ex indiciis quibus mentẽ venamur. Est tamen inter coniecturas hęc validissima, si certo constet aliqua ratione tanquam causa vnica voluntatem fuisse motam. nam sæpe rationes

sunt

sunt plures: interdum & præter rationem voluntas semet ex vi libertatis suæ determinat, quod ad obligationem producendam sufficit. Hoc modo donatio ob nuptias facta vim non habebit si nuptiæ secutæ non sint.

IX. Cæterum sciendum est voces multas habere significationes plures, alteram strictiorem, alteram laxiorem: quod multis ex causis euenit, aut quia specierum vni nomen generis adhæret, vt in vocibus cognationis & adoptionis, item in nominibus masculinis quæ etiam pro communibus sumi solent vbi desunt communia, aut quia vsus artis latius patet quam vsus popularis, vt mors in iure ciuili ad deportationē producitur, cum apud populum aliud significet.

X. Simul notandum est eorum quæ promittūtur, alia esse fauorabilia, alia odiosa, alia mixta, aut media. Fauorabilia sunt quæ æqualitatem in se habent, & quę communem spectant vtilitatem, quæ quo maior est, atque latius patet, eo maior est promissi fauor, vt eorum quæ ad pacem faciunt maior quam ad bellum, & belli ob tuitionem suscepti maior quam aliis de causis. Odiosa sunt quæ partem alteram tantum, aut plus altera onerant, & quæ pœnam in se continent, & quæ actus faciunt irritos, & quæ de prioribus aliquid immutant. Quod si mixtum sit aliquid, vt mutans quidē priora, sed pacis causa, id pro magnitudine boni, aut mutationis; modo fauorabile, modo odiosum censebitur, ita tamen vt cæteris paribus fauor censeatur potior.

Sale. V. resp. 17.

XI. Discrimen actuum bonæ fidei & stricti iuris quatenus ex iure est Romano, ad ius gentium non pertinet. Potest tamen aliquo sensu huc aptari, vt scilicet si quibus in regionibus actus aliqui formam quandam habeant communem, ea quatenus immutata

non

non est actui inesse intelligatur: in aliis autem actibus qui per se sunt indefiniti, qualis est donatio, & liberalis promissio, magis stetur dictis.

XII. His positis hæ tenendæ sunt regulæ. In non odiosis sumenda verba secundum totam proprietatem vsus popularis, & si plures sint eam quæ latissima est, quale est vt masculinum sumatur pro genere communi, & indefinita locutio pro vniuersali. Sic verba hæc, *vnde quis deiectus est*, etiam ad eum restituendum pertinebunt, qui vi vetitus est ad suum accedere. nam vox laxius sumta fert eam significationem, vt recte Cicero pro A. Cæcinnæ disputat. In fauorabilioribus, si is qui loquitur ius intelligat aut peritorum iuris cõsilio vtatur, verba laxius sumenda, vt etiam includant significationem artis, aut quam lex dedit. Ad significationes autem planè improprias non recurrendum, nisi alioqui absurdum aliquid aut pacti inutilitas sequetur. Ex contrario verba etiam strictius quam fert proprietas sumenda erunt, si id necessarium erit ad vitandam iniquitatem vel absurditatem: at si non talis est necessitas, sed manifesta æquitas vel vtilitas in restrictione, subsistendum erit intra arctissimos terminos proprietatis, nisi circumstantiæ aliud suadeant. In odiosis vero etiam sermo figuratus aliquantulum admittitur, quo onus vitetur. Itaque in donatione & iuris sui remissione verba quantumuis generalia restringi solent ad ea de quibus verisimiliter est cogitatum. Et in hoc rerum genere occupatum nonnunquam id demum intelligetur quod spes sit posse retineri. Sic auxilia promissa ab vna tantum parte, intelligentur deberi impendiis eius qui postulabit.

Gl. in l. Non possunt. D. de legibus.

Bart. in l. Si is qui pro emtore. D. de vsuc.

Couarr. III. Var. c. 3 n. 5. Tiraq. in leg. connub. Gl. 5. n. 115.

XIII. Illustris est quæstio, sociorum nomine veniant tantum qui erant federis tempore, an & futuri, vt in fedre facto inter populum Romanũ & Carthaginiensem

Barb. IV. cons. 82.

ginienſem poſt bellum de Sicilia: *Vtriuſque populi ſocii ab vtroque populo tuti ſunto.* Hinc Romani inferebant, etiãſi fedus cum Aſdrubale ictum de libero amne non tranſeundo, nihil ipſis prodeſſet quod Carthaginienſes id ratum non habuiſſent, tamen ſi Carthaginienſes factum Annibalis oppugnantis Saguntinos, quos poſt fedus Romani ſocios adſciuerant, probarent, bellum indici ipſis poſſe tanquam federe violato. Rationes ita Liuius exponit *Sãtis cautum erat Saguntinis ſocijs vtrorumque exceptis. nam neq; additum erat iis qui tunc eſſent, nec ne qui poſt a aſſumerentur. & cum aſſumere nouos liceret ſocios, quis aquum cenſeret, aut ob nulla quenquam merita in amicitiam recipi, aut receptos in fidem non defendi, tantum ne Carthaginienſium ſocii, aut ſollicitarentur ad defectionem, aut ſua ſponte deſciſcentes reciperentur?* Quæ ferme ad verbum de Polybio ſumta apparet. Quid dicemus? Quin verbum ſociorum & ſtrictam illam de iis qui erant federis tempore, & ampliorem alteram ſignificationem quæ ad futuros quoque porrigitur, recipere poſſit ſalua ratione recti ſermonis, dubitandum non eſt. Vtra ergo præferenda ſit interpretatio ex regulis ante traditis erit videndum: ſecundum quas dicimus, futuros non comprehendi, quia agitur de federe rumpendo quæ odioſa eſt materia: & de adimenda Carthaginienſibus libertate eos qui iniuriam ipſis feciſſe credetẽtur armis cogendi; quæ libertas eſt naturalis, nec temere abdicata cenſetur. Ergo Romanis adſciſcere in ſocietatem Saguntinos, aut adſcitos defendere non licuit? Imo vero licuit, non ex vi federis, ſed ex iure naturali quod federe non erat abdicatum: ita vt Saguntini apud vtroſque eo eſſent loco quaſi nihil de ſociis conueniſſet. quo caſu nec Carthaginienſes cõtra fedus erant facturi, ſi in Saguntinos arma mouerent quæ iuſta arbitrarentur, nec Romani ſi eos defenderent. Planè

Lib. XXI.

Hiſt. lib. III.

ſicut

ficut Pyrrhi tempore inter Carthaginienſes & Romanos cõuenerat, vt ſi eorum populorum alter cum Pyrrho fedus faceret, ita faceret vt ius auxilia mittendi ei quem Pyrrhus bello impeteret ſaluum maneret. Non dico iuſtum vtrinque bellum eſſe potuiſſe: ſed nego pertinuiſſe hoc ad federis violationem: quomodo in quæſtione de auxilio Mamertinis miſſo à Romanis diſtinguit Polybius an iuſtum id fuerit, & an per fedus licuerit. Et hoc ipſum eſt quod Corcyrenſes apud Thucydidem dicunt Athenienſibus, licere ipſis ſibi auxilia mittere, nec obſtare quod Athenienſes habebant cum Lacedæmoniis fedus, quando per id fedus nouos ſocios adſciſcere liceret. Atque eam ſententiam ſecuti ſunt Athenienſes poſtea imperato ſuis ne in Corinthios pugnarent, niſi vbi ij deſcendere pararent hoſtiliter in Corcyram, aut in aliquod ſolum ditionis Corcyrenſium, ne ſcilicet fedus rumperent. Non pugnat autem cum federe, vt quos alii offenderent hi defenderentur ab aliis, manente de cætero pace. Et hoc quidem exemplum eſt in federe æquali.

Pol. hiſt. III.

Lib. 1.

Ib.

XIV. In federe inæquali ponemus alterum, ſi conuenerit ne alter federatorum iniuſſu alterius bellum gerere poſſit; quod poſitum fuiſſe in federe Romanorum & Carthaginienſium poſt bellum Punicum ſecundum ſuprà memorauimus. ſicut & poſitum fuit in federe Macedonico cũ Romanis ante Perſeum regẽ. Cum belli gerendi nomen, & ad omne bellum pertinere poſſit, & ad id quod infertur non quod repellitur, in dubio arctiorem hîc ſignificatum ſumemus, ne nimium coarctetur libertas.

Liu. lib. XLII.

XV. Eiuſdem generis eſt illud quod Romani promiſerant liberam fore Carthaginem: quod quãquam ex natura actus de ſummo imperio intelligi non poterat, aliquam tamen illis relinquebat libertatem, &

minimum tantam vt alieno imperio vrbem sedibus transferre non tenerentur. Frustra ergo vocem Carthaginis vrgebant Romani, dicentes ciuium multitudinem non vrbem significari: (quod quanquam improprium concedi potest ob attributum quod ciuibus magis quam vrbi conuenit.) Nam in voce, liberam relinqui, αὐτόνομον, vt Appianus ait, manifesta erat captio.

XVI. Huc & illa frequens quæstio referenda est de pactis personalibus ac realibus. Et siquidem cum populo libero actum sit, dubium non est quin quod ei promittitur sui natura reale sit, quia subiectum est res permanēs. Imo etiam si status ciuitatis in regnum mutetur, manebit fœdus quia manet idem corpus, etsi mutato capite & vt supra diximus imperium quod per regem exercetur non desinit imperium esse populi. Excipiendum erit, si appareat causam fuisse propriam ei statui, vt si liberæ ciuitates libertatis tutandæ causa fedus contrahant. At si cum rege contractum sit, non statim personale erit censendum fedus: nam vt recte dictum est à Pedio & Vlpiano, plerumque persona pacto inseritur, non vt personale pactum fiat, sed vt demonstretur cum quo pactum factum est. Quod si adiectum sit federi vt perpetuum sit aut factum in bonum regni, aut cum ipso & successoribus, aut ad tempus definitum, iam satis apparebit reale esse. Tale videtur fuisse fedus Romanorum cum Philippo Macedonum Rege, quod cum Perseus eius filius ad se pertinere negaret, bellum eo nomine exortum est. Sed & alia verba, & ipsa interdum materia coniecturam suppeditabunt non improbabilem. Quod si pares sint in vtrumque coniecturæ, supererit, vt fauorabilia credātur esse realia, odiosa vero personalia. Federa pacis causa facta, aut commerciorum fauorabilia sunt.

L. iure gentium. §. pactum. D. de pactis.

sunt. Quæ belli causa, non odiosa omnia, vt quidam censent, sed ὁμμαχίαι, id est federa tuendi se causa propius ad fauorem accedunt, ξυμμαχίαι magis ad onera. Ad quæ accedit quod in federe ad bellum quoduis, præsumitur ratio habita prudentiæ & pietatis eius qui cum agitur, vt qui non modo non iniuste, sed nec temere bellum susceperurus videretur. Quod vero dici solet, societates morte finiri, huc non adfero: pertinet enim hoc ad societates priuatas, & iuris est ciuilis. Iure ergo an iniuria Fidenates, Latini, Etrusci, Sabini à federe discesserint mortuis Romulo, Tullo, Anco, Prisco, Seruio, dliudicari à nobis recte non potest, cum non exstent federum verba. Cui non dissimilis est illa apud Iustinum controuersia, an ciuitates quæ Medorum tributariæ fuerant, mutato imperio conditionem mutassent. Spectandum enim an in conuentione fidem Medorum elegissent. Minime vero admittenda est Bodini argumentatio, federa ad regum successores non transire, quia iuramenti vis personam non exeat. Potest quippe iuramenti obligatio personam tantum obstringere, & ipsa promissio obligare heredem. Neq; enim verum est quod sumit, federa iureiurando veluti firmamento inniti, cum plerumque in ipsa promissione satis sit efficaciæ, cui maioris religionis causa iusiurandum additur.

Dec. lib. 1. cons. 22.

L. V. c. vlt.

XVII. Sane cum rege initum fedus manet, etiamsi rex idem aut successor regno à subditis sit pulsus. Ius enim regni penes ipsum manet, vtcunque possessionem amiserit.

XVIII. Contra si alieni regni inuasor volente vero rege, aut oppressor populi liberi antequam sufficiēs populi consensus accedat bello impetatur, nihil eo fiet contra fedus: quia hi possessionem habent, ius non habent. Et hoc est quod Nabidi dicebat T. Quin-

Liu. lib. XXXIV.

tius. *Amicitia & societas nobis nulla tecum, sed cum Pelope rege Lacedæmoniorum iusto ac legitimo facta est.* Qualitates autem istæ in fœderibus, regis, successoris & similes ius proprie significant, & odiosa est inuasorum causa.

XIX. Tractauerat olim Chrysippus hanc quæstionem, an præmium promissum ei qui primus ad metam peruenisset debeatur vtriq; si simul peruenerint, an neutri. Et sane vox primi ambigua est, nam aut eum significat qui omnes antecedit, aut quem nemo. Sed quia virtutum præmia fauorabilia sunt, verius est concursuros ad præmium, quanquam liberalius Scipio, Cæsar, Iulianus his qui pariter muros ascenderant solida præmia tribuerunt. Et hæc quidem dicta sunto de interpretatione ea quæ verborum significationi propriæ vel impropriæ aptatur.

Euerh. in loco à ratione legis ad restrictionem, & in loco à ratione legis ad extensionem.

XX. Est & aliud interpretandi genus ex coniecturis extra significationem verborum, eorum scilicet quibus promissio continetur: idque duplex, vel extendens, vel coarctans. Sed quæ extendit interpretatio difficilius procedit, facilius quæ arctat. Nam sicut in rebus omnibus vt effectus non sequatur satis est vnam deesse causarum, vt nascatur omnes conuenire oportet; ita & in obligatione coniectura extendens obligationem non temere admittenda est: multoque hic difficilius quam in casu de quo supra dicebamus, vbi verba largam aliquam significationem, etsi minus receptam admittunt. Nam hic extra verba promittentia coniecturam quærimus, quæ valde certa esse debet, vt obligationem inducat, nec ratio similis sufficit, sed oportet eadem sit; nec id semper satis est, vt dicamus ex ratione faciendam extensionem: quia vt modo dicebamus, sæpe ratio ita mouet vt voluntas tamen sit causa per se sufficiens, etiam sine ratione illa. Vt ergo talis extensio recte fiat; opus est vt constet rationem sub

quam

quam venit casus quem volumus comprehendere, esse causam vnicam & efficacem quæ promittentem mouerit, eamque rationem ab eo consideratam in sua generalitate, quia alioqui promissio futura fuisset iniqua aut inutilis. Hæc quoque pars tractari solet à Rhetoribus in loco περὶ ῥητῆς καὶ διανοίας, cuius speciem vnam ponunt, quoties semper eandem sententiam dicimus: sed & alter locus κατὰ συλλογισμὸν per ratiocinationem huc pertinet: Et quæ à Iurisconsultis traduntur de his quæ in fraudem fiunt. Exemplum sit in pactione ne quis locus muris cingatur, facta eo tempore cum non aliud esset muniendi genus. Is locus ne aggere quidem cingi poterit, si satis constet prohibendi muros vnicam fuisse causam ne muniretur is locus. Vulgo solet exemplum adferri de conditione, si posthumus sit mortuus, ab eo scripta qui posthumum omnino exspectabat, vt sententia dispositionis producatur ad eum casum, si is posthumus natus non esset, quia constet voluntatem loquentis motam fuisse consideratione non exstituræ prolis: quod ipsum non apud Iurisconsultos tantum, sed & apud Ciceronem & Valerium Maximum inuenire est. Cicero causam hanc adfert oratione pro Cæcinna: *Quid? verbis satis hoc cautum erat? minime. quæ res igitur valuit? voluntas: quæ si tacitis nobis intelligi posset, verbis omnino non vteremur: quia non potest, verba reperta sunt non quæ impedirent, sed quæ indicarent voluntatem.* Mox in eadem oratione dicit idem ius esse vbi perspicitur vna atque eadem causa æquitatis, id est rationis quæ sola mouerat: ita Interdictum, *vnde tu me vi dieceris hominibus coactis armatisve*, locum habere aduersus omnem vim quæ ad caput & vitam pertineat. *Ea enim*, inquit, *plerumque fit per homines coactos armatosque: quæ si alio consilio, eodem periculo facta sit, eodem iure esse voluerunt.*

XXI. Atq; hinc soluenda est celebris illa quæstio q̃

& apud Gellium est de mandato, an impleri possit nō per idem, sed per aliud æque vtile, aut vtilius quàm erat id quod mandator præscripserat. Id enim ita demum licet si constet quod præscriptum erat, non præscriptum fuisse sub speciali sua forma, sed sub consideratione generaliore quæ aliter quoque obtineri possit: quomodo eum qui fideiubere erat iussus, mandare posse creditori vt tertio pecuniam numeret, à Scæuola responsum est. *L. vlt. D. Mandati.*

XXII. Restringens interpretatio extra significationem verborum quæ promissionem continent, aut ex defectu petitur originario voluntatis, aut ex casus emergentis repugnantia cum voluntate. Defectus voluntatis originarius intelligitur ex absurdo quod alioqui euidēter sequeretur; ex cessatione rationis quæ sola plene & efficaciter mouit voluntatem; & ex materię defectu. Primum in eo fundamentum habet, quod nemo credendus est velle absurda.

XXIII. Secundum, ex eo quod contentum in promissione vbi ratio talis additur, aut de ea constat non consideratur nude, sed quatenus sub ea ratione venit.

XXIV. Tertium, in eo quod materia de qua agitur semper intelligenda est obuersari animo loquentis, etiamsi verba latius pateant. Hęc quoque interpretandi ratio à Rhetoribus tractatur in loco περὶ ῥητῶν καὶ διανοίας, & titulum habet, cùm dicitur non semper eadem sententia.

XXV. Sed de ratione notandum est sub ea comprehendi sæpe quasdam res non secundùm existentiam, sed secundùm potentiam moraliter consideratam, quæ vbi locum habet, restrictio facienda non est. Sic si cautum sit ne exercitus aut classis aliquo ducatur, non poterit duci etiam animo non nocēdi. Quia in pactione non certum damnum, sed periculum qualecunque

specta-

spectatum est. Solet & hoc disputari, an promissa in se habeant tacitam conditionem, si res maneāt quo sunt loco: quod negandum est, nisi apertissimè pateat statum rerum præsentem in vnica illa quam diximus ratione inclusum esse. Sic passim in historiis legimus legatos à suscepto itinere domum rediisse deserta legatione, quod res ita mutatas intelligerent, vt tota legationis materia aut causa cessaret. *Paschal. legato. c. 49.*

XXVI. Repugnantia casus emergentis cum voluntate solet & ipsa ab oratoriæ artis magistris referri ad eum quem dixi locum περὶ ῥητῆς καὶ διανοίας. Est autem duplex: nam aut voluntas colligitur ex naturali ratione, aut ex alio signo voluntatis. Diiudicandæ voluntati ex naturali ratione Aristoteles, qui hanc partem accuratissimè tractauit, propriam virtutem tribuit in intellectu γνώμῃ, siue εὐγνωμοσύνῃ, id est æquiprudentiam, in voluntate vero ἐπιεικείαν, id est æquitatem, quam sapienter definit correctionem eius in quo lex deficit ob vniuersalitatem: quod ad testamenta quoque & pacta suo modo referri debet. Nam quia casus nec præuideri omnes possunt, nec exprimi, ideo libertate quadam opus est eximēdi casus quos qui locutus est si adesset eximeret: non tamē temerè; id enim esset dominum se facere actus alieni; sed ex sufficientibus indiciis. Certissimum indicium est si quo casu sequi verba illicitum esset, id est pugnans cum naturalibus aut diuinis præceptis. Talia enim cùm obligationis capacia non sint, eximenda sunt necessario. Ita qui promisit depositum gladium reddere non reddet furenti, ne aut ipsi periculum creet, aut aliis innocentibus. Sic nec redderetur res deposita ei qui deposuit, si dominus eam repetat. *Probo*, inquit Tryphoninus, *hanc esse iustitiā quæ suum cuique ita tribuit, vt non distrahatur ab vllius personæ iustiore repetitione.* Ratio est quia, vt alibi notauimus, *L. Bona fides. D. depositi.*

introducti semel dominij ea vis est, vt rem domino cognito non reddere omnino iniustum sit.

XXVII. Secundum erit indicium si verba sequi non quidem per se & omnino illicitum sit, sed æquè rem æstimanti nimis graue atque intolerabile: siue absolutè spectata conditione humanæ naturæ, siue comparando personam & rem de qua agitur cum ipso fine actus. Sic qui rem ad dies aliquot commodauit, intra eos dies repetere eam poterit, si ipse valde egeat: quia actus tam benefici ea est natura, vt non credendus sit quisquam ad magnum suum incommodum se voluisse obligare. Sic qui auxilium federato promisit, excusabitur quamdiu ipse domi periclitatur, in quantum copiis opus habet. Et concessio immunitatis vectigalium & tributorũ intelligetur de quotidianis & anniuersariis, non de iis quæ summa necessitas exigit, & quibus carere respublica non potest. Ex quibus apparet nimis laxè dictum à Cicerone, non seruãda promissa quæ sint iis quibus promiseris inutilia, nec si plus tibi noceant quàm illi prosint cui promiseris. Nam an res vtilis sit futura ei cui promissa est, iudicare promissor nõ debet, nisi fortè in casu furoris de quo supra diximus: & vt promissum promissorem non obliget, non satis est quodlibet nocumentum in promissorem, sed tale oportet sit quod pro natura actus credi debeat exceptũ. Sic qui operas vicino ad dies aliquot promisit non tenebitur si eum morbus sonticus patris aut filij detineat. Et hoc rectè Cicero de officiis primo: *Si constitueris te cuipiam aduocatum in rem præsentem esse venturum, atque interim grauiter ægrotare filius cœperit, non sit contra officium non facere quod dixeris.* In eundem sensum accipiendum, nec vltrà trahendum est, quod apud Senecã legimus: *Tunc fidem fallam. tunc inconstantiæ crimen audiam, si cùm omnia eadem sint, quæ erant promittente me, non præstitero*

Molina disp. 294. Silu. verb. commodatum. n. 4. l. ess. lib. II. c. 27. dub. 5. Ang. ad l. 7. ad l. Rhod. Vasq. contr. III. c. 31.

De benef. lib. IV. c. 35.

tero promissum. alioqui quicquid mutatur, libertatem facit de integro consulendi, & meam fidem liberat. Promisi aduocationē: postea apparuit per illam causam præiudicium in patrem meum quæri. promisi me peregrè vnà iturum: sed iter infestari latrociniis nuntiatur. In rem præsentem venturus fui: sed æger filius, sed puerpera vxor tenet. Omnia esse debent eadem quæ fuerint cùm promitterē, vt promittentis fidē teneas. Omnia intellige pro act⁹ eius de quo quæritur natura, vt iā modò exposuimus.

XXVIII. Diximus alia quoque esse posse signa voluntatis quæ ostendant casum eximendum. Inter ea signa nihil validius est quàm verba alio loco posita, nō vbi directè pugnant, quæ est ἀντινομία, cuius suprà meminimus, sed cùm velut insperatò ex ipso rerum euentu inter se committuntur, quam Rhetores Græci vocant, τὴν ἐκ περιστάτεως μάχην.

XXIX. In hac disceptatione vtra pars scripti cùm ex casu fit collisio præualere debeat, regulas quasdam ex antiquis auctoribus Cicero posuit, quæ vt spernendæ neutiquam sunt, ita mihi non suo ordine videntur collocatæ. Nos eas hunc in modum digeremus. Vt quod permittit cedat ei quod iubet: quia qui permittit aliquid ita permittere videtur, nisi aliud quid obstet quàm de quo ibi agitur. Vt quod faciendum est certo tempore ei præferatur quod quouis tempore fieri potest: vnde sequitur vt plerumque pactio vetans vincat iubentem, quia pactio vetans obligat ad quoduis tempus, iubens non item, nisi aut tempus sit expressum, aut iussio tacitam prohibitionem contineat. Inter eas pactiones quæ supradictis qualitatibus pares sunt, vt pręferatur quod magis est peculiare, & ad rem propiùs accedit: nam solent specialia efficaciora esse generalibus. & in prohibitionibus, vt quæ pœnam adiunctam habet ei quæ pœna vacat, & quæ maiorem pœnā minatur ei quæ minorē præferatur. Tum verò vt superet

quod causas habet, aut magis honestas, aut magis vtiles. Extremo loco, vt quod postremò dictum est vincat. Illud ex superioribus hîc repetendum est, pactorum iuratorum eam esse vim, vt intelligi debeant secundùm receptissimam proprietatem, & vt omnes restrictiones tacitas, & ex natura rei non omnino necessarias quàm maximè repudient. Quare & si iuratum pactum cum non iurato pugnet certo euentu, præferendum erit cui adest iurisiurandi religio.

XXX. Solet & hoc quæri, an in dubio contractus perfectus censeri debeat antequam scriptura confecta sit, & tradita. Nam id Murena causabatur aduersus ea quæ inter Syllam & Mithridatem conuenerant. Mihi apertum videtur, ni aliud conuenerit, credendum, scripturam adhiberi, vt monumentum contractus, non vt substantiæ eius partem.

App. Mithrid.

XXXI. Illud verò non admittam quod quibusdam placuit, contractus regum & populorum quantum fieri potest interpretandos ex iure Romano: nisi appareat inter quosdam populos ius illud ciuile in his quæ iuris sunt gentium etiam pro iure gentium receptum esse. quod temerè præsumendum non est.

Alc. V. cons. 17.

XXXII. De eo verò quod Plutarchus in Symposiacis, mouet conditionem offerentis, an accipientis verba attendi magis debeant, ita videtur, cùm accipiens hîc sit qui promittit, eius verba formam dare negotio, si absoluta & in se perfecta sint. Nam si per affirmationem respiciant verba offerentis, tunc ea ipsa ex natura vocum relatiuarum repetita in promissione videbuntur. Antequam verò accepta sit conditio, ne eum quidem teneri qui obtulit certum est. nullum enim adhuc ius quæsitum est, vt ex his quæ de promissione suprà diximus apparet. Et hæc oblatio conditionis minus est promissione.

IX. Symp. 13.

CAP.

CAPVT XVII.

De damno per iniuriam dato, & obligatione quæ inde oritur.

I. *Culpam obligare ad restitutionem damni.*
II. *Damnum intelligi quod pugnat cum iure strictè dicto.*
III. *Accuratè distinguendam aptitudinem à iure strictè dicto vbi concurrunt.*
IV. *Damnum & ad fructus pertinere.*
V. *Ad lucrum cessans quomodo?*
VI. *Damnum dare facientes primariò.*
VII. *Et secundariò:*
VIII. *Item non facientes quod debent: primariò,*
IX. *Et secundariò.*
X. *Qualis efficacia circa actum ad hoc requiratur.*
XI. *Quo ordine teneantur.*
XII. *Obligationem extendi etiam ad damnum consequens.*
XIII. *Exemplum in homicida:*
XIV. *In eo qui aliter vim intulit:*
XV. *In adultero & stupratore:*
XVI. *In fure, raptore, & aliis:*
XVII. *Qui causam promissioni dedit per dolum aut metum iniustum:*
XVIII. *Quid si metu iusto naturaliter?*
XIX. *Quid de metu quem ius gentium pro iusto habet?*
XX. *Potestates ciuiles quatenus teneantur ex damno per subditos dato: vbi quæstio de prædis in mari actis in socios contra imperium publicum.*
XXI. *Naturaliter ex animalis sui, aut nauis suæ facto sine culpa neminem teneri.*
XXII. *Damnum dari, & aduersus famam & honorem, & quomodo reparetur.*

I. SVPRA diximus eius quod nobis debetur fontes esse tres, pactionem, maleficium, legem. De pactionibus satis tractatum. Veniamus ad id quod ex maleficio naturaliter debetur. Maleficium hîc appellamus culpam omnem, siue in faciendo, siue in non faciendo, pugnantem cum eo quod aut homines communiter, aut pro ratione certæ qualitatis facere debent. Ex tali culpa obligatio naturaliter oritur si damnum datum est, nempe vt id resarciatur.

II. Damnum à demendo dictum est, τὸ ἔλαττον, cùm quis minùs habet suo, siue illud suum ipsi competit ex mera natura, siue accedente facto humano, putà dominio, aut pacto, siue ex lege. Naturâ homini suum est vita non quidem ad perdendum, sed ad custodiendũ, corpus, membra, fama, honor, actiones propriæ. Dominio & pactis quomodo suum quid cuique sit, superior tractatio docuit, tum quoad res, tum quoad ius in actiones alienas. Simili modo ex lege ius suum cuique oritur, quia idem aut plus lex potest quàm in se ac sua singuli. Sic pupillus ius habet exactam quandam diligentiam exigendi à tutore, respublica à magistratu, nec respublica tantùm, sed & ciues singuli, quoties lex id expresse, aut per sufficientem consequentiam significat. At ex sola aptitudine, quod ius minùs propriè dicitur, & ab assignatrice iustitia spectatur, nõ oritur verum dominium, ac proinde restitutionis obligatio; quia non id alicui suum est ad quod aptus est:

Nic. V. c. 4. πλεονεκτεῖ οὐδείς, ait Aristoteles, ὃ οὐ βοηθήσας χρήμασι διὰ ἀνελευθερίαν. *Contra propriè dictam iustitiam nihil committit qui pecunia sua alteri non succurrit præ tenacitate.*

III. Sed cauendum hîc ne confundantur quæ diuersi generis sunt. Nam cui magistratus collatio mandata est, is reipublicæ tenetur ad eligendum eum qui dignus sit, & ad hoc exigẽdum respublica ius habet proprium.

prium. quare si ex indigni electione damnum fecerit respublica, ille resarcire tenebitur. Sic etiam ciuis aliquis non indignus, etsi ius proprium ad officium aliquod non habeat, habet tamen verum ius petendi iuxta alios: in quo iure si per vim aut dolum impediatur, iam non totius rei expetitæ, sed incerti illius damni æstimationem exigere poterit. Simile erit in eo cui ne quid legaret testator, vi, vel dolo fuit impeditus. nam capacitas legati ius quoddam est, cui id est consequens, vt libertatem testatoris in eo impedire iniuria sit. *Tho. & Caiet. 2.2. q. 62. art. 2. Soto lib. IV. q. 6. Less. lib. II. c. 12. dub. 18 Couar. ad c. peccatum. p. 2. §. 7.*

IV. Minus autem quis habere ac proinde damnum fecisse intelligetur, non in re tantùm, sed & in fructibus qui propriè rei fructus sunt, siue illi percepti sunt, siue non, si tamen ipse eos percepturus fuerat, deductis impensis quibus res melior facta est, aut quæ ad fructus percipiẽdos fuerunt necessariæ, ex regula quæ nos vetat locupletiores fieri cum aliena iactura. *Soto lib. IV. q. 7. Less. lib. II. c. 12. dub. 16. n. 3.*

V. Sed & spes lucri ex nostro æstimabitur, non vt illud ipsum, sed secundùm propinquitatem ad actum, vt in semente spes messis.

VI. Tenentur autem præter ipsum qui per se & ἀμέσως damnum dat, alii quoque faciendo, aut non faciẽdo: Faciendo alii primariò, alii secundariò: Primariò qui iubet, qui consensum requisitum adhibet, qui adiuuat, qui receptum præstat, aut qui alio modo in ipso crimine participat. *Tho. 2.2. 62. art. 4. Soto lib. IV. q. 6. art. 5.*

VII. Secundariò, qui consilium dat, laudat, assentatur.

VIII. Non faciendo item primariò aut secundariò: primariò, qui cum ex iure propriè dicto debeat vetare præcepto, aut opem ferre ei cui fit iniuria, id non facit.

IX. Secundariò, qui aut non dissuadet cùm debeat,

aut

aut factum reticet quod notum facere debebat. Illud autem debere in his omnibus referimus ad ius proprium quod iustitia expletrix respicit, siue illud ex lege, siue ex qualitate exoritur. nam si debeat ex caritatis norma, peccabit quidem omittendo, non tamen ad reparationem tenebitur, cuius origo est ius aliquod proprium, vt ante diximus.

Leff. lib. II. c. 13. dub. 10.

Th. 2. 2. 62. art. 6. Soto lib. IV. quæst. 7. art. 3.

X. Sciendum quoque hos omnes quos diximus ita teneri si vere causa fuerint damni, id est momentum attulerint, aut ad totum damnum, aut ad partem damni. Nam sæpe accidit in agentibus vel negligentibus secundarij ordinis, interdum etiam in quibusdam qui sunt ordinis primarij, vt etiam sine eorum actu aut neglectu is qui damnum dedit, certus fuerit id ipsum dare: quo casu illi quos dixi non tenebuntur. Quod tamen non ita intelligendum est, vt si alij defuturi non fuerint, putà qui suaderent, aut iuuarent, non teneantur qui suaserint, aut iuuerint, si absque ope consilio qui dedit damnum daturus id non fuisset. Nam & illi alij si suasissent aut adiuuissent tenerentur.

Caiet. ad q. 62. art. 6. Medina q. 9.

XI. Tenentur autem primo loco ij qui impetio aut alio modo aliquem impulerunt ad factum: his deficientibus patrator facinoris: & post eum cæteri in solidum singuli qui ad actum causam dederunt, si totus actus ab ipsis quanquam non solis processit.

Leff. lib. II. c. 13. dub. 5. Ib. dub. 4.

XII. Qui vero de actu tenetur, simul tenetur de his quæ illum ex actus vi sunt consecuta. In Senecæ controuersia quadam hoc tractatur in specie platani incisæ ex qua domus arserat, vbi hanc ponit sententiam. *Etiamsi partem damni dare noluisti, in totum quasi prudens dederis tenendus es. ex toto enim noluisse debet qui imprudentia defenditur.*

XIII. Exemplo hæc sint. Homicida iniustus tenetur soluere impensas si quæ factæ sunt in medicos, & iis quos

quos occisus alere ex officio solebat, putà parentibus, vxoribus, liberis dare tantum quantum illa spes alimentorum, ratione habita ætatis occisi, valebat. Michaël Ephesius ad quintum Nicomachiorum Aristotelis: ἀλλὰ καὶ ὁ φονευθεὶς ἔλαβε πρόπον πνά. ὁ γὰρ γυνὴ καὶ οἱ παῖδες καὶ οἱ συγγενεῖς τοῦ φονευθέντος ἔλαβον πρόπον πνὰ ἀκείνῳ δέδοται. *Sed & qui occisus est accipit aliquo modo. Quæ enim vxor eius & liberi & cognati accipiunt ipse quodammodo accipit.* Loquimur de homicida iniusto, id est qui non habuit ius id faciendi vnde mors sequitur. quare si quis ius habuerit, sed in caritatem peccauerit, vt qui fugere noluit, non tenebitur. Vitæ autem in libero homine æstimatio non fit. secus in seruo qui vendi potuit. *Less. lib. II. c. 9. dub. 19.* *Less. dub. 21.* *Nauar. c. 17. n. 22. d. vlt.*

XIV. Qui mutilauit similiter tenebitur ad impensas & ad æstimationem eius ꝙ iam qui mutilatus est minus poterit lucrari. Sed sicut ibi vitæ, ita & hîc cicatricis in libero homine æstimatio non fit. de coniectione in carcerem idem dicendum. *D. de his qui eff. vel def.*

XV. Sic adulter & adultera tenentur non tantùm indemnem præstare maritum ab alenda prole, sed & legitimis liberis rependere si quod damnum patiuntur ex concursu ita susceptæ sobolis ad hereditatem. Qui virginem imminuit vi, aut fraude, tenetur ei rependere quanti minoris ipsi valet spes nuptiarũ: imò & ducere tenetur si ea promissione corporis vsuram impetrauerit. *Less. lib. II. c. 10. dub. 6.* *Less. lib. II. c. 10. dub. 2. & 3.*

XVI. Fur & raptor tenentur rem subtractam reddere cum suo incremento naturali, & cum sequente damno aut cessante lucro: & si res perierit, æstimationem non summam, non infimam, sed mediam. In hac classe ponendi & illi qui legitima vectigalia fraudant. Similiter tenentur qui iudicio iniusto, accusatione iniusta, testimonio iniusto damnum dederunt. *Ib. c. 12. dub. 17.* *Less. lib. II. c. 33. dub. 8.* *Conarr. c. peccatum. p. 2.*

XVII. Sed & qui contractui aut promissioni causam dedit

dedit dolo, vi aut metu iniusto, tenetur eum quicum actum est in integrum restituere, quia ille ius habuit, tum ne deciperetur, tum ne cogeretur; illud ex natura contractus, hoc ex naturali etiam libertate. His annumerandi sunt qui id quod ex officio facere tenebantur facere noluerunt nisi pecunia accepta.

Couar c. peccatum. p. 2. §. 3. §. 5.

XVIII. At qui causam dedit cur vim pati, aut metu cogi debeat habet quod sibi imputet. nam inuoluntarium ex voluntario ortum habens moraliter pro voluntario habetur.

Less. lib. II. c. 17. dub. 6.

XIX. At gentium consensu sicut introductum est, vt bella omnia summę potestatis auctoritate vtrinque gesta & indicta pro iustis habeantur, quoad effectus externos, qua de re infrà dicemus, ita & hoc vt talis belli metus hactenus pro iusto habeatur, ne quod ita obtentum est repeti possit. Atque hoc sensu admitti potest distinctio Ciceronis, inter hostem, quicum multa iura habemus, vt ait, communia, ex gentium cõsensu scilicet, & piratas ac latrones. Nam hi si quid metu expresserunt repeti potest nisi iusiurandum interceserit: quod illi, non item. Quare quod Polybio videtur iustã fuisse Carthaginiensibus causam belli Punici secundi, quòd Romani ab ipsis mercenariorum seditione occupatis bello denuntiato Sardiniam insulam & pecuniam expressissent, habet naturalis æquitatis aliquam speciem, sed à iure gentium abit, vt alibi explicabitur.

De Off. III. Bod. lib. V. de rep. c. 6.

XX. Ex neglectu tenentur reges ac magistratus qui ad inhibenda latrocinia & piraticam non adhibent ea quæ possunt ac debent remedia: quo nomine damnati olim ab Amphyctionibus Scyrii. Quæsitũ memini ex facto, cùm patriæ nostræ rectores potestatẽ prædarum in mari ex hoste agẽdarum per codicillos plurimis dedissent, & eorum nonnulli res amicorum rapuis-

Plut.

rapuissent, desertaque patria mari vagarentur, ac ne reuocati quidem redirent, an rectores eo nomine tenerentur, aut quod malorum hominum vsi essent opera, aut quod cautionem non exegissent. Dixi eos in nihil amplius teneri quam vt noxios, si reperiri possent punirent aut dederent: præterea in bona raptorum ius reddi curarent. Nam ipsos iniustæ prædationis causam non fuisse, nec quicquam de ea participasse: prohibuisse etiam legibus ne amicis noceretur: cautionem vt exigerent nullo iure fuisse obligatos, cum possent, etiam sine codicillis, omnibus subditis hostem spoliandi potestatem facere, quod & factum olim esset: neque talem permissionem causam esse cur damnum datum esset sociis, cum possent priuati etiam sine permissu tali naues armare & in mare progredi. Malifero an futuri illi essent prouideri non potuisse: neque vero vitari posse quominus & malorum opera vtamur, alioqui nullum colligi posse exercitum. Neq; vero si quid milites, aut terrestres, aut nautici contra imperium amicis nocuissent, reges teneri, quod Galliæ & Angliæ testimoniis probatum. Vt vero sine culpa sua ex ministrorum facto quisquam teneatur, non esse iuris gentium, ex quo diiudicanda esset hæc controuersia, sed iuris ciuilis, nec generalis, sed aduersus nautas & alios quosdam ex rationibus peculiaribus introductum. Atque in eam partem à supremi auditorii iudicibus contra Pomeranos quosdam pronuntiatum est, idque ad exemplum rerum in causa non dispari ante duo sæcula iudicatarum.

XXI. Illud quoque notandum est, vt mancipium aut animal quod damnum, aut pauperiem fecit noxæ dedatur, itidem ex iure ciuili esse. nam dominus, qui in culpa non est, natura ad nihil tenetur. vt nec is cuius nauis sine ipsius culpa naui alterius damnum dedit;

quanquam multorum populorum legibus, vt & nostra, damnum tale diuidi solet ob culpæ probandę difficultatem.

XXII. Sed damnum, vt diximus, etiam aduersus honorem & famam datur, putà verberibus, contumeliis, maledictis, calumniis, irrisu, aliisque similibus modis. In quibus non minùs quàm in furto atque aliis criminibus vitiositas actus ab effectu discernenda est. nam illi pœna respondet, huic damni reparatio quæ fit culpæ confessione, exhibitione honoris, testimonio innocentiæ, & per ea quæ his similia sunt: quanquam & pecuniâ tale damnum rependi poterit, si læsus velit, quia pecunia communis est rerum vtilium mensura.

Less. lib. II. c. 11. dub. 19: 25. 27.

Soto lib. IV. q. 6. art. 4.

CAP. XVIII.

De legationum iure.

I. *Obligationes quasdam ex iure gentium nasci, vt ius legationum.*

II. *Inter quos locum habeat.*

III. *An semper admittenda legatio.*

IV. *Aduersus legatos periculosa molientes defensionem licitam, non exactionem pœnæ.*

V. *Legationis iure non teneri eum ad quem legatus missus non est.*

VI. *Hostem ad quem missus est legatus teneri:*

VII. *Nec opponi posse ius talionis:*

VIII. *Ius hoc & ad comites legatorum porrigi: si legati voluerint:*

IX. *Et ad bona mobilia.*

X. *Exempla obligationis sine cogendi iure.*

XI. *Quanti sit hoc ius legationis.*

I. HACTE-

I. HACTENVS ea memorauimus quæ ex iure naturę debentur nobis, paucis duntaxat additis de gentium iure voluntario, quatenus ab eo aliquid erat iuri naturæ superadditũ. Restat veniamus ad obligationes quas ipsum per se ius illud gentium, ꝙ voluntarium dicimus, induxit. quo in genere præcipuum est caput de iure legationum. Passim enim legimus sacra legationum, sanctimoniam legatorum, ius gentium illis debitum, ius diuinum humanúmque: sanctũ inter gentes ius legationum, sancta corpora legatorum.

II. Sed primùm sciendum est, qualecunque est hoc ius gẽtium de quo videbimus, ad eos legatos pertinere quos mittunt qui summi imperij sunt compotes inter se. nam qui extra hos legati sunt prouinciales, municipales atque alii, non iure gentium, quod inter gẽtes est diuersas, sed iure ciuili reguntur. Legatus apud Liuium publicum se nuntium populi Romani vocat. *Lib. I.* Apud eundem Liuium alibi Senatus Romanus ius legationis externo, non ciui comparatum ait: & Cicero *Lib. VI.* vt ostendat non esse legatos mittendos ad Antonium: *Non enim*, inquit, *cum Annibale res est hoste reipublicæ, sed cum ciue.* Qui autem externi habendi sint ita clare exposuit Virgilius, vt nemo Iurisconsultorum possit clariùs.

Omnem equidem sceptris terram quæ libera nostris
Dissidet, externam reor.

Qui ergo impari iunguntur fœdere, cum sui iuris esse non desinant, ius habebunt legationis: imò & hi qui ex parte subditi sunt, ex parte non sunt, pro ea parte quâ non sunt subditi. At reges qui bello solenni victi regnoque exuti sunt cum aliis regni bonis & ius legandi perdiderunt. Ideo Perseì à se victi caduceatores retinuit P. Æmilius. In bellis vero ciuilibus necessitas interdum locum huic iuri facit, extra regulam, putà cum ita diuisus est populus in partes quasi æquales,

vt dubium sit ab vtra parte stet ius imperij; aut cum iure admodum controuerso de regni successione duo decertant. nam hoc euentu gens vna pro tempore quasi duæ gentes habetur. ita Flauianos accusat Tacitus quod sacrum etiam inter exteras gentes legatorũ ius in Vitellianis ciuili rabie temerassent. Piratæ & latrones qui ciuitatem non faciunt iure gentium niti non possunt. Tiberius cum ad eum Tacfarinas legatos misisset indoluit quod desertor & prædo hostium more ageret: quæ verba sunt Taciti. Sed interdum tales qui sunt, ius legationis nanciscuntur fide data, vt olim fugitiui in saltu Pirenæo.

Hist. III.

An. III. Cas. lib. III. de Bello ciuili.

III. Duo autem sunt de legatis quæ ad ius gentium referri passim videmus; prius vt admittantur, deinde ne violentur. De priore locus est Liuii vbi Hanno Senator Carthaginiensis in Annibalem sic inuehitur: *Legatos ab sociis & pro sociis venientes bonus imperator noster in castra non admisit: ius gentium sustulit.* Quod tamen non ita crude intelligendum est: non enim omnes admitti præcipit gentium ius: sed vetat sine causa reiici. Causa esse potest ex eo qui mittit, ex eo qui mittitur, ex eo ob quod mittitur. Melesippus Lacedæmoniorum legatus auctore Pericle dimissus est extra fines agri Attici, quod ab hoste armato veniret. Sic Senatus Romanus negauit se Carthaginiensium legationem admittere posse quorum exercitus esset in Italia. Sic Totilæ sæpe perfidi legationem reiecit Iustinianus, & Gothi qui Vrbini erant Belisarii oratores. Cynethensium quoque vt gentis sceleratæ legatos vndique pulsos narrat Polybius. Secundi exemplum est in Theodoro qui ἄθεος vocabatur, quem à Prolemæo ad se missum audire Lysimachus noluit: idemque aliis euenit peculiaris odii causa. Tertium quod diximus locum habet vbi causa mittendi, aut suspecta est, vt Rabsacis Assyrij lega-

Lib. XI.

Thuc. lib. II. Zonaras.

Procop. lib. II. & III.

Lib. IV.

II. Reg. XVIII.

legatio ad populum concitandum merito suspecta erat Ezechiæ, aut non ex dignitate aut temporibus conueniens. Sic Ætolis denuntiarunt Romani, ne quam legationem mitterent nisi permissu imperatoris: Perseo ne Romam mitteret, sed ad Licinium: & Iugurthæ legatis edictum intra decem dies Italia excederent ni regnum & regem deditum venissent. Optimo autem iure reiici possunt quæ nunc in vsu sunt legationes assiduæ, quibus quam non sit opus docet mos antiquus cui illæ ignoratæ.

Liu. libr. XXVII. Lib. XXXII. Sall. Iug.

IV. De non violandis legatis difficilior est quæstio, & varie à claris huius sæculi ingeniis tractata. Videndum autem habemus de legatorum personis, deinde de comitibus eorum ac bonis. De personis alii ita sentiunt, iure gentium vim duntaxat iniustam à legatorum corporibus arceri: Censent enim priuilegia ex iure communi interpretanda. Alii non omnibus de causis putant legato vim inferri posse, sed ita demum si ius gentium ab eo læsum sit, quod satis late patet: nam in iure gentium ius naturæ includitur, ita vt ex omnibus delictis puniri iam legatus possit, nisi quæ ex mero iure ciuili oriuntur. Restringunt hoc alii ad ea quæ contra statum reipublicæ, aut dignitatem eius ad quem legatus mittitur fiunt: quod ipsum sunt qui periculosum putant, & querelas exponendas ei qui misit eiusque arbitrio permittendum legatum. Sunt & qui putant consulendos reges aut gentes quarum nihil interest: quod prudentiæ esse potest, iuris nō potest. Rationes quas pro se quisque afferunt nihil definite concludunt: quia ius hoc non vt ius naturale ex certis rationibus certo oritur, sed ex voluntate gentium modum accipit. Potuerunt autem gētes, aut omnino cauere legatis, aut cum certis exceptionibus. nam & hinc vtilitas stat pœnæ in grauia delinquentes, & inde

vtilitas legationum, quarum mittendarum facilitas securitate quanta potest esse maxima optime promouetur. Spectandum ergo quousque gentes consenserint: quod ex solis exemplis euinci non potest. Exstant enim satis multa in partem vtranque. Recurrendum igitur tum ad sapientum iudicia, tum ad coniecturas. Iudicia duo habeo maxime illustria; Liuii alterum, alterum Sallustii. Liuii hoc est de legatis Tarquinii qui proditionem concitauerant Romæ: *Quanquam visi sunt commisisse vt hostium loco essent, ius tamen gentium valuit.* Videmus hic etiam ad eos qui hostilia patrant ius gentium extendi. Sallustii dictum ad comites legationis, de quibus mox dicemus, nō ad legatos ipsos pertinet: sed recte à maiori, id est minus credibili ad minus, id est magis credibile procedet argumentatio. Is ita ait: *Fit reus magis ex æquo bonoque quam ex iure gentium Bomilcar comes eius qui Romam fide publica venerat.* Bonum & æquū, id est merum naturæ ius patitur pœnas exigi vbi reperitur qui deliquit: at ius gentium legatos, & qui his similes fide publica veniunt excipit. Quare vt rei fiant legati contra ius est gentium, quo vetari multa solent quæ ius naturæ permittit. Coniectura quoque hinc stat. Verius enim est priuilegia ita intelligenda, vt aliquid tribuant vltra ius commune. Quod si legati ab iniusta tantum vi tuti essent, nihil in eo magni esset, nihil præcipui. Adde quod securitas legatorum vtilitati quæ ex pœna est præponderat. Nam pœna haberi potest per eum qui legatum misit volentem: & si nolit ab ipso exigi bello, tanquam criminis approbatore. Obiiciunt aliqui satius vnum plecti quam bello multos inuolui. at qui si is qui legatum misit factum eius probet, legati pœna bello nos non eximet. Parte vero altera valde in lubrico locatur salus legatorum, si actum suorum rationem alii reddere debent quam à quo mit-

Bello Iug.

mittantur. Nam cum plerumque diuersa, sæpe & aduersa sint consilia eorum qui mittunt legatos, & qui accipiunt, vix est vt non semper aliquid in legatum dici possit quod criminis accipiat speciem. Et quanquã quædam sunt ita manifesta, vt dubitationem non habeant, sufficit tamen ad æquitatem & vtilitatem legis vniuersalis periculum vniuersale. Quare omnino ita censeo, placuisse gentibus vt communis mos qui quẽuis in alieno territorio existentem eius loci territorio subiicit, exceptionem pateretur in legatis, vt qui sicut fictione quadam habentur pro personis mittentium (*Senatus faciem secum attulerat, auctoritatem reipublicæ*, ait de legato quodam M. Tullius) ita etiam fictione simili *Phil. VIII.* constituerentur quasi extra territorium. vnde & ciuili iure populi apud quem viuunt non tenentur. Quare si tale sit delictum quod contemni posse videatur, aut dissimulandum erit, aut è finibus iubendus excedere legatus. quod Polybius ei factum narrat qui Romæ obsidibus fugiendi causam præbuerat. Vnde obiter datur intelligi quod alio tempore legatus Tarentinorum qui idem deliquerat virgis cæsus est, id eo euenisse quod Tarentini victi sub Romanis esse cœpissent. Si crimen sit atrocius & ad publicum malum spectans, mittendus erit legatus ad eum qui misit cum postulato, vt eum puniat aut dedat, quomodo Gallos postulasse legimus, vt sibi dederentur Fabii. Sed, quod supra diximus aliquoties, humana iura omnia ita esse comparata, vt non obligent in summa necessitate, id de hoc quoque præcepto sanctimoniæ legatorum obtinebit. Verum is apex necessitatis non est in sumptione pœnæ, q̃ & aliis in casibus tolli iure gentium infra apparebit, cum de solennis belli effectibus agemus: multo minus in loco, tempore ac modo sumẽdæ pœnæ, sed in præcautione grauis mali, præsertim publici.

Quare vt obuiam eatur imminenti periculo, si alia nulla est ratio idonea, & retineri & interrogari legati poterunt. Ita consules Romani Tarquinij legatos deprehenderunt, litterarum in primis habita cura, vt Liuius loquitur, ne intercíderent. Quòd si vim armatam intentet legatus, sanè occidi poterit, non per modum pœnæ, sed per modum naturalis defensionis. Sic Tydea Thebani, Fabios quos violatores iuris humani Liuius vocat, Galli occídere potuerunt. Itaque apud Euripidem Heraclidis Demophon fecialem ab Eurystheo missum & vi supplices abripere conãtem, vi prohibuit, & cùm ille diceret,

Tún' fecialem cædere huc missum audeas?

respondet,

Ni fecialis dexteram à vi temperet.

Off. III. Distinctione non dissimili soluit Cicero quæsitum illud, an patrem patriæ proditorem filius accusare debeat. Vult enim debere ad auertẽdum periculum imminens, non autem vitato iam periculo in facti pœnam.

V. Ea verò quam dixi lex de vi legatis non inferenda intelligenda est eum obligare ad quem missa est legatio, atque ita demum si admisit, quasi scilicet ab eo tempore tacita pactio intercesserit. Cæterùm denuntiari & potest & solet ne mittantur legati; alioqui pro hostibus fore: vt Ætolis à Romanis est denuntiatum, & olim Veientibus edictum ni facesserent vrbe, daturos quod Lars Tolumnius dedisset. Non pertinet ergo hæc lex ad eos per quorum fines non accepta venia transeunt legati. nam siquidem ad hostes eorum eunt, aut ab hostibus veniunt, aut alioqui hostilia moliuntur, interfici etiam poterunt, quod Athenienses fecerunt legatis inter Persas & Spartanos, Illyrij legatis inter Essios & Romanos: multóque magis vinciri quod

Liu. lib. XXVII. *Idem lib. IV.*

Thuc. lib. II. *App. de bello III.*

quod constituit Xenophon in quosdam, Romani in legatos Philippi ad Annibalem, & Latini in legatos Volscorum. Tale si nihil sit & malè tractentur legati, non illud ius gentium de quo agimus, sed amicitia & dignitas, aut eius qui misit, aut eius ad quem eunt, violata censebitur. *Lib. VI. de exp. Cyri.*

VI. Cæterùm admissa legatio etiam apud hostes, tanto magis apud inimicos, præsidium habet iuris gẽtium. *Si quis legatum hostium pulsasset, contra ius gentium id commissum esse existimatur, quia sancti habentur legati*, inquit Pomponius. Et Tacitus hoc ius de quo agimus vocat, *hostium ius & sacra legationis & fas gentium*. Cicero prima Verrina *Nonne legati inter hostes inviolumes esse debent?* Seneca de ira: *Violauit legationes rupto gentium iure*. Meritò sane: nam & in bello plurima incidunt negotia quæ nisi per legatos transigi non possunt, & ipsa pax vix est vt aliter coeat. *L. vlt. D. de legatis.* *Ann. 1.* *Lib. III. c. 3.*

VII. Solet & illud quæri, an iure talionis interfici, aut malè tractari legatus possit ab eo veniens qui tale quid patrauerit. Et quidem vltionis talis exempla sunt in historiis satis multa. sed nimirum historiæ non tantùm quæ iuste, sed & quæ inique, iracundè, impotenter facta sunt memorant. Ius gentium non tantùm mittentis cauet dignitati, sed & eius qui mittitur securitati. quare cum hoc quoque tacite contrahitur. Huic ergo fit iniuria, etiam si ei qui misit nulla fiat. Non igitur magnanime tantùm, sed & ex iure gentium Scipio, qui postquam legati Romanorum à Carthaginiẽsibus male essent habiti, ductis ad se Carthaginiẽsium legatis, & quid fieri deberet interrogatus, respondit nihil tale quale factum esset à Carthaginiensibus. Addit Liuius dixisse eum, nihil se facturum institutis populi Romani indignum. Valerius Maximus hãc ei tribuit vocem: *Isto te metu, Hanno, fides ciuitatis nostræ liberat.* *App. de bello Pun.*

VIII. Comites quoque & vasa legatorum sui generis sanctimoniam habent. vnde in antiquo fecialium carmine erat: *Rex, faciſne me tu regium nuntium populi Romani Quiritium? vasa comitesq; meos?* Et lege Iulia de vi publica teneri pronuntiantur non modò qui legatos, sed & qui comites eorum iniuria affecerunt. Sed hæc sancta sunt accessoriè, & proinde quatenus legato videtur. Itaque si quid comites grauiùs deliquerint, postulari à legato poterit vt eos dedat. Vi enim abstrahendi non sunt: quod cùm factum esset ab Achæis in Lacedæmonios quosdam qui cum legatis Romanis erant, vociferati sunt Romani ius gentium læsi. quò referri etiam potest Sallustij iudicium de Bomilcare quo suprà vsi sumus. Quòd si dedere eos nolit legatus, eadē scilicet facienda erunt quæ modo de legato diximus. Ipse autem legatus an iurisdictionem habeat in familiam suam, & an ius asyli in domo sua pro quibusuis eo confugientibus, ex concessione pendet eius apud quē agit. Istud enim iuris gentium non est.

L. lege Iulia. D. ad l. Iul. de vi publ.

Pauſ. lib. VII.

IX. Bona quoque legati mobilia, & quæ proinde habentur personæ accessio, pignoris causa, aut ad solutionem debiti capi non posse, nec per iudiciorum ordinem, nec, quod quidam volunt, manu regia verius est. nam omnis coactio abesse à legato debet, tam quæ res ei necessarias quàm quæ personam tangit, quo plena ei sit securitas. Si quid ergo debiti contraxit, & vt fit res soli eo loco nullas possideat, ipse compellandus erit amicè, & si detrectet is qui misit, ita vt ad postremum vsurpentur ea quæ aduersus debitores extra territorium positos vsurpari solent.

X. Nec metuendum est quod quidam putant, ne si id iuris sit nemo inueniatur qui cum legato cōtrahere velit. Nam & regibus qui cogi nequeunt non desunt creditores, & apud quosdam populos moris fuisse docet

docet Nicolaus Damascenus, vt de contractibus qui in creditum iissent ius nullum redderetur, non magis scilicet quàm aduersus ingratos: ita vt cogerentur homines, aut pariter implere contractum, aut contenti esse nuda fide debitoris. Et optat hunc rerum statum Seneca: *Vtinam quidem persuadere possemus, vt pecunias creditas tantùm à volentibus acciperent: vtinam nulla stipulatio emtorem venditori obliga et: nec pacta conuentaq; impressis signis custodirentur. Fides potiùs illa seruaret, & æquum colens animus.* Persis quoque Appianus ait displicuisse τὸ κιχρᾶσθαι ὡς ἀπάτηλόν τε καὶ φιλοψευδές, *pecuniam creditam sumere, vt quæ res fraudibus & mendaciis esset obnoxia.* A Charonda quoque constitutum fuit ne quis actionem haberet qui de pretio habuisset fidem; quod & Platoni placuit. Notatum & Aristoteli: παρ' ἐνίοις δὲ τούτων οὐκ εἰσὶ δίκαι, ἀλλ' οἴονται δεῖν στέργειν κατὰ πίστιν συναλλάξαντας, *apud quosdam de his rebus iudicia non sunt. existimant enim homines contentos esse debere fide quam sunt secuti.* Et alibi: ἐνιαχοῦ τ' εἰσὶν νόμοι, τῶν ἑκουσίων συμβολαίων δίκας μὴ εἶναι ὡς δέον ᾧ ἐπίστευσε διαλυθῆναι πρὸς τοῦτον καθάπερ ἐκοινώνησεν. *Est vbi leges de credito ius reddi vetant, quasi priuatim tantùm cum eo agendum sit cum quo quis contraxit, & cuius fidem secutus est.* Quæ contra hanc sententiam adferuntur ex iure Romano, non ad nostros legatos, sed ad prouinciales aut municipales pertinent.

Ciuil. 1.

Stob. de legibus.

Mor. Nic. VIII. 15.

Mor. IX. 1.

XI. Bellorum quæ ob malè habitos legatos suscepta sunt, plenæ sunt profanæ historiæ. Exstat & in sacris libris memoria belli quod eo nomine Dauid gessit aduersus Ammonitas. Nec aliam causam iustiorem existimat Cicero aduersus Mithridatem.

II. Sam. X.

CAP.

CAP. XIX.

De iure sepulturæ.

I. *Ex eodem iure gentium nasci ius humandi mortuos.*
II. *Vnde ortum?*
III. *Deberi & hostibus:*
IV. *An & insigniter facinorosis?*
V. *An & his qui se interfecerint?*
VI. *Quæ alia ex iure gentium debeantur.*

I. EX iure gentium quod ex voluntate ortum habet, debetur & corporum mortuorum sepultura. Dion Chrysostomus inter mores, siue ἔθη quæ τοῖς ἐγγράφοις, id est scripto iuri opponit, post legatorum iura commemorat μὴ κωλύειν τοὺς νεκροὺς θάπτειν, *non prohibere quominus sepeliantur mortui.* Et Seneca pater inter iura non scripta, sed omnibus scriptis certiora ponit humum porrigere cadaueri. Naturæ id ius appellant Hebræi Philo ac Iosephus, & φύσεως θεσμούς, Isidorus Pelusiota: vt solere sub naturæ nomine comprehendi mores communes naturali rationi consentaneos alibi diximus. Leges hominum, νόμους βροτῶν, dixit Euripides Supplicibus, Lucanus hominum ritus, terrarum leges & mundi fœdera Papinius, sortis humanæ commercium Tacitus, spem communem orator Lysias. Qui impedit, hominem exuere Claudiano dicitur, naturæ dedecus facere Leoni Imperatori: πῶς ὅσιον ὑβρίζειν, *fas violare* Isidoro Pelusiotæ. Et quia veteres iura hæc hominibus bene moratis communia, quò sanctiora viderentur, ad Deos referebant auctores, vt legationis, ita & hoc ius Diis ascribi passim videmus. Itaque in dicta Tragœdia Supplicib⁹ νόμου δαιμόνων, Deorum

περὶ ἔθους. *Lib. II. Contr.* *Epist. vlt. edit. 491.* *Tac. Ann. VI.* *Bello Gild.* *Nou. LIII.* *dict. loc.*

rum legem dictam inuenies, & apud Sophoclem Antigone Creonti qui Polynicem humari vetuerat, ita respondet:

Decreta quippe hæc nec supremus Iuppiter,
Nec fas Deorum Manium dictauerat,
Quæis alia iura debet humanum genus.
Nec id valere credidi iussus tuos,
Vt iura non conscripta, sed nutu Deûm
Concessa, sempiterna, mortalis satus
Violare posses. non enim nuper vigent,
Sed æuo ab omni: initia in occulto latent.
Nonne ergo forti corde, sepositio metu
Mortalis iræ, par Deis magnis fuit
Me gerere morem?

Panathenaico.

Isocrates de bello agens Theseos aduersus Creontem ita loquitur: *Quis nescit, quis non didicit, vel in Dionysiis ex tragœdiarum auctoribus, quæ Adrasto mala circa Thebas contigerint, cùm reducere volens Oedipodis filium, generum autem suum, Argiuorum plurimos perdidit, ipsosq; ductores vidit interemtos: ipse verò cum dedecore superstes cùm inducias ad humandos mortuos obtinere non potuisset, supplex Athenas venit, quam tunc ciuitatem Theseus regebat, eumque orauit ne viros tales insepultos iacere pro nihilo duceret, néve pateretur proculcari antiquum morem, & ius patrium quo omnes homines inter se vtuntur, non quasi ab humana natura condito, sed tanquam imperato à diuina potentia: quæ cùm ille audiisset, sine mora legationem Thebas decernit.* Idē mox Thebanos reprehendit quòd ciuitatis suæ decreta legibus diuinis antehabuissent: eiusdemque historiæ, & alibi meminit, Panegyrico, Helenæ Encomio, Plataica oratione: & Lysias eâ quæ est in honorem sepultorum. Et passim apud laudatos auctores videmus egregia virtutum nomina huic officio tribui. Nam humanitatem vocant Cicero & Lactantius, humanitatem ac mansuetudinem Valerius Maximus,

Cicero Orat. pro Quintio. Lact. lib. VI. Inst. c. 11. & 22.

Val. Max. lib V. cap. 1. Quint. lib. XII. c. vlt. inst. orat. Senec. de Benef. lib. V. c. 20. Vlpia. l. At si quis. §. interdum. D. de fun. act. Modestinus l. quidam in suo. De cond. inst. Capitol. in M. Ant. Philos. Opt. lib. VI. Spart. vita Caracallæ. Gen. L. 2. Tac. Hist. V.

Maximus, misericordiam & religionem Quintilianus, misericordiam & humanitatem Seneca, misericordiam & pietatem Vlpianus, Modestinus memoriam humanæ conditionis: clementiam Capitolinus: δίκαιον, siue iustitiam Euripides & Lactantius. Contrà Donatistas qui Catholicorum corpora sepeliri vetabant impietatis accusat Optatus Mileuitanus. Apud Papinium:

—— bello cogendus & armis
In mores hominemq; Creon.

Spartianus tales ait esse sine humanitatis reuerentia.

II. Quæ primùm causa moris huius introducendi fuerit, vt corpora humo tegerentur, siue condita prius, vt apud Ægyptios, siue cremata, vt apud Græcos plerosque, siue ita vti sunt, de eo non idem omnibus videtur. Nam Moschion existimat occasionem datam ex gigantea feritate mandendi homines, cuius abolitæ signum sepulturam: ita enim ait:

Tunc morte raptos imperatum legibus
Mandare terræ, pulueremve inspargere
Necdum sepultis, ne darentur conspici
Abominanda signa pastus pristini.

Aliis videntur hoc modo homines velut sponte soluisse debitum quod alioqui vel ab inuitis repetit natura. Nam hominis corpus ex terra ortum terræ deberi, non Deus tantùm Adamo edixit, sed & Græci Latiniq; passim agnoscunt. Cicero ex Euripidis Hypsipyle:

Reddenda terræ terra.

Eccles. c. 12. 7. Et quod apud Solomonem legimus puluerem quidem ad terram redire, quale fuerat, spiritum autem ad Deum qui dederat, Euripides hoc ipsum argumentum

tum ex persona Thesei in Supplicibus tractans sic ait:

Iam sinite terræ mortuos gremio tegi:
Res vnde quæque sumserat primordium
Eò recipitur: spiritus cœlo redit
Corpusque terræ: iure nec enim mancupi,
Sed breuis ad æui tempus vtendum datur:
Mox terra repetit ipsa quod nutriuerat.

Lucretius similiter de terra:

Omniparens eadem rerum est commune sepulchrum:

Plinius quoque scripsit terram nos pascentes excipere, natos alere, semelque editos sustinere semper, nouissime complexam gremio iam à reliqua natura abdicatos, vt matrem operire. Sunt qui resurrectionis spem à primis humani generis parentibus hoc veluti monumento posteris consignatam putant. Nam & ob reuiuiscendi promissum adseruanda corpora docuisse Democritum, Plinius testis est libro septimo, capite quinquagesimo quinto. Christiani autem sæpe morem honeste condendi corpora ad hanc spem referunt. Prudentius:

Quid nam sibi saxa cauata,
Quid pulchra volunt monumenta,
Nisi quod res creditur illis
Non mortua, sed data somno?

Simplicius est, cum homo cæteris animantibus præstet, indignum visum si eius corpore alia animantia pascerentur: quare inuentam sepulturam vt id quantum posset caueretur. Miseratione hominum custodiri corpora ab incursu auium ferarumque dixit Quin- Dec. VI.
tilianus. Et apud Virgilium legimus:

——*non te optima mater*

Condet

Condet humo, patriove onerabit membra sepulchro:
Alitibus linquere feris.

Et Deus inuisis sibi regibus minatur apud Prophetas futurum, vt asini sepulturam habeant, vt canes eorum sanguinem lingant. Nec aliud in sepultura considerat Ambrosius, cuius hæc verba sunt: *Nihil hoc officio præstãtius ei conferre, qui iam tibi non potest reddere: vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ.* Sed etsi tales abessent iniuriæ, proteri tamen ac lancinari corpus humanum, alienum meritò videtur ab istius naturæ dignitate. Vnde non abit illud in Sopatri Controuersiis: ὅτι τὸ θάπτειν καλὸν, καὶ ὅτι τοιοῦτον ἡ φύσις ἐξεῦρε τοῖς σώμασιν ἵνα μὴ διαλυόμενα μετὰ θάνατον γυμνὰ καθάπερ αἰσχύνηται· τοῦτο τὸ φύσει καλὸν, τοῦτο φιλάνθρωπον· τοῦτο τοῖς ὅλοις δοκεῖ, εἴτε θεοὶ εἴτε τινὲς ἥρωες ταύτην μετὰ θάνατον τοῖς ἀνθρώποις τὴν τιμὴν κατεστήσαντο. ἐπεὶ δὲ καὶ οὐκ εὔλογον τὰ τῆς φύσεως ἀπόρρητα μετὰ τὴν τελευτὴν ἅπασι δείκνυσθαι, γῇ κρύπτειν τὸν ἄνθρωπον νενομίκαμεν ἄνωθεν, ἵνα τῷ καλύπτεσθαι μνήματι ἐλάνθανε τὸ σῶμα διαλυόμενον. *Honestũ esse humare mortuos, & ab ipsa natura quasi concessum corporibus, ne velut probro afficiantur post mortem si nuda diffluant. placere id omnibus, siue Dii fuerint, siue semidei qui hunc functis vita corporibus honorem indulserunt. Quia enim à ratione alienum est naturæ humanæ arcana post mortem omnibus conspicua exponi, morem inde ab antiquo accepimus humana corpora sepeliendi, vt monumento condita clam & procul à conspectu tabescant.* Hinc est quòd officium sepeliẽdi, non tam homini, id est personæ, quàm humanitati, id est naturæ humanæ præstari dicitur: vnde publicam hanc humanitatem dixerunt Seneca & Quintilianus, tralatitiam Petronius. Cui consequens est, vt nec inimicis nec hostibus inuideri sepultura debeat. De inimicis egregia est apud Sophoclem dissertatio Vlyssis pro humando Aiace, vbi hoc est inter cætera:

De Tobia.

De Benef. lib. V. cap. 20
Quintil. Decl. VI.

Menelaë, post tot dicta sapienter, caue

Iniuria-

Iniuriosus sis in hominem mortuum.

Rationem reddit Euripides Antigone:

Mors iurgiorum finis est mortalibus:
Nam maius aliud quid potest letho dari?

Idem Supplicibus:

Fecere vobis si quid Argiui malè,
Cecidere: in hostes ista vindicta est satis.

Et Virgilius:

Nullum cum victis certamen & æthere cassis.

Quam sententiam citans scriptor ad Herennium addit: *Nam quod malorum est extremum, accidit illis iam.* Papinius:

—— *bellauimus: esto:*
Sed cecidere odia, & tristes mors obruit iras.

Et eandem reddit Optatus Mileuitanus. *Si inter viuentes fuerat certamen, odia vestra vel mors aliena compescat. iam tacet cum quo ante litigabas.*

III. Quare & hostibus publicis deberi sepulturam omnes sentiunt. Belli hoc ius κοινὸν ἐν τοῖς πολέμοις, vocat Appianus, belli commercia Philo. Tacitus: *Ne hostes quidem sepulturam inuident.* Dio Chrysostomus seruari hoc ius ait etiam ἐν τοῖς πολεμίοις, apud hostes: addit κἂν εἰς ἐσχάτην ἔχθραν προέλθωσι: *etiamsi ad summum odia processerint.* De eadem re agens Lucanus hominum ritus in hoste seruandos dixit. Sopater idem qui suprà: τίς πόλεμος ταύτης τῆς τιμῆς τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος ἐστέρησε; τίς ἔχθρα μνησικακήσασα πρὸς τὰ πλημμελήματα παραβῆναι τὸν θεσμὸν τοῦτον ἠνέσχετο; *Quod bellum hoc vltimo honore humanum priuauit genus? quæ inimicitia eousque extendit malefactorum memoriam, vt hanc legem violare auderet?* Et passim extant exempla. Sic Hercules suos hostes, Hannibal C. Flaminium, Tiberium Gracchum, Marcellum Romanos quæsiuit ad sepulturam. *Credas,* inquit Silius Italicus, *Sidonium cecidisse ducem.* Idem Hannoni à Romanis prę-

Ælian. lib. XII. var. hist.

stitum, Mithridatià Pompeio, Archelao regi ab Antonio. In Græcorum aduersus Persas militantium iuramento erat: *Socios omnes sepeliam: bello victor etiam barbaros.*

Ambr. II. off. c. 28. Christiani vero tanti fecerunt sepulturam, vt eius causa sicut ad pauperes alendos, aut ad captiuos redimendos vasa Eclesiæ etiã initiata conflari, aut vendi licite existimauerint. Sunt quidem & exempla in contrarium, sed communi iudicio damnata.

Hunc oro defende furorem,

est apud Virgilium:

——hominemque cruentus
Exuit, & tenuem cassis inuidit arenam:

apud Claudianum.

IV. De insigniter tamen facinorosis, video esse dubitandi causas. Lex diuina Hebræis data vt omnis virtutis ita & humanitatis magistra, illos ipsos qui suspensi patibulo erant (quæ mors supra alias ignominiosa censebatur, Num. xxv. 4. Deut. xxi. 23. II. Sam. xxi. 26.) eodem die sepeliri iubet. Hinc Iosephus tantam Iudæis ait esse curam sepulturæ vt eos etiam qui ad patibulum damnati sunt ante solis occasum tollant, & humo mandent. Sed & apud Romanos Vlpianus corpora eorum qui capitis damnantur cognatis ait neganda non esse: imo & quibuslibet petentibus danda censuit Paulus Iurisconsultus. Et Diocletianus ac Maximinianus Imperatores ita responderunt: *obnoxios criminum digno supplicio affectos sepulturæ tradi non vetamus.* Legimus quidem in historiis exempla eorum qui insepulti abiecti sunt, frequentiora ciuilibus quam externis bellis: & hodie videmus quorundam damnatorum corpora diu in publico conspectu relinqui: qui tamen mos an laudandus sit disputant, non politici tantum, sed & Theologi. Contra laudatos videmus qui sepeliri iusserunt corpora eorum qui id

L. I. de cad. punit.

L. III. ii.

L. II. C. de relig.

Rochus de consuetud. fol. 12. Abb. in c. ex parte. de sepult.

id ipsum aliis non permiserant, vt Pausaniam. Apud Papinium Theseus Creontem sic alloquitur: *Sylu. in verb. Sepultura. quæst. 10.*

——Vade ætra daturus
Supplicia, extremique tamen secure sepulchri.

Quod si Deus interdum sepulturæ iactura quosdam puniit, fecit hoc suo iure supra leges constitutus. Et ꝙ Goliathi caput Dauid seruauit ostentui, factũ scilicet in alienigenam Dei contemtorem, & sub ea lege quæ proximi nomen ad solos Hebræos porrigebat.

V. Vnum tamen notatu non indignum, de sepeliendis mortuis regulam apud ipsos Hebræos habuisse exceptionem eorum qui ipsi sibi mortem conscíuerant; quod Iosephus nos docet. Nec id mirum, cum in hos aliud supplicium constitui non possit qui mortem pro supplicio non habent. Sic Milesiæ virgines à voluntaria morte absterritæ, & plebs olim Romana quanquam improbante Plinio. Sic & Cleomenis corpus qui se interfecerat Ptolemæus suspendi iussit. Et passim receptum, ait Aristoteles, vt ignominia aliqua afficiantur qui sibi mortem conscíuerunt: vbi Græcus interpres id exponens ait, sepultura eorum corpora prohiberi. Neque huic mori obstat quod Homerus, Æschulus, Sophocles, Moschio, & alii monent, nihil sentire mortuos: quare nec damno nec pudore affici. Satis enim est id quod mortuis accidit à viuis metui, vt hoc pacto à peccato retrahantur. Optime enim Platonici contra Gymnosophistas & Stoicos, qui seruitutis & morbi fugam, imo & spem gloriæ pro iusta causa mortis voluntariæ admittebant, sentiunt retinendum animum in custodia corporis, nec iniussu eius à quo ille nobis est datus ex hac vita demigrandum. quam in rem multa videre est apud Plotinum, Olympiodorum & Macrobium ad somnium

Lib. III. de bello Iud. c. 25. Hegesi. lib. III. c. 17. Gell. lib. XV. c. 10. Plin. lib. XXXVI. c. 15. Nic. V. 15.

Vide Stob. tit. 126. & Soph. Aiac.

Scipionis. Ideo Hebræi mori vocabant ἀπολύεσθαι, id est dimitti, vt videre est non tantùm Luc. 11. 29. sed & in Græca versione, Gen. x v. 2. & Num. x x. in fine. Nonnulli tamen Hebræorum de lege se non interficiendi vnam causam excipiunt, si quis videat se deinceps victurum in probrum ipsius Dei. Nam quia non nobis, sed Deo in vitam nostram ius esse statuunt, (vt rectè Iosephus suos edocet) existimant præsumtam Dei voluntatem solam esse quæ mortis capessendæ consilium absoluat. Atque huc referunt Sampsonis exemplum qui in suo corpore veram religionem videbat esse derisui, & Saulis qui gladio incubuit ne à Dei suisque hostibus illuderetur. nam hunc resipuisse volunt postquam Samuelis vmbra mortem ipsi prædixerat, quam gnarus sibi imminere si pugnaret, prælium pro patria & Dei lege non detrectauit, æternam inde laudem meritus Dauidis etiam præconio: à quo & ij qui Saulem cum honore sepelierant rectè facti testimonium retulerunt. Tertium est exemplum Razis Hierosolymitani senatoris in historia Maccabaica. Sed & in Christiana historia exempla legimus similia eorum qui mortem sibi intulerunt ne tormentis adacti Christi religionem eiurarent, & virginum quæ ne pudicitiam amitterent in flumen se iecerunt, quas & in martyrum censum Ecclesia retulit. Sed de his tamen quid Augustinus sentiat videre est operæpretium. Sed vt ad institutum me recipiam, ob negatam sepulturam bellum iustè suscipi censuerunt veteres consensu magno, vt ex illa Thesei historia apparet quam tractant Euripides dicta tragœdia Supplicibus, & Isocrates eo quem adduximus loco.

I. Sam. XXXI. 4.

II. Macc. XIV. 37.

Lib. 1. de ciuit. Dei. c. 29. Epist. 61. ad Dulc. & lib. II. c. 23. contra secundam Gaud. epist.

VI. Sunt & alia quædam quæ ex iure gentium voluntario debẽtur, vt longo tempore possessa, successiones

nes ab inteſtato, & quæ ex contractu quantumuis inæquali veniunt. Nam hæc omnia quanquam ex iure naturæ ortum aliquatenus habent, accipiunt tamen ex humana lege firmitatem quandam, ſiue aduerſus coniecturæ incerta, ſiue aduerſus exceptiones quaſdam quas alioqui ratio naturalis videtur ſuggerere: vt ſuprà obiter à nobis de iure naturæ agentibus oſtenſum eſt.

CAPVT XX.

De Pœnis.

I. *Pœnæ definitio & origo.*

II. *Spectare pœnam ad iuſtitiam expletricem, & quomodo.*

III. *Pœnã certæ perſonæ naturaliter non deberi, ſed exigi pœnã licite quoad ius naturæ ab eo qui paria non deliquerit.*

IV. *Pœnam vtilitatis alicuius cauſa exigendam inter homines, aliter quam apud Deum: & quare.*

V. *Quo ſenſu vltio naturaliter ſit illicita.*

VI. *Vtilitas pœnæ triplex.*

VII. *Oſtenditur ad vtilitatem eius qui deliquit pœnam à quolibet exigi naturaliter, cum diſtinctione tamen:*

VIII. *Item ad vtilitatem eius in quem peccatum eſt, vbi de vltione licita iure Gentium:*

IX. *Item ad vtilitatem quorumlibet.*

X. *Quid lex Euangelica circa hanc materiam conſtituerit.*

XI. *Soluitur argumentum ſumtum à Dei miſericordia in Euangelio patefacta.*

XII. *Et à præciſione pœnitentiæ.*

XIII. *Reiiciuntur imperfectæ diuiſiones pœnarum.*

XIV. *Chriſtianis priuatis non eſſe tutum pœnam exigere etiam vbi iure Gentium id licet.*

XV. Aut sponte ad accusationem prosilire:

XVI. Aut iudicia capitalia affectare.

XVII. Leges humanæ quæ interfectionem ad pœnam permittunt an iubeant, an impunitatem solam distinctione explicatur.

XVIII. Actus internos non esse punibiles inter homines:

XIX. Nec actus externos quos fragilitas humana nequit vitare.

XX. Nec actus quibus societas humana nec directe nec indirecte læditur: cuius rei causa redditur.

XXI. Reijcitur sententia statuens ignoscere nunquam licere:

XXII. Ostenditur id licere ante legem pœnalem:

XXIII. Non tamen semper:

XXIV. Etiam post legem pœnalem:

XXV. Quæ ad id faciendum probabiles causæ intrinsecæ:

XXVI. Quæ extrinsecæ.

XXVII. Refellitur sententia statuens nullam esse iustam causam dispensandi nisi quæ per modum exceptionis tacita insit legi.

XXVIII. Pœnæ taxatio ex merito:

XXIX. Spectari hic causas impellentes, quæ inter se cõparantur.

XXX. Item causas quæ à peccando abstrahere debuerant: vbi de gradibus præceptorum Decalogi quæ proximum tangunt & alia quædam:

XXXI. Item aptitudinem peccantis ad vtrumque quæ variè spectatur.

XXXII. Meritum pœnæ extendi posse ad maius nocumentum quam quod peccans intulit: & quare.

XXXIII. Reijcitur sententia de proportione harmonica in pœnis.

XXXIV. Minui pœnam ex caritate nisi maior caritas obstet.

XXXV. Facilitas peccandi quomodo ad pœnam incitet.

XXXVI. Consuetudo peccandi quomodo ad pœnam incitet aut ab ea retrahat.

XXXVII. Ad superiores locos referuntur quæ Hebræi & Romani in pœnis spectari volunt.

XXXVIII. De

XXXVIII. De bello ad pœnam.

XXXIX. An iustum sit bellum ob delicta inchoata, distinctione explicatur.

XL. An reges & populi bellum recte inferant ob ea quæ cõtra ius naturæ fiunt, non tamen aduersus ipsos ipsorumue subditos, explicatur, reiecta sentẽtia statuente naturaliter ad pœnam exigendam requiri iurisdictionem.

XLI. Discernendũ ius naturæ à moribus ciuilibus late receptis:

XLII. Et à iure diuino voluntario non omnibus cognito.

XLIII. In iure naturæ discernenda manifesta à non manifestis.

XLIV. An ob delicta in Deum, bellum suscipi possit.

XLV. Notitiæ de Deo maxime communes quæ & quomodo primis Decalogi præceptis indicentur.

XLVI. Qui has primi violant puniri posse.

XLVII. Non item alios, quod ostenditur argumento legis Hebrææ.

XLVIII. Bella iustè non inferri iis qui Christianam religionem amplecti nolunt:

XLIX. Iustè inferri iis qui Christianos ob solam religionem crudeliter tractant:

L. Non etiam his qui circa legis diuinæ interpretationem hallucinantur: quod auctoritatibus & exemplis illustratur:

LI. At illis iuste qui in Deos quos putant impij sunt.

I. SVPRA cum de causis ex quibus bella suscipiuntur agere cœpimus, facta diximus duplici modo considerari aut vt reparari possiunt aut vt puniri. Priorem partem iam absoluimus. Superest posterior quæ est de pœnis: quæ res eo diligentius tractãda est nobis, quod origo eius & natura minus intellecta multis erationibus causam dedit. Est autem pœna generali significatu *malum passionis quod infligitur ob malum actionis.* Nam quanquam pro pœna quibusdam iniungi opera quædã solent, ea tamẽ opera spectantur tantũ qua mo-

lesta sunt, atque ideo ad passiones sunt referenda: Quę vero incommoda patiuntur aliqui ob morbum contagiosum, aut corpus mutilum, aut alias impuritates, quales multæ extant in lege Hebræa, puta arceri cœtibus aut functionibus, propriè pœnæ non sunt. quanquam ob similitudinem quandam & per abusionem eo vocabulo appellantur. Inter ea vero quæ natura ipsa dictat licita esse & nō iniqua, est & hoc vt qui male fecit malum ferat, quod antiquissimum & Rhadamātheum ius vocāt Philosophi, vt alibi diximus. Spectat eodem dictum Plutarchi libro de Exilio: τῷ θεῷ ἕπεται δίκη τῶν ἀπολιπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρὸς ᾗ χρώμεθα πάντες ἄνθρωποι φύσει πρὸς πάντας ἀνθρώπους, ὥσπερ πολίτας: *Iustitia Deū comitatur, vltrix in eos qui aduersus legem diuinam delinquunt: qua omnes homines natura vtimur aduersus omnes homines vt ciues.* Plato dixit: ἐκεῖνο οὐδεὶς οὔτε θεῶν οὔτ' ἀνθρώπων τολμᾷ λέγειν ὡς οὐ τῷ γε ἀδικοῦντι δοτέον δίκην; *nec deorum, nec hominum quisquam hoc dixerit, iniuste agenti non luendam pœnam.* Et Hierax iustitiam ex parte hac tanquam nobilissima definiebat τιμωρίας ἀπαίτησιν παρὰ τῶν προηδικηκότων; *pœnæ exactionem ab iis qui priores læsere*; & Hierocles, ἰατρικὴν πονηρίας, *malitiæ medicatricem.* Quod verò diximus pœnæ quæ propriè ita nominatur omnino hoc inesse vt delicto reddatur, notatum & Augustino est, qui dixit: *omnis pœna, si iusta est, peccati pœna est*; quod ad pœnas etiam quæ à Deo irrogantur pertinet, quanquam in illis interdum ob humanam ignorantiam, vt idem scriptor loquitur, *latet culpa vbi non latet pœna.*

1. Relect. c. 9.

II. Sed an ad assignatricem, an verò ad expletricem iustitiam pœna pertineat diuersi diuersum sentiunt. Quidam enim quia qui plus peccauit grauiùs, qui minus leuius puniuntur, & quia pœna quasi à toto parti datur, ideo ad assignatricem iustitiam pœnas referunt. Sed quod primum illi ponunt, assignatricem iustitiam

toties

toties locum habere quoties inter terminos plures duobus instituitur æqualitas, verum non esse in principio operis huius ostendimus: deinde quod magis nocentes grauius, minus nocentes leuius puniuntur, id per consequentiam duntaxat euenit, non quod hoc primo ac per se spectetur. Nam primo ac per se spectatur æqualitas inter culpam & pœnã: de qua Horatius:

—— Cur non
Ponderibus modulisque suis ratio vtitur, ac res
Vt quæque est ita suppliciis delicta coercet?

Et alibi:

—— Adsit
Regula peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Nec scutica dignum horribili sectere flagello.

Eodem spectat lex diuina Deut. xxv. & nouella Leonis. Sed nec alterum quod illi ponunt magis verum est pœnas omnes venire ex toto ad partem, quod ex his quæ dicenda sunt apparebit. Tum vero ostensum à nobis supra est veram iustitiæ assignatricis rationem, nec in tali æqualitate, nec in processu à toto ad partem proprie consistere, sed in habenda ratione eius aptitudinis quæ ius stricte dictum in se non contineat, sed occasionem ei det. Quanquam vero is qui punitur aptus aut dignus esse debet puniri, non eo tamẽ id spectat vt ipsi accedat aliquid, quod assignatrix iustitia postulat. Nec tamen qui expletricem iustitiam quam vulgo commutatricem vocant in pœnis exerceri volunt, magis se explicant. Ita enim negotium hoc considerant, quasi nocenti aliquid reddatur, sicut in contractibus fieri solet. Decepit eos vulgaris locutio, qua dicimus pœnam deberi ei qui deliquit, quod plane est ἄκυρον; Nam cui proprie debetur aliquid is in alterum ius habet. Sed cum deberi alicui pœnam dicimus nihil volumus aliud quam æquum esse vt puniatur. Verum c. v.

tamen est in pœnis primo ac per se exerceri expletricem iustitiam, quia scilicet qui punit, vt rectè puniat, ius habere debet ad puniendum, quod ius ex delicto nocentis nascitur: Atque hac in re est aliquid quod ad contractuum naturam accedit: quia sicut qui vendit, etiamsi nihil peculiariter dicat, obligasse se censetur ad ea omnia quę venditionis sunt naturalia, ita qui delinquit sua voluntate se videtur obligasse pœnæ, quia crimen graue non potest non esse punibile, ita vt qui directè vult peccare, per consequentiam & pœnam mereri voluerit: quo sensu Imperatores cuidam aiunt, *ipse te huic pœnæ subdidisti*, & qui sceleratum capiunt consilium suo merito puniti, id est sua voluntate pœnæ meritum contraxisse dicuntur. Michaël Ephesius ad quintum Nicomachiorum Aristotelis: γέγονε τρόπον τινα δόσις καὶ λῆψις ὅ ἐστι τὸ συναλλάσσειν. λαβὼν γὰρ χρήματα ἢ ἄλλο ὁ κλέψας δέδωκεν ἀντ' ἐκείνων εὐθύνας. *Est hic quodammodo datio & acceptio, in quibus consistit natura contractuum: nam qui res aut aliud quid furatus est, pro eo dat pœnas.* Idem posterius: Συναλλάγματα οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν οὐ μόνον ἃ ἕκοντες συνετίθεντο πρὸς ἀλλήλους ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ τὰ ὑπὸ τῶν νόμων διηγορευμένα. *Contractus à veteribus appellabantur non tantũ quæ mutuis conuentionibus constant, sed & quæ legibus sunt vetita.*

L. Imperatores. D. de iure fisci. l. vlt. C. ad l. Iul. Maiest.

III. Sed huius iuris subiectum id est cui ius debetur, per naturam ipsam determinatum nõ est. dictat enim ratio maleficum posse puniri, non autem quis punire debeat: nisi ꝙ satis indicat natura conuenientissimum esse vt id fiat ab eo qui superior est: nõ tamen vt omnino hoc demonstret esse necessarium, nisi vox superioris eo sumatur sensu, vt is qui male egit, eo ipso se quouis alio inferiorem censeatur fecisse, & quasi ex hominum censu detrusisse in censum bestiarum q̃ homini subiacẽt, quod à Theologis quibusdam est proditum. Democritus: φύσει τὸ ἄρχειν οἰκήϊον τῷ κρέσσονι; *natura euenit*

Tho. 2. 2. q. 64. art. 1 & ibi Caiet.

vt

vt melior sequiori imperet. Cui consequens est vt saltem ab æque nocente æque nocẽs puniri non debeat: quo Christi sententia pertinet: *Qui vestrum sine peccato est* (tali scilicet) *primum lapidem mittat*, Ioh. VIII. 7. Quod ideo dixit, quia eo sæculo corruptissimi erant Iudæorũ mores, adeo vt qui sanctissimi videri volebant in adulteriis & similibus flagitiis volutarẽtur, vt videre est Roman. II. 22. Idem ergo quod Christus dixerat, dixit & Apostolus: *Quapropter inexcusabilis es, ô homo, quisquis alium damnas: nam hoc ipso quod damnas alterum te ipsum cõdemnas: quando eadem facis tu qui alterum damnas.* Illud Senecę huc pertinet: *non potest vllam auctoritatem habere sententia vbi qui damnandus est damnat.* Et alibi: *Faciet nos moderatiores respectus nostri, si consuluerimus nos: numquid & ipsi aliquid tale commisimus?* Ambrosius Apologia Dauidis: *Vnusquisq; de alio iudicaturus de se ipse primum iudicet, nec minora in alio errata condemnet cum ipse grauiora commiserit.*

IV. Altera quæstio est de fine pœnis proposito. Nã quæ diximus hactenus id duntaxat ostendunt nocentibus iniuriam non fieri si puniantur. Inde verò non sequitur omnino puniendos. Neq; id verum est: multis enim nocentibus multa & Deus & homines condonant, eoq; nomine laudari solent. Celebre est Platonis dictum: οὐ γὰρ ἐπὶ κακῷ δίκη γίνεται οὐδεμία. & alibi: οὐχ ἕνεκα τοῦ κακουργῆσαι δίδοται δίκη, (οὐ γὰρ τὸ γεγονὸς ἀγενητὸν ἔσται ποτὲ) τοῦδε εἰς τὸν αὖθις ἕνεκα χρόνον. Quod ita vertit Seneca: *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Reuocari enim præterita non possunt: futura prohibentur.* Idem alibi: *Ne homini quidem nocebimus quia peccauit, sed ne peccet, nec vnquã ad præteritum, sed ad futurum pœna referetur: non enim irascitur, sed cauet.* Sed hæc in hominibus punientibus vera sunt: nam homo beatitudinẽ suam intra se non habens nihil recte facit nisi boni alicuius consequendi causa. In Deo alia res est, ad quem Plato dictas sententias male

De leg. LIX. 2. XI.

1. De Clem. c. 16.

Gorgia.

male extendit. Dei enim actiones rectæ esse possunt etiamsi finem nullum sibi proponant extra ipsas, & ita Hebræi quidam explicant illud Solomonis quod ad hanc materiam pertinet. כל פעל יהוה למענהו ואת שרע ליום רעה. Vt sensus sit, *res singulas Deus fecit propter ipsas, etiam impium ad diem malum.* Id est etiam tum cum impium punit, nō alio fine hoc facit quam vt puniat. Quanquam etiamsi receptiorem sequamur interpretationem eodem res recidet: vt dicatur Deus fecisse omnia propter se, id est iure summæ libertatis, & perfectionis nihil extra se quęrens aut respiciens: sicut Deus dicitur ἀπάτωρ, quia nō est natus ex aliquo. Certè pœnas quorūdam valde perditorum à Deo non ob aliud exigi sacra verba testātur, cum dicunt eum voluptatem capere ex ipsorum malo, subsannari atque irrideri impios à Deo. Tum verò & extremum iudicium post quod nulla expectatur emendatio, imo & in hac vita pœnæ quædam inconspicuæ vt obduratio, verum esse quod contra Platonem dicimus euincunt. At homo cum hominē punit aliquid sibi debet habere propositum ne quid inaniter faciat: Et hoc est quod aiunt scholastici non debere in malo cuiusquam acquiescere vlciscentis animum. Sed & ante ipsos Plato in Gorgia, eos qui quenquam morte puniunt, aut exsilio, aut mulcta nō hoc βούλεσθαι ἁπλῶς, simpliciter velle, sed boni alicuius causa ἕνεκα τοῦ ἀγαθοῦ: Et Seneca ad vindictam veniendum *non quasi dulce sit vindicare, sed quasi vtile.*

Moses Maimonides in directore dubitantiū. Prou. XVI. 4.

Th. 2. 2. q. 108. Silu. in verbo vindicta.

L. 2. de Ira. c. 32.

V. Quod ergo à mimo dictum est:

Læso doloris remedium inimici dolor.

congruit quidem ei naturæ quam homo cum bestiis habet communem: est enim ira vt in bestiis ita in homine ζέσις τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος ἐπὶ ὄρεξιν ἀνταλυπήσεως, vt recte definit Eustratius, *feruor sanguinis circa cor ob appetitū reponēdi doloris*, q appetitus adeo per se caret ratione, vt sępe feratur

feratur in ea quæ non læserunt, vt in fœtus feræ quæ læsit, aut in sensu carentia, vt in lapidem quo ictus est canis. At talis appetitus in se spectatus non conuenit parti rationali cuius est imperare affectibus: ac proinde nec iuri naturæ, quia id est dictatum naturæ rationalis vt talis est. dictat autem ratio homini nihil agendum nisi quod bonum aliquod habeat propositum. In solo autem inimici dolore ita nude spectato nullum est bonum nisi falsum & imaginarium: vt in diuitiis superuacuis multisque aliis rebus eiusmodi. Atque hoc sensu vltionē improbant in hominibus non Christiani modo Doctores, sed & Philosophi vt Seneca: *Inhumanum verbum est & quidem pro iusto receptum vltio, & à contumelia non differt nisi ordine Qui dolorem regerit tantum excusatius peccat.* Imo si Maximo Tyrio credimus ὁ τιμωρῶν τῷ προϋπάρξαντι ἀδικώτερος, *iniquior est qui se vlciscitur eo qui prior nocuit.* Musonius, *id ait cogitare quomodo quis remordeat mordentem & nocenti noceat feræ est non hominis.* Pugnat ergo cum natura ex ratione & ob finem agentis alieno dolore qua dolor est satiari: Atque adeo quo hominum quisque minus valet rationis vsu eo ad vindictam est pronior. Iuuenalis: L. II. de Ira. c. 31.

At vindicta bonum vita iucundius ipsa.
Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum aut leuibus videas flagrantia causis:
Quantulacumque adeo est occasio, sufficit iræ.
Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcique senex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptæ sæua inter vincla cicutæ
Accusatori nollet dare. Plurima felix
Paulatim vitia atque errores exuit omnes,
Prima docet rectum sapientia: quippe minuti
Semper & infirmi est animi exiguique voluptas
Vltio: continuo sic collige, quod vindicta

Nemo

Nemo magis gaudet quam fœmina.

Liquet ergo ab homine hominē non recte puniri tantum puniendi causa. quæ ergo vtilitates rectam faciant pœnam videamus.

VI. Pertinet autem huc pœnarum partitio quæ est apud Platonem in Gorgia & Taurum philosophum ad eum locum cuius verba Gellius recitat libro v. c. XIV. nam partitiones istæ ex fine desumptæ sunt, nisi ꝙ eum duos fines Plato posuisset emendationem & exēplum, tertium addidit Taurus τιμωρίαν, quam Clemens Alexādrinus definit, κακοῦ ἀνταπόδοσιν εἰς τὸ τῶ πεπονθότος συμφέρον ἀναφερομένην, mali retributionē quæ ad exigentis vtilitatem refertur. Aristoteles qui omissa pœna exemplari hanc solum speciem cum emēdatione ponit, adhiberi eam dicit, τῶ πεποιωκότος ἕνεκα ἵνα ἀποπληρωθῆ, exigentis causa vt ei satisfiat. Et hæc propriè est quam idem Aristoteles refert ad δικαιοσύνην συναλλακτικήν, iustitiam quam ipse commutatricem vocat. Sed subtilius ista examinanda sunt. Dicemus ergo in pœnis respici aut vtilitatem eius qui peccarit, aut eius cuius intererat nō peccatum esse, aut indistinctè quorumlibet. Ad horū trium finium primum pertinet pœna quæ philosophis modo νουθεσία, modo κόλασις, modo ἐπανόρθωσις dicitur, quæ hoc agit vt eum qui peccauit reddat meliorē medendi modo qui est per contraria. Nam quia omnis actio, præsertim vero deliberata ac frequens, quandam gignit sui procliuitatem, quæ adulta habitus dicitur, ideò vitiis quam primum fieri potest adimēda est illecebra, quod fieri rectius nequit, quam si dolore quodam subsequente saporem amittāt dulcedinis. Platonici recitante Apuleio: *grauius & acerbius est omni supplicio si noxio impunitas differatur, nec hominum interim animaduersione plectatur.*

Rhet. 1. c. 10.

VII. Punitionē quæ huic fini inseruit natura cuius

uis esse licitam, qui iudicio valeat & eiusmodi generis aut paribus vitiis non teneatur ex ea quæ verbis fit castigatione apparet.

Amicum castigare ob meritam noxiam, Plaut. Trinum.
Immune est facinus, verum in ætate vtile.

In verberibus vero & aliis quæ coactionis aliquid continent, discrimen inter personas quibus id liceat aut non liceat non est factum à natura (neque enim potuit, nisi quod ratio parentibus in liberos eius iuris vsurpationem pro affectus necessitudine peculiariter commendat) sed à legibus, quæ communem illam generis humani propinquitatem vitandarum rixarum ergo ad proximos affectus restrinxerunt, vt videre est tum alibi tum Codice Iustinianeo titulo de emendatione propinquorum. Hoc vero puniendi genus ad mortem pertingere non potest: nisi eo modo quem reductiuum vocant quo negationes reducuntur ad rerum oppositarum genera. Nam sicut Christus dixit Marc. XIV. 21. melius quibusdam futurum fuisse, id est non tam male, si nati nunquam essent, ita ingeniis insanabilibus melius est, id est minus est malum, emori quam viuere, quando certum est viuendo peiores euasuros. De ira. c. 16. 1. Ioh. V. 16. talibus Seneca loquitur, cum ait interdum vt pereant interesse pereuntium. Iamblichus: καθάπερ τῷ ὑποπόῳ βελτίον τὸ καίεσθαι τοῦ διαμένειν, οὕτω καὶ τῷ μοχθηρῷ τὸ τεθνάναι τοῦ ζῆν. *Quomodo suppurato melius est vri quam sic manere, ita improbo mori quam viuere.* Sunt qui hos ipsos esse putant quos Iohannes Apostolus ait ad mortem peccare. Sed 1. Ioh. V. 16. quia fallacia sunt eius rei argumenta, dictat caritas neminem temere habendum pro deplorato, ita vt hoc quidem sine animaduersio non nisi raro admodum locum habere possit.

VIII. Vtilitas eius cuius intererat non peccatũ esse in eo sita est ne posthac tale quid patiatur aut ab eodẽ

aut

aut ab aliis. Gellius ex Tauro hanc speciem sic describit, *cum dignitas auctoritasve eius in quem est peccatum tuenda est, ne prætermissa animaduersio contemtum eius pariat & honorem leuet.* Sed quod de auctoritate læsa dicit idem de libertate cuiusque aut alio iure læso intelligendum est. Ne qui læsus est ab eodem malum patiatur tribus modis curari potest: primum si tollatur qui deliquit, deinde si vires nocendi ei adimantur: postremo si malo suo de doceatur delinquere quod cum emendatione de quâ iam egimus coniunctum est. Ne ab aliis lædatur qui læsus est punitione non quauis, sed aperta atque conspicua quæ ad exemplum pertinet obtinetur. Ad hos ergo fines, & intra æqui terminos si dirigatur vindicatio, etiam priuata, si ius nudum naturæ, id est abductum à legibus diuinis humanisque & ab his quæ non necessario rei accidunt, respicimus, non est illicita: siue fiat ab ipso qui læsus est, siue ab alio quando hominem ab homine adiuuari naturæ est consentaneum. Atque hoc sensu admitti potest quod Cicero *De Inuent. II.* cum ius naturæ esse dixisset id quod nobis non opinio sed innata vis affert, inter eius exempla collocat vindicationem quam gratiæ opponit: ac ne quis ambigeret quantum eo nomine vellet intelligi, vindicationem definit, *per quam vim ac contumeliam defendendo aut vlciscendo propulsamus à nobis ac nostris qui nobis cari esse debent, & per quam peccata punimus.* Hoc naturali iure defendens se Samson aduersus Palæstinos insontem se testatur fore si Palæstinos qui se malo affecerant malo vicissim afficeret: Et post peractam vltionem eadem se tuetur ratione, dicens se ipsis fecisse quod ipsi sibi fecissent priores. Platæenses apud Thucydidem, ὀρθῶς ἐπιμεμφησάμεθα καὶ τὰ πᾶσι νόμον καθεστῶτα τὸν ὑπάρχοντα πολέμιον ὅσιον εἶναι ἀμύνεσθαι, *merito eos vlti sumus iure apud omnes recepto vt hostilia patrantem vlcisci liceat.* Demosthenes oratione aduersus

uersus Aristocratem communem ait esse legem inter homines vt eum qui nostra vi rapiat vlcisci nobis fas sit. Et Iugurtha apud Salustium cum dixisset Adherbalem vitæ suæ esse insidiatum, addit Populum Romanum *neque pro bono neque pro recto facturum si ab iure gentium se prohibuerit*: id est ab vltione. Maccabæos laudat Ambrosius quod etiam Sabbato vlti sunt innocentium necem fratrum suorum. Idem aduersus Iudæos incensam à Christianis basilicam grauiter querentes disputans, sic ait: *Ac certe si iure gentium agerem dicerem quantas basilicas Iudæi tempore imperij Iuliani incenderint*: vbi ius gentium vocat parpari referre. Nec aliter apud Tacitum Ciuilis. *Egregium pretium laboris cepi necem fratris & vincula mea, & sæuissimas huius exercitus voces quibus ad supplicium petitus iure gentium pœnas reposco.* Sed quia in rebus nostris & nostrorum affectu corrumpimur, ideo simul multæ familiæ in vnum locum conuenerunt, iudices constituti, & his solis data potestas vindicandi læsos, adempta cæteris quam natura indulserat libertate. Lucretius:

De Off. l. 1. c. 40.

Ep. 29.

Hist. IV.

Acrius ex irâ quod enim se quisque parabat
Vlcisci, quam nunc concessum est legibus æquis,
Hanc ob rem est homines pertæsum vi colere æquum.

Quintilianus: *iniuriæ compensatio non solum iuri inimica, sed paci: est enim lex, forum, iudex, nisi quem iure vindicari pudet.* Imperatores Honorius & Theodosius: *idcirco iudiciorum vigor iurisque publici tutela in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat vltionem.* Rex Theodoricus: *hinc est quod legum reperta est sacra reuerentia, vt nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu.* Manet tamen vetus naturalis libertas, primum in locis vbi iudicia sunt nulla, vt in mari. Quo forte referri potest, quod Caius Cæsar priuatus adhuc piratas à quibus captus fuerat classe tumultuaria persecut⁹ est, ipsorũq; naues partim fugauit,

L. Nulli. C. de Iudais.

Cass. Ep. 10. Lib. IV.

Vel. Pat. l. II. & Plut. in Cæs.

partim mersit, & cum proconsul negligeret animaduertere in captos piratas, ipse eos in mare reuersus cruci suffixit. Idem locum habebit in locis desertis, aut vbi Nomadum more viuitur. Sic apud Vmbricos narrat Nicolaus Damascenus sibi quemque fuisse vltorem: quod & apud Moschos hodie impune fit, post tempus aliquod aditi iudicis. Nec aliunde origo singularium certaminum quæ ante Christianismũ Germanicis nationibus vsitata, alicubi necdum satis desueta sunt. ideo apud Velleium Paterculum mirantur Germani, cum Romanæ iurisdictionis formam conspicerent, quod iniurias iustitia finiret, quod solita armis discerni iure terminarentur. Lex Hebræa propinquo occisi permittit, vt extra asyli loca homicidam interficiat: rectèque notant interpretes Hebræi talionem pro mortuo manu exigi posse: pro se, vt puta in vulnere, non nisi per iudicem, quia scilicet difficilior est moderatio vbi proprius dolor accedit. Sed maximè frequentia sunt huius moris exempla inter eos qui communem iudicem non habent. hinc *iusta bella definiri solent*, Augustino teste, *quæ vlciscuntur iniurias*. Et Plato bellicum certamen probat, μάχης οὗ ἂν οἱ αἴτιοι ἀναγκασθῶσιν ὑπὸ τῶν ἀναιτίων ἀλγούντων δοῦναι δίκην, *donec qui in culpa fuerint, cogantur innocentibus dolore affectis pœnas pendere.*

Ap. Stob. de Legib.

Lib. II.

Sen. 1. de Clem. 20.

Lib. VI. qu. 19. super Iob.

L. de Rep. 4.

IX. Vtilitas indistinctè quorumlibet, qui finis erat tertius, easdem habet partes quas illa quæ ad læsum pertinet. Nam aut hoc agitur, ne qui vni nocuit, aliis noceat, quod fit eum tollendo aut debilitando, siue constringendo ita vt nocere nequeat, aut emẽdando: aut ne alii impunitate illecti aliis quibusuis molesti sint, quod ex suppliciis conspicuis obtinetur quę Græci παραδείγματα, Latini exempla vocant. Huius quoq; iuris potestas naturaliter penes vnumquemque est.

Sic

Sic Plutarchus virum bonum ait à natura magistratũ designari, & quidem perpetuum: nam ipsa naturæ lege ei principatum deferri qui agat iusta. Sic sapientem nunquam esse priuatum Nasicæ exemplo probat Tullius, & Lollium non vnius anni consulem Horatius vocat: & Euripides Iphigenia in Aulide: *Præc. pol.*

Mente qui prudente pollet is magistratum gerit.

Quæ tamen in republica intelligenda sunt quatenus eius leges id ferunt. De hoc naturali iure ita loquitur Democritus: ipsius enim verba quia notabilia sunt adferam. Primum de iure bestias interficiendi sic illi videtur κατὰ δὲ ζώων φόνου καὶ μὴ φόνου ὧδε ἔχει· τὰ ἀδικέοντα καὶ θέλοντα ἀδικεῖν ἄθωος ὁ κτείνων καὶ πρὸς εὖ ἐς οὖν τοῦτο ἔρδειν μᾶλλον ἢ μή. *De occidendis aut non occidendis animantibus ita se res habet: quæ iniuriam faciunt aut facere volunt quisquis occiderit purus est, adeo quidem vt hoc fecisse quam non fecisse sit rectius.* Et mox: κτείνειν χρὴ τὰ πημαίνοντα παρὰ δίκην πάντα περὶ παντός; *ea quæ iniuste nobis nocent omnino & omnia fas occidere.* Rursus: ὅκως περὶ κινάδεων τε καὶ ἑρπετέων γεγράφαται τῶν πολεμίων, οὕτω καὶ κατ' ἀνθρώπων δοκεῖ μοι χρεὼν εἶναι σκοπεῖν. *Quæ verò de vulpibus & de inimicis serpentibus scripsimus, eadem in hominibus facienda videntur.* Tum verò subiungit: κιξάλλην καὶ λῃστὴν πάντα κτείνων τις ἄθωος ἂν εἴη καὶ αὐτοχειρίᾳ καὶ κελεύων καὶ ψήφῳ. *Furem & latronem qui quocumque modo occiderit, siue manu, siue iussu, siue suffragio innocens est.* Ad quos locos respexisse mihi videtur Seneca cum ait: *Cum ceruices noxio præcidi imperabo, eo vultu animoq; ero quo serpentes & animalia venenata percutio.* Et alibi: *Ne viperas quidem & natrices & si qua morsu aut ictu nocent effligeremus, si vt reliqua mansuefacere possemus, aut efficere ne nobis aliisque periculo essent. Ergo ne homini quidem nocebimus quia peccauit, sed ne peccet.* Sed cum & facti inquisitio sæpe magnam diligentiam & pœnæ æstimatio multum prudentiæ & æquitatis desideret, ne *Lib. II. de Ira.*

dum quiſque de nimium ſe præſumeret, aliis non cedentibus, rixæ orirentur, eo placuit hominum iuſtis communitatibus eos deligere quos optimos ac prudentiſſimos putarent, aut fore ſperarent. Idem Democritus: οὐκ ἂν ἐκώλυον οἱ νόμοι ζῆν ἕκαστον κατ' ἰδίαν ἐξουσίαν, εἰ μὴ ἕτερον ἕτερος ἐλυμαίνετο. Φθόνος γὰρ στάσιος ἀρχὴν ἀπεργάζετο. Nõ *prohibuiſſent vtique leges ſuo quemque arbitrio viuere, niſi alter alterum offẽſum iiſſet. Inuidia enim ſeditioni molitur exordium.* Sed ſicut in vltione factum modo diximus, ita & in hac ad exemplum punitione manent veſtigia ac reliquiæ priſci iuris in iis locis atque inter eas perſonas quæ certis iudiciis non ſubſunt: ac præterea in quibuſdam caſibus exceptis. Sic Hebræorum moribus He-
Num. XX. bræus à Deo & Dei lege deficiens aut ducem ſe ad falſos cultus præbens illico à quouis homine poterat interfici. Iudicium zeli id vocant Hebræi quod à Phinea primo exercitum aiunt, & inde abiiſſe in morem. Sic Iudæum quendam Græcis ſe ritibus polluẽtem oc-
Macc. II. cidit Matthatias. Sic trecenti alii Iudæi à popularibus ſuis occiſi referuntur libro qui vulgo dicitur Macca-
Act. VII. 57. bæorum tertius. Nec alio obtentu inſtituta lapidatio in Stephanum, & coniuratio in Paulum: multaque a-
Act. XXIII. 13. lia exempla eiuſcemodi extant & apud Philonem, & apud Ioſephum. Tum vero apud multos populos & dominis inſeruos, & parentibus in liberos manſit ius puniendi plenum etiam ad mortem vſque. Et ex his quidem quæ diximus quale ſit circa pœnas ius naturę, & quo vſque manſerit intelligi poteſt.

X. Nunc illud videndum eſt num lex Euangelica libertatem illam arctius circumſcripſerit. Certe vt alibi diximus non mirum eſt quædam quæ natura & per leges ciuiles licent vetari lege diuinâ, eaque perfectiſſimâ & præmium promittente natura humana maius, ad quod conſequendum non immerito vir-

tutes

tutes requiruntur quæ sola naturæ præcepta excedant. Castigationes quæ neque infamiam, neque damnum permanens relinquunt, & pro ætatis aut alterius qualitatis ratione sunt necessariæ, si ab iis fiant quibus leges humanæ id permittunt puta à parentibus, tutoribus, dominis, magistris, nihil habere quod cum præceptis Euangelicis repugnet, ex ipsa rei natura satis intelligi datur. Sunt enim hæc remedia animorum non minus innocentia quam pharmaca sensui ingrata. De vltione aliter sentiendum est. Nam quatenus duntaxat animum dolentis exsatiat illicitam esse etiam naturaliter, tantum abest vt Euangelio conueniat, supra ostendimus. Lex vero Hebræa non modo vetat odium asseruari in proximum, id est popularem Leu. xix. 17. sed & communia quædam beneficia talibus inimicis impendi præcipit. Exod. xxiii. 4. 5. Quare proximi nomine ad omnes homines prolato per Euāgelium, patet à nobis requiri, non modo ne noceamus inimicis, verum etiam vt benefaciamus quod & diserte imperatur: Matth. v. 44. Lex tamen Hebræis grauiores iniurias permittebat vlciſci, non manu, sed adito iudice. At Christus idem nobis non permittit quod apparet ex illa oppositione: *Audistis dictum fuisse, oculum pro oculo*: & mox. *Ego vero dico vobis.* Quanquam enim quæ sequuntur de arcenda iniuria proprie agunt, & hanc quoque licentiam aliquatenus saltem restringunt multo tamen magis vltionem improbare censenda sunt, quia veterem permissionem vt imperfectiori tempori congruentem reijciunt: qua de re sic loquitur Tertullianus. *Nouam plane patientiam docet Christus, etiam vicem iniuriæ prohibens permissam à Creatore oculum exigente pro oculo & dentem pro dente, contra ipse alteram amplius maxillam offerri iubens, & super tunicam pallio quoque cedi. Plane hoc Christus adiecerit vt supplementa consen-*

tanea disciplinæ Creatoris. Atque adeo hoc statim renunciandum est an disciplinæ patientia prædicetur penes Creatorem. Sic per Zachariam præcepit ne vnusquisque malitiam fratris sui meminerit, sed nec proximi. Nam & rursus: Malitiam, inquit, proximi sui vnusquisque ne recogitet. Multo magis patientiam indixit iniuriæ, qui indixit obliuionem. Sed & quum dicit, mihi vindictam & ego vindicabo: proinde patientiam docet vindictæ exspectatricem. Inquantum ergo non capit, vt idem videatur & dentem pro dente, oculum pro oculo, in vicem iniuriæ exigere, qui non modo vicem, sed etiam vltionem, etiam recordationem & recogitationem iniuriæ prohibet, in tantum aperitur nobis quomodo oculum pro oculo, & dentem pro dente censuerit, non ad secundam iniuriam talionis permittendam, quam prohibuerat interdicta vltione, sed ad primam coercendam quam prohibuerat talione opposita, vt vnusquisque respiciens licentiam secundæ iniuriæ à prima semetipsum contineret. Facilius enim vim comprimi scit repræsentatione talionis, quã repromissione vltionis. Vtrumque autem constituẽdum fuit pro natura & fide hominũ, vt qui Deo crederet, vltionem à Deo exspectaret: qui minus fideret leges talionis timeret. Hanc legis voluntatem de intellectu laborantem, dominus & sabbati, & legis, & omnium paternarum dispositionum Christus & reuelauit & compotem fecit, mãdans alterius quoque maxillæ oblationem, vt tanto magis vicem iniuriæ extingueret, quam & lex per talionem voluerat impedisse, certe quam Prophetia manifeste coercuerat, & memoriam iniuriæ prohibens & vltionem ad Deum redigens. Ita si quid Christus intulit, non aduersario, sed adiutore præcepto, nõ destruxit disciplinas Creatoris. Denique si in ipsam rationem patientiæ præcipiendæ, & quidem tam plenè atque perfectè considerem, non consistet, si non est Creatoris, qui vindictam repromittit, qui iudicem præstat. Alioqui si tantum patientiæ pondus non modo non repercutiendi, sed & aliam maxillam præbendi, & non modo non remaledicendi, sed etiam benedicendi, & non modo non retinendi tunicam, sed amplius & palliũ concedendi is mihi imponit

qui

qui non sit me defensurus, in vacuum patientiam præcepit, non exhibens mihi mercedem præcepti, patientiæ dico fructum, quod est vltio, quam mihi permisisse debuerat, si ipse non præstat, aut si mihi non permittebat ipse præstaret, quoniam & disciplinæ interest iniuriam vindicari. Metu enim vltionis omnis iniquitas refrænatur. Cæterum passim emissa libertate dominabitur vtrumque oculum effossura, & omnem dentem excitatura præ impunitatis securitate. Censet, vt videmus, Tertullianus nō modo Christianis postulationem talionis esse vetitam, sed ne Hebræis quidem permissam tanquam quę vitio careret, sed maioris mali vitādi causa. Quod quin verum sit de tali postulatione quæ ex odio venit, nō est dubitandum, vt ex superioribus apparet. Nam hanc improbatam etiam illis qui inter Hebræos sapientia excellebāt, nec legis verba tantum, sed & propositum intuebantur, ex Philone apparet apud quem Iudæi Alexandrini ita loquūtur: οὐκ ἐφηδόμεθα, ὦ δέσποτα, πμωρίαις ἐχθροῦ δεδιδαγμένοι πρὸς τῶν ἱερῶν νόμων ἀνθρωποπαθεῖν: *non delectamur, ó domine, vltione de inimico: nam ex sacris legibus didicimus hominum misereri.* Et huc pertinet quod Christus à nobis indistincte exigit, vt omnibus remittamus qui in nos deliquerunt. Matth. VI. 14. 15. id est ob sensum mali nostri malum illis nec procuremus, nec optemus: nam id qui facit, vt cum Claudiano loquar, *ferus est legumque videtur Vindictam præstare sibi.* Quam ob causam Lactantius dictum illud Ciceronis commemorans: *iustitiæ primum munus est ne cui noceat nisi lacessitus iniuria,* ait simplicē veramque sententiam duorum verborum adiectione corruptam: & Ambrosius idem illud Ciceronis dictū vacare ait Euangelij auctoritate. Quid autem de vltione dicemus, non quatenus præteritum respicit, sed quatenus in futurū cauet? Sane & hanc condonari vult Christus, primum si qui nos læsit testimonia probabilia det pœnitentis animi Lucæ XVII. 3. quibus

1. De Off. 28.

Eph. IV. 32. Col. III. 13.

locis de pleniore quadam remissione agitur, id est quę etiam in ius veteris amicitiæ restituat eum qui peccauit, vnde sequitur vt nihil ab eo pœnæ nomine exigi debeat. Prætereą etiamsi absint talis pœnitentiæ signa damnum haud nimium graue insuper habendum Christus præcepto dimittendæ tunicæ docet. Quin & Plato dixit non referendum malum εἴ τι δεῖ ἡμᾶς πάσχειν δι' χαλεπώτερα πάσχειν, *etiamsi quid grauius patiendum nobis immineat*, qui sensus & apud Maximum Tyrium extat Υβρεως δικῃ, id est actionem ob acceptam contumeliam aliquam (qualē Christus alapæ nomine indicat) negabat Musonius, aut se instituturū, aut cuiquam vt institueret auctorem fore: multo enim rectius condonari talia. Quod si dissimulatio magnum secū periculum ferat ea cautione contenti esse debemus quæ quā minimum noceat. Nam & apud Hebræos quidem in vsu erat talio, vt Iosephus & alij Hebræorum doctores notant: sed solebat qui læsus erat vltra impendia à se facta, de quibus seorsim lex exstat Ex. xxi. 19. (hæc enim est simpli restitutio nihil pœnale continens) pro talione pecuniariam mulctam accipere: Quod & Romæ factum docet apud Gellium Fauorinus. *L. 20. c. 1.* Sic Iosephus domini nostri Iesu educator cum vxorem suam adulterij compertam crederet, diuortio se liberare maluit, quam committere vt traduceretur: atque id fecisse dicitur, quia iustus erat, id est vir probus ac facilis: ad quem locum Ambrosius ait non tantum ab vltionis atrocitate, sed etiam ab accusationis seueritate alienam abesse iusti personam, sicut & ante Lactantius dixerat: *neque accusare quenquam crimine capitali iusto licebit.* Iustinus de Christianorum accusatoribus agens. *Nolumus*, ait, *eos puniri, qui in nos calumniantur; Sufficit illis sua prauitas, & rerum bonarum ignorantia.* Restant pœnæ quæ non priuato, sed publico bono consulunt: partim

partim tollendo aut coërcendo nocentem, ne cui noceat, partim deterrendo alios seueritate exempli, quas non sublatas à Christo certissimo exemplo alibi probauimus quod cum sua daret præcepta simul testabatur se nihil legis tollere. Lex autem Mosis, quæ in his rebus, quamdiu stabat respublica, stare debebat, magistratibus rigidè imperabat, vt homicidia & alia quædam crimina punirent: Ex. xx 1.14. Num. xxxiii. 14. 37. Deut. xx ix. 13. Quod si Christi præcepta consistere potuerunt cum lege Mosis quatenus supplicia etiam capitalia irrogabat, possunt & cum humanis legibus diuinam hac in parte imitantibus consistere.

XI. Sunt qui vt contrariam sententiam tueantur adferunt summam Dei lenitatem in nouo fœdere, quæ proinde hominibus, etiam magistratibus, vt Dei vicariis sequenda sit; quod aliquatenus verum esse non negamus, sed non tam late patet quam illi volunt. Nam Dei ingens misericordia in nouo fœdere patefacta, præcipue spectat peccata contra naturæ legem, aut etiam contra legem Mosis commissa ante acceptam Euangelij notitiam. Act. xvii. 36. Rom. ii. 25. Act. xiii. 38. Hebr. ix. 15. Nam quæ postea committuntur, præsertim si adsit contumacia, comminationem habent iudicij multo seuerioris, quam illud fuit quod per Mosem est institutum. Hebr. ii. 23. iv. x. 29. Matth. v. 21. 22. 28. neque vero in altera tantum vita, sed & in hac ipsa in tales culpas Deus non raro animaduertit. 1. Corint. xi. 30. Ac talium facinorum indulgentia non solet impetrari, nisi ipse homo de se quasi pœnas exegerit. 1. Cor. xi. 31. graui quodam mœrore ii. Corint. ii. 27. Vrgent ijdem saltem pœnitentia ductis dandam impunitatem. Sed vt omittam de vera pœnitentia hominibus vix esse vt constet, nec quemquam non impune sua malefacta laturum, si

eam quouis modo profiteri sufficiat, Deus ipse non semper pœnitentia ductis omnem remittit pœnam, ꝙ vel Dauidis exemplo apparet. Sicut ergo pœnam legis, id est mortem violentam aut alioqui immaturam remittere potuit Deus, ita vt non leuibus malis afficeret eum qui deliquerat, sic nunc quoque potest pœnam remittere mortis æternæ atque interim peccatorem aut morte immatura ipse punire, aut velle etiam vt sic per magistratum puniatur.

Synes. Ep. 44.

XII. Rursum alii hoc accusant quod cum vita simul spatium ad pœnitendum præciditur. Sed sciunt huius rei à piis magistratibus summam haberi rationem, nec quemquam ad supplicium rapi nisi dato tempore quo peccata sua agnoscere ac serio detestari possit: qualem pœnitentiam etiamsi opera morte interclusa non sequantur, acceptam Deo esse posse, latronis cum Christo crucifixi exemplum probat. Quod si dicatur vitam longiorem ad magis seriam resipiscentiam prodesse potuisse, responderi poterit, inueniri interdum, quibus merito dici possit illud Senecæ: *Quod vnum bonum tibi superest repræsentabimus mortem*, vt & illud eiusdem: *quo vno modo possunt desinant mali esse*, quod Eusebius Philosophus dixerat: ἐπεὶ δὲ οὐκ οἷόν τε ἄλλως καὶ τούτῳ γε οὖν τῷ τρόπῳ ἀπολυθέντες τοῦ ἐνταῦθα δεσμοῦ τῆς κακίας πορίσωνται φυγήν. Hæc ergo, supra ea quæ operis initio diximus, responsa sunto illis qui supplicia aut omnia aut capitalia sine vlla exceptione Christianis prohibita volunt, contra quam nos Apostolus docet, qui cum regio officio vsum gladii inclusisset vt exercitium diuinæ vltionis, alibi orandum ait, vt reges Christiani fiant, & qua reges sunt, innocentibus sint præsidio: quod, quæ etiam post Euangelium propagatum magnæ partis hominum est improbitas, obtineri non potest, nisi quorundam morte reprimatur aliorum audacia,

Lib. I. de Ira c. 16.

c. 15.

dacia, quippe cum ne sic quidem inter tot cruces & supplicia sontium satis tuta sit innocentia.

XIII. Ex ea autem quam nos fecimus enumeratione finium pœnæ apparet nonnihil prætervisum à Tauro Philosopho, ex quo ita Gellius. *Quando igitur aut spes magna est vt is qui peccauit citra pœnam ipse sese vltro corrigat, aut spes contra nulla est emendari eum posse & corrigi, aut iacturam dignitatis in quam peccatum est metui non necessum est aut non id peccatum est cuius exemplo necessario metu succurrendum sit, tum quicquid ita delictum est, non sane dignum esse imponendæ pœnæ studium visum est.* Nam ita loquitur quasi vno fine sublato tollatur pœna, cum cõtra omnes cessare oporteat vt pœnæ locus non sit. Deinde illum finem omittit, cum homo inemendabilis vitæ eximitur ne plura aut grauiora peccet: & quod de iactura dignitatis dixit etiam ad alia damna quæ metuuntur extendendum fuit. Melius Seneca cum dixit: *In vindicandis iniuriis hæc tria lex sequuta est quæ princeps quoque sequi debet: vt aut eum quem punit emendet, aut vt pœna eius cæteros meliores reddat, aut vt sublatis malis securiores cæteri viuant.* Nam hic si per cæteros intelligas non minus qui læsi iam sunt quam qui lædi adhuc possunt plenam habebis partitionem, nisi quod ad illud *sublatis* addendum fuit aut repressis. Nam & vincula & quæcumque est viriũ deminutio eo pertinet. Min⁹ perfecta est illa alio loco eiusdem Senecæ distributio: *Hoc semper in omni animaduersione seruabit vt sciat alteram adhiberi vt emendet malos, alteram vt tollat:* Illud Quintiliani dictum aliquãto etiam imperfectius: *Omnis pœna non tam ad delictum pertinet quã ad exemplum.*

De cl. l. l. c. 21.

L. 1. de Ira c. vlt.

XIV. Ex his quæ dicta sunt hactenus colligi potest quam non tutum sit Christiano homini priuato siue sui siue publici boni causa pœnam sumere de improbo

probo quoquam præsertim capitalem, quanquam id iure gentium nonnunquam permitti diximus, vnde laudandus est mos eorum populorum apud quos nauigaturi instruuntur mandatis à publica potestate ad persequendos piratas si quos in mari repererint: vt data occasione vti possint, non quasi autu suopte sed vt publice iussi.

XV. Cui non dissimile est quod multis in locis receptum est, vt ad accusationes criminum non admittantur, quibus id libet, sed certi homines quibus id muneris publica potestate impositum est: vt nihil quisquam faciat ad alienum sanguinem fundendum nisi officii necessitate.

XVI. Sed & illud simul ex antedictis intelligitur minime consultum esse homini vere Christiano ac ne ipsum quidem decere, vt ad munera publica quæ de sanguine iudicium habent sua sponte se ingerat iusque vitæ ac necis in ciues sibi tanquam omnium excellentissimo & Deo cuidam inter homines deferri æquum existimet ac profiteatur. Nam certe quod Christus monet periculosum esse de aliis iudicare, quia quale iudicium in alios ferimus tale nobis in paribus causis à Deo sit expectandum, omnino huc etiam pertinet.

Matth. VII. 1.

XVII. Quæstio est non ignobilis, an leges humanæ quæ interfectionem quorundam hominum permittunt, interfectoribus ius verum præstent etiam apud Deum, an tantum inter homines impunitatem. Posterius hoc Couarruuiæ & Fortunio placet quorum sententia adeo displicet Fernando Vasquio, vt nefandam vocet. Dubium non est, vt alibi quoque diximus, vtrumuis legem facere posse, in certis casibus. Vtrum autem voluerit partim ex verbis legis, partim ex materia intelligendum est. Nam si dolori lex indulger,

Couar. 4. decr. 12. c. 7. n. 8. Fort. ad tract. tum de vltimo fine legum, illa II. Vasq. L. 4. Cont. ill. c. 8.

get, pœnam humanam tollit non vitium, vt in marito qui adulteram vxorem aut adulterum occidit. Si vero periculum respicit futuri mali ex dilatione pœnæ, censenda est ius ac potestatem publicam priuato concedere ita vt iam priuatus non sit. Huius generis est lex illa in Codice Iustinianeo sub rubrica quando liceat vnicuique sine iudice se vindicare vel publicam deuotionem, vbi cuicumque licentia datur supplicio subiugandi milites populatores hac addita ratione: *melius enim est occurrere in tempore quam post exitum vindicare. Vestram igitur vobis permittimus vltionem, & quod serum est punire iudicio subiugamus edicto, vt nullus parcat militi cui obuiare telo oporteat vt latroni.* Et lex subsequens de opprimendis desertoribus: *cuncti*, inquiens, *aduersus latrones publicos desertoresque militiæ ius sibi sciant pro quiete communi exercendæ publicæ vltionis indultum.* Huc & illud pertinet Tertulliani: *In eos matestatis & publicos hostes omnis homo miles est.* Atque in hoc differt ius occidendi exules, quos bannitos vocant, ab istarum legum specie, quod ibi præcedit specialis sententia, hic generale edictum accedente facti euidentia vim latæ sententiæ obtinet.

XVIII. Nunc illud videamus sint ne omnes actus vitiosi tales vt puniri ab hominibus possint. Pro certo habendum est, non omnes esse tales. Primum enim actus mere interni, etiamsi casu aliquo puta per confessionem subsecutam, ad notitiam aliorum perueniant, puniri ab hominibus non possunt, quia vt alibi diximus, naturæ humanæ congruum non est vt ex actibus mere internis ius aut obligatio inter homines nascatur. Et hoc sensu accipiendum est quod dictant leges Romanæ: *Cogitationis pœnam neminem mereri.* Id tamen non obstat quo minus actus interni quatenus in externos influunt in æstimationem veniant non

sui

sui proprie, sed actuum externorum, qui inde meriti sui accipiunt qualitatem.

XIX. Secundo puniri ab hominibus nequeũt actus ineuitabiles naturę humanæ. Quanquam enim peccatum esse non potest nisi quod libere fit, ab omni tamen omnino peccato & semper abstinere supra humanam est conditionem, vnde cognatum homini esse peccare inter Philosophos Sopater, Hierocles, Seneca, inter Iudæos Philo, inter historicos Thucydides, inter Christianos plurimi prodiderunt. *Si puniendus est*, inquit Seneca, *cuicumque prauum magnumque ingenium est, pœna neminem excipiet.* Sopater vero ἕως ἄν τις ὡς ἀναμαρτήτους κολάζῃ τι μέτρον ὑπερβαίνει τὸ κατὰ φύσιν ἐπανορθώσεως. *Si quis homines puniat tanquam qui ab omni peccato vacare possint mensuram excedit eius quæ secundum naturam est correctionis.* Idem dissimulanda, ait τὰ μικρὰ καὶ σωρὸν τῶν ἁμαρτημάτων culpas minores & quasi quotidianas. Imo dubitari potest an hæc recte & proprie peccata dicantur cum libertatem quam in specie habere videntur in sua generalitate considerata non habeant. Sunt & quædam non humanæ simpliciter naturæ, sed huic & nunc ineuitabilia ob corporis mixturam in animum transeuntem, aut adultam consuetudinem, quæ tamen puniri solet non tam in sese quam ob culpam præcedentem, quia aut neglecta sunt remedia, aut vltro attracti in animum morbi.

De Ira. L. II cap.

XX. Tertio punienda non sunt peccata quæ nec directe nec indirecte spectant ad societatem humanam aut ad hominem alterum. Ratio est quia nulla est causa cur non talia peccata relinquãtur Deo punienda qui & ad ea noscenda est sapientissimus, & ad expendenda æquissimus & ad vindicanda potentissimus. Quare ab hominibus punitio talis institueretur plane sine vtilitate, ac proinde mendose. Excipiendæ hinc

hinc sunt pœnæ emendatoriæ quæ causam habent vt qui peccauit melior fiat, etiamsi forte id aliorum non interfit. Puniendi quoque non sunt actus oppositi virtutibus quarum natura coactionem omnem repudiat, in quo genere sunt misericordia, liberalitas, gratię relatio. Tractat hanc quęstionem Seneca an ingrati vitium impunitum esse debeat; & cur non debeat, adfert multa, sed hoc præcipuum quod & ad alia similia extendi potest: *Cum res honestissima sit referre gratiam, desinit honesta esse si necessaria est*, id est honestatis gradum excellentem amittit, quod sequentia indicant: *non enim magis laudabit quisquam gratum hominem quam eum qui depositum reddidit, aut quod debebat citra iudicium soluit.* Mox: *non est gloriosa res gratum esse, nisi tutum est ingratum fuisse.* Aptari ad huius generis vitia potest illud Senecæ patris in controuersiis: *Ego reum non laudari desidero, sed absolui.* L. III. de ben. c. 6.

XXI. Sequitur illud tractemus, an ignoscere aut veniam dare liceat interdum. Negant enim Stoici vt videre est in fragmento apud Stobæum titulo de Magistratu, in oratione Tullii pro Murena, & in fine librorum Senecæ de Clementia, sed leui argumento. *Venia*, aiunt, *debitæ pœnæ remissio est: Sapiens autem quod facere debet facit.* Hic fraus latet in illa voce *debitæ*. Nam si intelligas eum qui peccauit pœnam debere, id est sine iniuria puniri posse, iam non sequetur si quis non puniat, facere quod facere non debet. Si vero ita accipias debitam esse pœnam à sapiente, id est omnino oportuisse exigi, dicemus id non semper accidere, ac propterea hoc sensu pœnam posse esse non debitam, sed licitam tantum. Atque id verum esse potest tum ante legem pœnalem, tum post eam positam.

XXII. Ante legem pœnalem constitutam dubiũ tamen non est quin pœnæ locus esse possit, quia naturaliter

raliter qui deliquit in eo statu est, vt puniri licite possit: sed non ideo sequitur debere eam exigi: quia hoc pendet ex connexione finium ob quos pœna instituta est cum ipsa pœna: Quare si fines illi per se morali estimatione necessarij non sint, aut alij fines ex opposito occurrant non minus vtiles aut necessarij, aut fines pœnæ propositi alia vita obtineri possint, iam apparet nihil esse quod ad pœnam exigendam præcise obliget. Sit primi exemplum in peccato paucissimis cognito, cuius proinde publica traductio non necessaria sit, aut damnosa etiam: Secundi in eo qui benemerita aut sua aut parentum repensari digna, culpæ opponit: nam, vt ait Seneca, *beneficium superueniens iniuriam apparere non patitur.* Tertij in eo qui verbis emendatus est, aut læso verbis satisfecit vt ad eos fines pœna iam opus non sit. Et hæc pars vna est clementiæ à pœna liberans. Nam quia pœna omnis, præcipue grauior, aliquid habet quod per se spectatum non quidem iustitiæ, sed caritati repugnet, facile patitur ratio ea abstineri, nisi maior ac iustior caritas quasi irrefragabiliter obstet. Appositus est ad hanc rem Sopatri locus, cum ait: τὸ περὶ τὰ συναλλάγματα τῆς δίκης ἐπανορθωτικὸν ἐκφεύγει παντελῶς τὸ τῶν χαρίτων γένος· τὸ δ' ἐπὶ τοῖς ἐγκλήμασι κείμενον ἐκκαίνεται τὸ πρᾷον καὶ φιλάνθρωπον τῶν χαρίτων πρόσωπον. *Iustitiæ pars illa quæ contractus ad æqualitatem reducit omnino respuit omne gratiæ genus: at ea pars quæ circa delicta occupatur non recusat suauem & blandam gratiarum faciem.*

XXIII. Possunt autem tria hæc occurrere aut vt pœna omnino sit exigenda, vt in pessimi exempli sceleribus, aut vt omnino non exigenda, vt si bonum publicum omitti eam exigat, aut vt liceat vtrumuis: quo pertinet quod ait Seneca clementiam liberum habere arbitrium. Parcit tunc, inquiunt Stoici, sapiens, non ignoscit. Quasi vero nobis non liceat cum vulgo loquendi

quẽdi domino ignoscere vocare quod parcere illi vocant. Nimirum & hic & alibi magna pars Stoicarum disputationum circa voces consumitur, quod Philosopho apprimè cauendum est.

XXIV. Maior esse difficultas videtur post legẽ pœnalem, quia legis auctor aliquo modo legibus suis obligatur, sed hoc diximus verum esse quatenus auctor legis vt pars ciuitatis spectatur, non qua ciuitatis ipsius personam atque auctoritatem sustinet. Nam qua talis est potest legem etiam totam tollere, quia legis humanæ natura est vt à voluntate humana pendeat non in origine tantum, sed & in duratione. Non debet tamen legis auctor legem tollere nisi probabili de causa, peccaturus alioqui in regulas iustitiæ gubernatricis. Sicut autem totam legem tollere potest, ita & vinculum eius circa personam aut factum singulare manente de cætero lege, Dei ipsius exemplo qui Lactantio teste, *legem cum poneret non vtique ademit sibi omnem potestatem, sed habet ignoscendi licentiam. Imperatori*, inquit Augustinus, *licet reuocare sententiam, & remittere mortis absoluere & ipsi ignoscere*: causam explicat, *quia non est subiectus legibus qui habet in potestate leges ferre.* Seneca Neronem hoc vult cogitare, *Occidere contra legem nemo non potest: seruare nemo præter me.* Sed hoc quoque faciendum nõ est nisi causa subsit probabilis. quæ autem sint causæ probabiles, quanquam non potest præcise definiri, tenendum tamen est maiores esse debere post legem quam quæ ante legem spectabantur, quia legis auctoritas, quam seruari vtile est, ad causas puniendi accessit. *De Clem. l. 1. c. 5.*

XXV. Causæ autem liberandi aliquem à pœna legis solent esse aut intrinsecæ, aut extrinsecæ. Intrinseca cum si non iniusta, dura tamen est pœna ad factum comparata.

XXVI. Extrinseca ex merito aliquo aut alia re commendante: aut etiam spe magna in posterum: quod causæ genus tunc maximè sufficiet, si ratio legis saltem particulariter cesset in facto de quo agitur. Nam quãquam ad sustinendam legis efficaciam satis est ratio vniuersalis sine repugnantia contrariæ rationis, tamen cessatio rationis etiam quæ particularis est, efficit vt lex facilius & minore cum damno auctoritatis solui possit. Id autem maximè vsu venit in iis delictis quæ per ignorantiam, quamuis culpa omni non carentem, aut per animi infirmitatem superabilem quidem, sed difficulter superabilem committuntur, ad quæ Christianus hominum rector maximè respicere debet vt Deum imitetur, qui in veteri quidem fedære multa talia hostiis quibusdam expiari voluit: Leuit. IV. & V. at in nouo federe verbis & exemplis testatus est se ad talia resipiscentibus condonanda esse facilem. Lucæ XXIII. 34. I. Tim. I. 13. Hebr. V. 2. IV. 15.

XXVII. Atque hinc apparet quam male Fernandus Vasquius dixerit iustam causam dispensandi, id est legge soluendi esse eam tantam de qua legis auctor consultus dixisset extra mentem suam esse eam obseruari. Non distinguit enim inter ὀπείκειαν quæ legem interpretatur, & inter relaxationem: Vnde & alibi Thomam & Sotum reprehendit quod dicant legem obligare etiamsi causa particulariter cesset, quasi legem esse putassent solam scripturam, quod illis nunquam in mentem venit. Tantum verò abest vt omnis legis relaxatio, quæ sæpe libere & dari & omitti potest, referenda sit ad ὀπείκειαν propriè dictam: ne illa quidem relaxatio quæ aut ex caritate aut ex iustitia rectrice debetur, eo referri potest. Aliud enim est legem aut probabili aut etiam vrgente causa tollere, aliud declarare factum ab initio mente legis non fuisse compre-

Lib. I. c. 46.

Lib. I. c. 26. & c. 46.

comprehensum. De tollendis pœnis vidimus, de taxatione earum videamus.

XXVIII. Ex suprà dictis apparet in pœnis duo spectari id ob quod & cuius ergo. Ob quod, est meritum; cuius ergo, est vtilitas ex pœna. Puniendus nemo est vltra meritum quo ea pertinent quæ ex Horatio iam ante protulimus, & Ciceronis illud: *Est pœnæ modus sicut rerum reliquarum & quædam mediocritas.* Sed intra meriti modum magis aut minus peccata puniuntur pro vtilitate. *Ep. XV. ad Brut.*

XXIX. In merito examinanda veniunt causa quæ impulit, causa quæ retrahere debuit, & personæ idoneitas ad vtrumque. Vix quisquam gratis malus est aut si quem malitia propter seipsam delectat, is vltra modum humanum processit. Pars maxima ad peccãdum ducuntur affectibus: ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν: Appetitus concipiens parit peccatum. Appetitus nomine iam & declinandi mali impetum comprehendo, qui maximè est naturalis ideoque inter appetitus honestissimus. vnde quæ mortis, carceris, doloris aut summæ egestatis vitandæ causa iniuste fiunt maximè excusabilia videri solent. Et huc illud Demosthenis pertinet: *AEquum est his qui cum diuites sint mali sunt magis irasci quam his quos egestas impellit: nam apud humanitate vtentes iudices necessitas aliquid adfert veniæ, cum si qui in rerum affluentia iniusti sunt nihil habeant prætexti probabilis.* Sic Acarnanas excusat Polybius quod impendentis periculi respectu federis cum Græcis in Ætolos initi leges non implessent: Aristoteles: ἑκουσίῳ μᾶλλον ἔοικεν ἡ ἀκολασία τῆς δειλίας· ἡ μὲν γὰρ διὰ ἡδονὴν, ἡ δὲ διὰ λύπην. καὶ ἡ μὲν λύπη ἐξίστησι καὶ φθείρει τὴν τοῦ ἔχοντος φύσιν· ἡ δὲ ἡδονὴ οὐδὲν τοιοῦτον ποιεῖ, μᾶλλον τε ἑκούσιον. *Magis voluntaria est incontinentia quam timiditas: nam illa voluptatis ergo: hæc propter dolorem. Dolor autem hominem* *Iacob. I. 15.* *Lib. IV.*

quasi extra se rapit naturæ exitium adsciens: Voluptas nihil tale, ideo plus habet voluntarii. In eundem sensum insignis est locus apud Porphyrium, de non esu animalium libro tertio. Cæteri appetitus ad bonum aliquod tendunt aut verum aut imaginabile. Vera bona extra virtutes & earum actiones quę ad peccatum non ducunt (ἀνταχολουθοῦσι γὰρ αἱ ἀρεταὶ, consentiunt enim virtutes inter se) sunt aut delectantia aut delectantium causa quæ vtilia vocantur vt possessionum abundãtia. Imaginabilia non autem vere bona sunt, excellentia supra alios quatenus à virtute & vtilitate seiungitur & vindicta: quæ quo magis à natura abeunt eo sunt fœdiora. Et hos tres appetitus Iohannes his vocibus exprimit: ἐπιθυμία σαρκὸς, ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, ἀλαζονεία τοῦ βίου. Primum enim membrum voluptatum desideria, secũdum habendi cupiditatem, tertium vanæ gloriæ consectationem & iracundiam complectitur. Philo in Decalogi explicatione omnia mala esse dicit, ἐξ ἐπιθυμίας ἢ χρημάτων ἢ δόξης ἢ ἡδονῆς.

1. Ioh. II. 16.

XXX. Causa quæ à delinquendo abstrahere debet generalis est iniustitia. Versamur enim non in quibusuis peccatis, sed in iis quæ respectum habẽt extra peccantem. Iniustitia eo est maior quo maius alteri damnum infertur. Ideo primum locum obtinent delicta cõsummata, postremum quæ ad actus aliquos, sed non ad vltimum processerunt: in quibus tanto quidque est grauius quo vlterius processit. In vtrouis genere ea iniustitia eminet quæ communem ordinem perturbat ac proinde plurimis nocet: Sequitur ea quæ singulos tangit. Maxima hic est quæ vitam: proxima quæ familiam, cuius fundamentum est matrimoniũ: postrema quæ res singulas expetibiles spectat, siue directè subtrahendo, siue dolo malo causam dando damni. Possunt hæc ipsa subtilius diuidi, sed quem indicauimus

cauimus ordinem Deus in Decalogo secutus est. Nam parentum nomine, qui naturales sunt magistratus, etiam alios rectores par est intelligi, quorum auctoritas societatem humanam continet: sequitur interdictio homicidii: deinde matrimonii sanctio inhibitis adulteriis: tum furta, & falsimoniæ: loco vltimo delicta inconsummata. Inter causas autem abstrahentes non debet poni tantum qualitas eius quod directè fit, sed & eius quod secuturum probabile est, vt in incendio, & perfosso aggere multorum summæ calamitates & mortes etiam spectandæ sunt. Ad iniustitiam quam generalem causam posuimus interdum & aliud accedit vitium, puta impietas in parentes, inhumanitas in propinquos, ingratus animus in beneficos, quæ augent delictum. Apparet quoque maior prauitas si quis sæpius deliquit, quia habitus mali actibus sunt peiores. Et hinc intelligi potest quatenus naturâ æquum sit quod apud Persas fiebat, vt vita anterior simul cum delicto in æstimationem veniret. Id enim locum habere debet in his quibus alioqui non malis subito aliqua peccandi dulcedo subrepsit: non in his qui totum vitæ genus immutarunt, in quibus ipse Deus apud Ezechielem nullam se habere ait prioris vitæ rationem, quibusque adeoque Thucydideum illud aptari potest: Διπλασίας ζημίας ἄξιοί εἰσιν ὅτι ἀντ' ἀγαθῶν κακοὶ γεγένηνται: *Dupliciter pœnas merentur eo quod ex bonis mali facti sunt.* Sed & lex posita aduersus vitium specialem quandam malitiam veteri superaddit; quod ita docet Augustinus: *Lex prohibens omnia delicta congeminat: non enim simplex peccatum est non solum malum, sed etiam vetitum committere.*

Cap. XVIII

Lib. 1.

De vera relig. cap. 6.

XXXI. Personæ aptitudo aut ad considerandas causas auertentes, aut ad suscipiendos affectus incitantes, considerari solet in corporis mixtura, ætate, sexu,

educatione, circumstantiis actus. Nam & pueri & fœminæ, & crassi ingenii homines maleque educati iusti & iniusti, liciti & illiciti discrimina minus habent cognita: & in quibus bilis præualet iracundi sunt, in quibus sanguis ad venerem proni, tum verò huc iuuentus, illuc senectus propēdet. Metum accendit mali imminentis cogitatio, & iracundiam recens ac necdum sedatus dolor, ita vt rationem audiri vix sinant: suntque illorum affectuum delicta merito minus odiosa, quam quæ ex voluptatis nascuntur desiderio q; & minus efficaciter mouet, & differri & aliam sibi materiam sine iniuria quærere facilius potest. Aristoteles Nicomachicorum septimo: Ὁ θυμὸς φυσικώτερον καὶ ἡ χαλεπότης τῶν ἐπιθυμίων τῆς ὑπερβολῆς καὶ τῶν μὴ ἀναγκαίων. *Magis naturale ira & acerbitas quam cupiditas eorum quæ modum excedunt minimeq; sunt necessaria.* Omnino enim illud tenendum est quo animi eligētis iudicium magis impeditur quoq; magis naturalibus causis, eo quod delinquitur minoris esse. Pertinet huc illud Ciceronis: *In omni iniustitia permultū interest vtrum perturbatione aliqua animi quæ plerumque breuis est & ad tempus, an consulto & cogitato fiat iniuria; leuiora enim sunt quæ repentino aliquo motu accidunt quam ea quæ meditata & præparata inferuntur.* Aristoteles dicto libro: Μᾶλλον ἀκόλαστον ἂν εἴποιμεν, ὅστις μὴ ἐπιθυμῶν ἢ ἠρέμα διώκει τὰς ὑπερβολὰς καὶ φεύγει μετρίας λύπας ἢ τοιοῦτον ὅστις διὰ τὸ ἐπιθυμεῖν σφόδρα· τί γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιήσαιεν εἰ προσγένοιτο ἐπιθυμία νεανικὴ καὶ περὶ τὰς ἀναγκαίων ἐνδείας λύπη ἰσχυρά; *Minus temperantem dicimus hunc qui à motu concupiscente aut non tentatus aut leuiter tentatus quærit enormes voluptates aut mediocria incommoda defugit, eo qui vehementi affectu percellitur. Nam quid idem ille facturus fuisse putandus est si adfuisset iuuenilis quædam perturbatio animi aut grauis dolor ex penuria eorum quibus negatis natura doleat?* Quicum conuenit illud Antiphanis:

De Off. 1.

Cap. 6.

Qui

Qui cum sit opulens nequiter quicquam facit,
Hunc si esset pauper quid non facturum putas.

Et quæ in senum amores passim in comœdiis legimus. Ex his igitur causis æstimandum meritum intra quod pœna consistere debeat.

XXXII. Tenendum autem est quod Pythagorici dicebant, iustitiam esse τὸ ἀνυπόπονθος, id est parem passionem in pœnis, id non ita accipi debere quasi qui alteri nocuit deliberato & sine causis culpam valde minuentibus tantundem nocumenti nec amplius ferre debeat. Id enim non ita esse ipsa lex quæ legum omnium perfectissimum exemplar est ostendit cũ furta quadruplo aut quintuplo vult lui. *Leges*, inquit Ambrosius, *ea quæ detracta sunt alicui cum iniuria personæ aut rei ipsius cumulo restitui imperant quo furem à detrahendo aut pœna deterreant aut mulcta reuocent.* Nec enim æquum est vt par sit periculum innocentis & nocentis vt rectè ostendit Philo quo loco de homicidij pœna tractat. Atq; hoc inde quoque æstimari potest quod delicta quædam nõ consummata, & ideo consummatis minora nocumentum infligant par cogitato, quod in lege Hebræa de falso teste proditum & in lege Romanâ de eo qui hominis occidendi causa cum telo ambulauit: Cui consequens est vt perfectis criminibus maior respondeat pœna, sed quia morte nihil est grauius eaque iterari non potest, vt Philo notat dicto loco, ideo intra eam necessario consistitur, additis tamen interdum pro merito cruciatibus. *De Off. III. c. 3.* *Deut. XIX. 19.*

XXXIII. Pœnæ autem magnitudo non tantum nude spectatur, sed cum respectu ad patientẽ. Nam mulcta eadem pauperem onerabit, diuitem non onerabit, & vili ignominia leue erit malum, honorato graue: quo genere diuersitatis sæpe vtitur lex Romana;

vnde harmonicam proportionem exstruxit Bodinus: cum tamen reuera simplex hic sit & qualis in numeris æqualitas, meriti ad pœnam, sicut in contractibus mercis ad nummos, quanquam alibi merx eadem plus, alibi minus valet, itemque nummi. At fatendum sæpe in lege Romana id non fieri, ἄνευ προσωπολήψιας, id est sine nimio personarum & qualitatum ad factum non pertinētium respectu, à quo vitio longissime semper abest lex Mosis. Et hæc quidem vt diximus intrinseca est pœnæ taxatio.

L. VI. de Rep. c. vlt.

XXXIV. Sed intra concessum modum ad minimū ducit caritas eius qui punitur, nisi pluriū iustior caritas aliud suadeat ob causam extrinsecam, quæ interdum est ingens periculum ab eo qui deliquit, plerumque autem necessitas exempli. Ea autem nasci solet ex generalibus inuitamentis ad peccandum quæ reprimi nisi acribus remediis nequeunt. Inuitamenta autem præcipua sunt, consuetudo & facilitas.

XXXV. Ob facilitatem lex diuina Hebræis data grauius punit furtum de pascuo quam de domo. Ex. XXII. 1. & 9.

XXXVI. Consuetudo facti etsi aliquid detrahit de culpa (*non sine ratione veniam dedit*, inquit Plinius, *facto vetito quidem non tamen inusitato*) pœnæ tamen acrimoniam ex alia parte flagitat: quoniam vt Saturninus loquitur, *nimium multis crassantibus opus exemplo est*. Sed in iudiciis magis illud, in legibus hoc sequendum est, ratione habita temporis quo leges aut iudicia feruntur: quia pœnæ vtilitas magis in vniuersalitate spectatur circa quam sunt leges: culpa autem maior aut minor est in singulis. Quod autem diximus vbi magnæ vrgētesque causæ cessant, ad minuendam potius pœnam promtos nos esse debere, in eo clemētiæ pars altera sita est. Nam priorem in tollenda pœna collocauimus.

L. aut facta. D. de pœnis.

Quia

Quia difficile est temperamentum, inquit Seneca, *quidquid æquo plus futurum est in partem humaniorem præponderet.* Alibi: *Pœnam si tuto poterit donet, sin minus temperet.* Et apud Diodorum Siculũ laudatur Rex Ægyptius quod imponeret πμωρίας ελαττους τῆς ἀξιας supplicia meritis minora. Isæus quoque orator dixit, oportere leges quidẽ constitui rigidas, sed pœnas exigi legibus mitiores. Augustinus Comitem Marcellinum sic admonet sui officij. *Mihi sollicitudo maxima incussa est, ne forte sublimitas tua censeat eos tanta legum seueritate esse plectendos, vt qualia fecerunt, talia patiantur, ideoque his literis obtestor fidem tuam, quam habes in Christo, per ipsius Domini nostri misericordiam vt hoc non facias, nec omnino fieri permittas.* L. 1. de Cl. c. 1. C. xx.

XXXVII. Speramus nihil à nobis prætermissum, quod ad huius argumenti satis difficilis & obscuri cognitionem magnopere faciat: nam quatuor illa quæ Maimonides maxime ait spectari in pœnis, magnitudinem peccati, id est damni, frequentiam talium peccatorum, quantitatem concupiscentiæ & operis facilitatem ad sua loca retulimus: nec minus illa septem quæ confuse satis in pœnis considerat Saturninus. Nam persona eius qui fecit ad aptitudinem illam iudicandi maxime pertinet, & persona eius qui patitur interdum aliquid confert ad æstimandam culpæ magnitudinem. Locus iniustitiæ culpam aliquam addere solet peculiarem aut etiam ad facilitatem operis pertinere. Tempus vt diuturnum est aut breue ita libertatem iudicandi auget, aut minuit, interdum & prauitatem animi ostendit. Qualitas partim ad genera appetituum refertur, partim ad causas quę abstrahere à peccando debebant. Quantitas quoque ad appetitum referẽda est: Euentus ad causas abstrahentes. L. Aut facta. D. de pœnis.

XXXVIII. Solere pœnæ expetendę causa bella sus-

cipi & supra ostendimus & passim docent historiæ: ac plerumque hæc causa cum altera de damno reparando coniuncta est, quando idem actus & vitiosus fuit & damnum reipsa intulit ex quibus duabus qualitatibus duæ diuersæ nascuntur obligationes. Non esse autem bella suscipienda ob delicta quæuis satis constat, nam ne leges quidem suam illam vltionem, quæ tuto nec nisi nocentibus nocet, omnibus culpis impendunt. Recte Sopater oportere ait ea quæ minora & vulgaria sunt delicta dissimulari non vindicari.

Gel. L. VII. c. 3. XXXIX. Illud autem quod in oratione pro Rhodiensibus à Catone dictum fuit, non esse æquum pœnas quemquam dare ob eam rem quod arguatur male facere voluisse, suo quidem loco non male erat positum, quia nullum populi Rhodiensis decretum adferri poterat, sed animi fluctuantis coniecturæ: vniuersaliter autem hoc recipiendum non est. Nam voluntas quæ ad externos actus processit (internos enim ab hominibus non puniri supra diximus) pœnis solet esse obnoxia: *Iniuriam qui facturus est iam facit*, ait Seneca, *De Ira. li. III.* Sic Romani censent bellum ineundum cum Rege *Liu. l. XLII.* Perseo nisi satisfaciat de consiliis belli parandi aduersus populum Romanum initis, quia scilicet arma, milites, classem iam comparauerat. Non tamen omnis peruersa voluntas pœnæ facit locum. Nam si ne perpetrata quidem peccata omnia vindicantur, multo minus cogitata ac cœpta. In multis locum habet, *1. Off.* quod Cicero dicit: *haud scio an satis sit eum qui lacesserit iniuriæ suæ pœnitere.* Lex Hebræis data aduersum delicta inchoata contra pietatem aut etiam contra hominis vitam nihil speciale constituit: quia & circa res diuinas vt pote nobis inconspicuas facilis est error, & iracundiæ impetus non indignus est cui ignoscatur: Cæterum in tanta matrimoniorum copia alienas nuptias

ptias attentare, aut in tam ęquabili possessionum diuisione fraudem struere qua cum aliena iactura se quis locupletet, minime erat ferendum. Nam illud, non concupisces, quod in Decalogo est, quanquam si scopum spectes legis, id est τὸ πνευματικὸν, latius patet (vellet enim lex, omnes etiam mente esse purissimos) tamen ipsum præceptum externum, ἐντολὴν σαρκικὴν, quod attinet, ad motus animi pertinet qui facto produntur, quod aperte liquet ex Marco Euangelista qui idem illud præceptum extulit, μὴ ἀποστερήσῃς: idque cum iam ante posuisset, μὴ κλέψῃς: Atque eo sensu vox Hebræa & ei respondens Græca reperiuntur tũ Mich. II.2. tum alibi. Inchoata ergo delicta armis vindicanda non sunt, nisi & res sit grauis, & eo processum sit vt ex tali actu aut certum malum, etsi nondum illud quod intendebatur, secutum iam sit, aut certe ingens periculum, ita vt vindicatio aut coniuncta sit cum cautione futuræ noxæ (de qua supra egimus in capite de defensione) aut dignitatem læsam tueatur aut pernitioso exemplo occurrat. C.IX.

XL. Sciendum quoque est reges & qui par regibus ius obtinent ius habere pœnas poscendi non tantum ob iniurias in se aut subditos suos commissas, sed & ob eas quæ ipsos peculiariter non tangunt, sed in quibusuis personis ius naturæ aut gentium immaniter violant. Nam libertas humanæ societati per pœnas consulendi, quæ initio vt diximus penes singulos fuerat, ciuitatibus ac iudiciis institutis penes summas potestates resedit, non proprie qua aliis imperant, sed qua nemini parent. Nam subiectio aliis id ius abstulit. Imo tanto honestius est alienas iniurias quam suas vindicare quanto in suis magis metuendum est nequis doloris sui sensu aut modum excedat

aut

aut certe animum inficiat. & hoc nomine ab antiquis prædicatus est Hercules quod Antæo, Busyride, Diomede & similibus tyrannis liberarit terras, quas vt Seneca de eo loquitur transiit non concupiscendo, sed vindicando, maximorũ bonorum auctor hominibus, vt Lysias de eo loquitur, iniustos puniendo: Et Theseus quod latrones Scyronem & Procusten sustulerit, quem sic de se loquentem Supplicibus inducit Euripides:

1. De benefi. c. 14. Isocr. Hel. Enc.

Pridem facinora nomen hoc per Græciam
Mihi dederunt, vltor vt scelerum vocer.

Sic non dubitamus quin iusta sint bella in eos qui in parentes impii sunt, hospites occidunt, qui humanam carnem epulantur, qui piraticam exercent. Seneca: *Si non patriam meam impugnat, sed suæ grauis est, & sepositus à mea gente suam exagitat, abscidit nihilominus illum tanta prauitas animi.* Augustinus: *Si aliqua terrena ciuitas decerneret scelera quædam magna fieri, decernente genere humano euertenda foret.* De talibus enim barbaris & feris magis quam hominibus dici recte potest quod de Persis qui Græcis nihilo deteriores erant peruerse dixit Aristoteles, naturale in eos esse bellum, & quod Isocrates Panathenaico dixit, iustissimum esse bellum in belluas, proximum in homines belluis similes. Et eatenus sententiam sequimur Innocentii & aliorum qui bello aiunt peti posse eos qui in naturam delinquunt: contra quam sentiunt Victoria, Vasquius, Azorius, Molina, alii, qui ad iustitiam belli requirere videntur, vt qui suscipit aut læsus sit in se aut re publica sua, aut vt in eum qui bello impetitur iurisdictionem habeat. Ponunt enim illi puniendi potestatem esse effectum proprium iurisdictionis ciuilis, cum nos eam sentiamus venire etiam ex iure naturali, qua de re aliquid diximus libri primi initio. Et sane si illorum à quibus

III. De benef.

L. V. de Ciu. Dei.

Innoc. c. quod super his: de voto Arch. Flor. 3. part. tit. 22. § 5. Sylu. in verbo Papa. § 7. Vict. Rel. 1. de Indis. n. 40. Vasq. cont. ill. l. 1. § 25.

dissen-

dissentimus admittatur sentētia, iam hostis in hostem puniendi ius non habebit, etiam post susceptum bellum ex causa non punitiua: quod tamen ius plerique concedunt & vsus omnium gentium confirmat, non tantum postquam debellatum est sed & manente bello, non ex vlla iurisdictione ciuili, sed ex illo iure naturali quod & ante institutas ciuitates fuit, & nunc etiam viget, quibus in locis homines viuunt in familias non in ciuitates distributi.

XLI. Sed cautiones hic nonnullæ adhibendæ sunt: prima, ne mores ciuiles quamuis inter multos populos non sine ratione recepti sumantur pro iure naturæ: qualia ferme erāt illa quæ Persas à Græcis disparabant, ad quæ recte Plutarchi illud referas: προφασιν πλεονεξίας ἡμερῶσαι τὸ βαρβαρικὸν, *barbaras gentes ad mores cultiores reducere velle obtentum esse quo veletur alieni cupiditas.*

XLII. Secunda ne temere annumeremus à natura vetitis ea de quibus id non satis constat, & quæ lege potius diuinæ voluntatis interdicta sunt, in qua classe forte ponere liceat innuptos concubitus, & quosdam eorum qui incesti dicuntur, & fœnus.

XLIII. Tertia, vt diligenter distinguamus inter principia generalia, quale est honeste viuendum, id est secundum rationem, & quædam his proxima, sed ita manifesta vt dubitationem non admittant, quale est alteri suum non rapiendum, & inter illationes quarum aliæ facilem habent cognitionem, vt posito matrimonio non admittendum adulterium, aliæ vero difficiliorem, vt vltionem quæ in dolore alterius acquiescit esse vitiosam. Ferme idem hic euenit quod in mathematicis, vbi quædam sunt notitiæ primæ, aut primis proximæ, quædam demonstrationes quæ statim & intelliguntur & assensum obtinent, quædā veræ quidem, sed non omnibus patentes. Sicut ergo circa

leges

leges ciuiles eos excusamus qui legum notitiam aut intellectum non habuerunt, ita & circa naturæ leges par est eos excusari quibus aut ratiocinationis imbecillitas aut praua educatio obstat. Nam ignorantia legis sicut ineuitabilis si sit tollit peccatum; ita etiam cũ aliqua negligentia coniuncta delictum minuit. Atque ideo Aristoteles barbaros qui prauè educati circa talia delinquunt iis comparat qui morbo corruptos habent appetitus. Postremo illud addendum, quod semel dico ne sæpe repetam, quę ad pœnam exigendam suscipiuntur bella suspecta esse iniustitiæ, nisi scelera sint atrociſſima & manifestissima aut alia simul aliqua causa concurrat.

Nicom. VII.

XLIV. Perduxit nos ordo ad delicta quæ in Deum committuntur. quæritur enim an ad ea vindicanda bellum suscipi possit quod late satis tractat Couarruuias. Sed ille alios secutus existimat punitiuam potestatem non esse sine proprie dicta iurisdictione: quam sententiam nos iam ante reje.imus. Vnde sequitur sicut in rebus Ecclesiæ dicuntur Episcopi aliquo modo πρὸ καθολικῶ πεπιστεῦσθαι, id est vniuersalis Ecclesiæ curam accepisse, ita & regibus præter peculiarem suæ ciuitatis etiam generalem pro humana societate curam incumbere. Potior ratio pro sententia negante iusta esse bella talia, hæc est, quod Deus sufficiat vindicandis quæ in se committuntur, vnde dici solet, *Deorum iniurias diis curæ, & periurium satis Deum habere vltorem.* Verum sciendum est idem & de aliis delictis dici posse. Nam illis quoque puniẽdis Deus haud dubiè sufficit & tamen ea ab hominibus recte puniuntur nemine dissentiente. Instabunt quidam & dicent alia delicta ab hominibus puniri quatenus homines alii inde læduntur aut periclitantur. Sed notandum contrà, non tantum ab hominibus puniri delicta quæ directe

v. Pectatum. p. II. §. 10.

alios

alios lædant, sed & quæ per consequentiam, qualis est sui occisio, concubitus cum bestiis & alia quædam. Religio autem quanquam per se ad conciliandam Dei gratiam valet, habet tamen & suos in societate humana effectus maximos. Neque enim immerito Plato religionem propugnaculum potestatis ac legum & honestæ disciplinæ vinculum vocat. Plutarchus similiter στωεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας καὶ νόμου θεσίας ἔρεισμα coagulum omnis societatis & fundamentum legislationis. Philoni quoque est φίλτρον ἀνυσιμώτατον καὶ δεσμὸς ἄλυτος εὐνοίας ἐρωτικῆς ἢ τῆς ἑνὸς θεοῦ τιμῆς: efficacissimum amatoriũ & vinculum indissolubile beneuolæ amicitiæ vnius Dei cultus. Contraria omnia ab impietate:

Heu primæ scelerum causæ mortalibus ægris Sil. Italicus.
Naturam nescire Dei.

Hinc Chrysippus legem dixit reginam diuinarum humanarumque rerum: & Aristoteli inter curas publicas prima de rebus diuinis, & Romanis iurisprudentia diuinarum humanarumque rerum notitia. VII. Tol. 81

Hæc vero omnia non tantum in vna aliqua ciuitate consideranda sunt, vt cum apud Xenophontem Cyrus ait subditos hoc sibi addictiores fore quo Dei essent metuentiores, sed & in communi societate generis humani. *Pietate sublata*, inquit Cicero, *fides etiam & societas humani generis & vnà excellentissima virtus iustitia tollitur.* L. 1. de Nat. Deor. Imo maiorem etiam vsum habet religio in maiori illa quam in ciuili societate, quia in ciuili partem eius supplent leges & facilis legum exsecutio: cum contrà in magna illa communitate iuris exsecutio sit difficillima vt quæ nisi armis expleri nequeat, & leges paucissimæ: quæ ipsæ insuper sanctimoniam suam habent præcipue metu numinis, vnde qui in ius gentium peccant diuinum ius violare passim dicuntur. Non male ergo religionem cõtaminatam ad omnium pertinere

l. 4. C. de haeret. tinere iniuriam dixere Imperatores.

XLV. Vt rem totam penitius introspiciamus, notandum est religionem veram quæ omnium ætatum communis est quatuor præcipue pronuntiatis niti, quorum primum est Deum esse, & esse vnum. Secundum Deum nihil esse eorum quæ videntur, sed his aliquid sublimius: tertium à Deo curari res humanas, & æquissimis arbitriis diiudicari: quartum eundem Deũ opificem esse rerum omnium extra se: quo simul summa eius bonitas ac potentia indicantur. Hæc quatuor totidem Decalogi præceptis explicantur. Nam primo aperte traditur Dei vnitas: secundo natura eius inconspicua: nam propter eam imago eius exstrui vetatur. Deuteron. IV. 12. Quomodo & Antisthenes dicebat: Ὀφθαλμοῖς οὐχ ὁρᾶται οὐδενὶ ἔοικεν, διόπερ αὐτὸν οὐδεὶς ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος δύναται; *Oculis non conspicitur: rei nulli est similis: vnde nec quisquam eum potest ex effigie cognoscere.* Philo autem: τὸν ἀόρατον εἰκονογραφεῖν ἢ ἐπιπλάσσειν οὐχ ὅσιον; *Profanum est eius qui inconspicuus est pingendo aut fingendo imaginem exhibere.* Tacitus: *Iudæi mente sola vnumq; numen intelligunt: profanos qui Deûm imagines mortalibus materiis in speciem hominum effingunt.* Plutarchus vero cur Numa de templis simulachra sustulerit causam hanc reddit: ὡς οὐκ ἐφάπτεσθαι θεοῦ δυνατὸν ἄλλως ἢ νοήσει. *Quod Deus concipi nisi sola mente non possit.* Tertio præcepto cognitio & cura rerum humanarum, etiam cogitationum: nam id iurisiurandi fundamentum est. Deus enim testis etiam cordis, & si quis fallat vindex inuocatur, quo ipso simul & iustitia Dei significatur & potentia. Quarto origo mundi totius auctore Deo, in cuius rei memoriam institutum fuit olim sabbathum, & quidem singulari quadam sanctimonia supra ritus alios. Nam si quis in alios ritus peccasset pœna legis erat arbitraria, vt de cibis vetitis; si in hunc pœna capitis: quia sabbati

violatio

violatio ex instituto continebat abnegationem mundi à Deo creati. Mundus autem à Deo creatus & bonitatem eius & sapientiam & æternitatem tacite indicat. Ex his autem notionibus contemplatiuis sequuntur actiuæ, vt Deum honorandum, amandum, colendum, eique obtemperandum. Istarum autem quas contemplatiuas diximus notionum veritas haud dubie etiam petitis ex rerum natura argumentis demonstrari potest, inter quæ illud validissimum est quod res aliquas esse factas ostendat sensus, res autem factæ omnino nos ad aliquid non factum deducant. Sed quia hanc rationem & similes alias non omnes capiunt, sufficit quod ab omni æuo per omnes terras, paucissimis exceptis, in has rationes consenserunt & hi qui crassiores erant quam vt vellent fallere, & alii sapientiores quam vt fallerentur: quæ consensio in tanta & legum & opinionum aliarum varietate satis ostendit aut lucem quandam animis insitam quæ vi suapte animum feriat, aut traditionem à primis hominibus ad nos propagatam, ac nunquam solide refutatam, quorum vtrumuis ad fidem faciendam satis est.

XLVI. Quare non vacant culpa qui etiamsi hebetioris sint ingenii quam vt certa ad illas notiones argumenta aut reperire possint, aut comprehendere, eas repudiant, cum & ad honestum sint duces, & diuersa sententia nullis argumentis nitatur. Sed quia de pœnis & quidem humanis agimus, discrimen hic adhibendum est inter notiones ipsas, & inter modum ab iis discedendi. Hæ notiones, numen aliquod esse (vnum an plura sepono) & curari ab eo res hominum, maxime sunt vniuersales & ad religionem siue veram siue falsam constituendam omnino necessariæ. τὸν θεοσεβούμενον τοῦ θεοῦ (id est *qui religionem habeat*: nam religio Hebræis accessus ad Deum vocatur) πίστιν δεῖ

ὅπ δεῖ, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται. *eum credere oportet & esse Deum, & ab eo præmia dari se colentibus.* Similiter Cicero: *Sunt Philosophi & fuerunt qui nullam haberet censerẽt humanarum rerum procurationem Deos, quorum si vera sententia est quæ potest esse pietas, quæ sanctitas, quæ religio? Hæc enim omnia pure ac caste tribuenda Deorũ ita numini sunt, si animaduertuntur ab his & si est aliquid à Diis immortalibus humano generi tributum.* Et reuera negare Deum esse aut negare à Deo curari actiones humanas, si moralẽ effectum respicimus, tantundem valet. Quare ipsa quasi necessitate auctore hæ duæ notiones apud omnes ferme quos nouimus populos per tot iam sęcula cõseruatæ sunt. Hinc Pomponius erga Deum religionem, iuri ascribit gentium: & apud Xenophontem, Socrates τὸ θεὸν σέβειν, Deos colere legem esse, ait, quæ apud omnes homines valeat: quod & Cicero tum de natura Deorum libro primo, tum secundo de inuẽtione affirmat. Has igitur notitias qui primi incipiunt tollere, sicut in bene constitutis ciuitatibus coerceri solent, vt Diagoræ Melio accidisse legimus, & Epicureis qui ex bene moratis vrbibus eiecti sunt, ita & coerceri posse arbitror nomine humanę societatis quam sine ratione probabili violant.

L. veluti de Iust. & iure.

Ælii. lib. IX.

XLVII. Cæteræ notiones non æque sunt euidentes, vt Deos plures vno non esse: nihil eorum quæ videmus Deum esse, non mundum, non cœlum, non solem, non aërem: mundum non esse ab omni æternitate, ac ne eius quidem materiam, sed à Deo facta. Itaque harum cognitionem temporum lapsu apud multos populos obliteratam, & quasi extinctam videmus, eoque facilius quia leges hanc partem minus curabant vt sine qua aliqua saltem consistere religio posset. Ipsa lex Dei illi populo data quem Prophetæ & prodigia partim conspecta, partim non dubitandæ auctо-

auctoritatis fama ad ipsos perlata, cognitione harum rerum nec obscura, nec incerta imbuerant, quanquam falsorum deorum cultus maxime detestatur, non tamen omnes eius culpæ conuictos morte punit, sed eos demum quorum facta circumstantiam habent singularem, vt eum qui princeps alios seduxerit. Deut. XIII. 16. ciuitatem quæ incepit colere deos ante ignotos. Deut. XIII. 23. eum qui astra colit, vt legem totam ac proinde Dei veri cultum deserat. Deut. XVII. 2. (quod Paulo est λατρεύειν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα opificio seruire non opifici: nam παρὰ ibi & alibi sæpe vim habet exclusiuam) eum quoque qui liberos suos Molocho dederit. Leuit. XX. 2. Cananæos vero & vicinos illis populos pridem delapsos ad prauas superstitiones non statim Deus puniendos iudicauit, sed tum demum cum hanc culpam magnis sceleribus cumulassent. Gen. X V. 16. Sic & in aliis populis dissimulauit ignorantiæ tempora circa falsorum numinum cultus. Act. X VII. 38. Nimirum recte à Philone dictum est, religionem suam cuique videri optimam, vt quæ plerumque non ratione sed affectu dijudicetur. Sicut autem excusabiles sunt & ab hominibus certe non puniendi, qui cum legem à Deo proditam nullam acceperint, aut astrorum, aut aliarum rerum naturalium virtutes, aut spiritus, siue in imaginibus, siue in animantibus, siue in rebus aliis colunt, aut etiam animas eorum qui virtute & beneficiis in humanum genus excelluerunt, aut mentes quasdam incorporeas, præsertim si nec ipsi tales cultus commenti fuerint, nec summi Dei cultum ideo deserant: ita impiis magis quam errantibus annumerandi sunt, qui aut cacodæmonas quos tales esse norunt, aut vitiorum nomina, aut homines quorum vita fuit flagitiis plena, diuinis honoribus colere

Leg. ad Caium.

instituunt. Nec minus illi qui Deos colunt hominum innocentum sanguine, à quo more quod Carthaginienses abstinere coegerit laudatur Gelo.

XLVIII. Quid de illis armis dicemus quæ inferuntur populis aliquibus eam ob causam, quod illi Christianam religionem sibi propositam amplecti nolunt? Non iam quæram an talis proponatur qualis debet, & quomodo debet. Demus ita fieri: duo notanda dicimus. Prius est veritatem Christianæ religionis, quatenus scilicet naturali religioni non pauca superaddit, naturalibus argumentis persuaderi non posse, sed niti historia tum resurrectionis Christi, tum miraculorum ab ipso & Apostolis editorum: quæ res est facti olim quidem irrefragabilibus testimoniis probata, sed olim, ita vt & hæc quæstio facti sit, & iam perantiqui: Quo fit, vt doctrina hæc ab his qui nunc primum eam audiunt penitus in animum admitti nequeat nisi secretis Dei auxiliis accedentibus, quæ sicut quibus dantur non dantur in operis alicuius mercedem, ita si quibus negantur aut minus large conceduntur id fit ob culpas quidem peculiares, sed maxime internas, & nobis incognitas ac proinde humano iudicio non punibiles. Huc respicit Canon concilii Toletani: *Præcipit sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat.* Mos enim est sacrorum librorum quarum rerum causæ nos latent eis causam assignare diuinam voluntatem. Alterum hoc est, Christo nouæ legis auctori omnino hoc placuisse vt ad legem suam recipiendam nemo huius vitæ pœnis aut earum metu pertraheretur. Roman. VIII. 15. Hebr. II. 15. Ioh. VI. 67. Luc. IX. 54. Matt. XIII. 24. quo sensu verissimum illud Tertulliani: *Lex noua non se vindicat vltore gladio.* Athanasius: *Dominus non cogens, sed libertatem suam voluntati permittens dicebat quidem*

cap. de Iudæis. dist. 45.

quidem vulgo omnibus: Si quis vult venire post me: Apostolis vero: num quid & vos abire vultis? Nec obstat illud in fabula de nuptiis, quod quidam iubentur cogi intrare. Luc. XIV. 13. nam sicut in ipsa fabella illud cogere instantiam vocatoris significat, ita & in affabulatione, quo sensu vox eiusdem significationis accipitur: Luc. XXIV. 29. nec aliter Matth. XIV. 22. Marci VI. 45. Gal. II. 14. Procopius in arcana historiæ parte docet à sapientibus culpatum fuisse Iustiniani consilium, quod Samaritas vi ac minis ad Christianam religionem compulerit: addit & incommoda inde secuta quæ apud ipsum legas.

XLIX. Qui vero Christianismum docentes aut profitentes eam ob causam pœnis subdunt, haud dubie faciunt contra ipsam rationem. nihil enim est in disciplina Christiana (ipsam hic per se considero, non quatenus ei insincerum aliquid admiscetur.) quod humanæ societati noceat, imo nihil quod non prosit. Res ipsa loquitur, & extranei coguntur agnoscere. Plinius Christianos sacramento inter se obstringi ait, ne furta, ne latrocinia committant, ne fidem fallant. Zosimus δέξαι, vocat πάσης ἁμαρτάδος ἀναιρετικὴν persuasionem quæ vitium omne exscindat: Ammianus ea religione nihil ait doceri, nisi iustum & lene. Et vulgi verbum, *Bonus vir Caius Seius tantum quod Christianus.* Nec admittendæ excusationes, noua omnia metuenda, præsertim cœtus: nam neque metuenda sunt dogmata quamuis noua, si modo ad honesta omnia atque ad exhibendam superioribus obedientiam ducant nec suspecti esse debent cœtus proborum hominum, & qui latere non quærunt nisi cogantur. Recte huc aptem quod Augustum de Iudæorum conuentib⁹ dixisse Philo commemorat: non eos bacchanalia esse

Tert. Apol. c. 3. & 1. aduers. Nat. c. 4.

aut cœtus turbandæ paci, sed virtutum scholas. Qui in tales sęquiunt ipsi in ea causa sunt vt puniri iuste possint, quod & Thomæ videtur. Atque eam ob causam Constantius Licinio, Imperatores alii Persis bellum intulerunt: quanquam hæc bella magis ad innocentum defensionem, de qua & infra agemus, quam ad pœnæ exactionem pertinent.

Th. 2. 2. q. 108.

L. In eos vero qui Christi legem pro vera habent, sed de quibusdam quæ aut extra legem sunt aut in lege sensum videntur habere ambiguum & ab antiquis Christianis non eundem in modum sunt exposita, dubitant aut errant, suppliciis qui grassantur perinique faciunt: quod ostendunt & ea quæ ante diximus, & Iudæorum exemplum vetus. Nam hi cum legem haberent quæ suppliciis huius vitæ sanciebatur, nunquam tamen pœnis subdiderunt Sadducæos qui reiiciebant dogma resurrectionis, verissimum quidem, sed in ea lege non nisi obscure & sub verborum aut rerum inuolucris traditum. Quid si vero grauior sit error, & qui apud æquos iudices facile possit sacra autoritate aut veterum consensu reuinci? cogitandum hic quoque quanta sit vis inolitæ opinionis, & quantum libertatem iudicii minuat in suam cuiusque sectam studium, malum, vt Galenus ait, quavis scabie insanabilius. Apposite ad hanc rem Origenes: εὐχερέστερόν γε ἄνθρωπος πὰς περὶ ἄλλα σωτηρίας, κἂν δυσαποσπάστως αὐτοῖς ἔχῃ, καταλείψαι ἄν, ἢ πὰς περὶ τὰ δόγματα. *Facilius quis alia sibi consueta exuat, quantumuis illis affixus sit, quam ea quæ dogmatum sunt.* Adde quod quanta hæc sit culpa pendet ex modo illuminationis & aliis animi dispositionibus quas hominibus pernoscecere non est datum. Hæreticus Augustino is demum qui alicuius temporalis commodi & maxime gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac nouas opiniones

vel

vel gignit vel sequitur. Audiamus de Arianis Saluianum: *Hæretici sunt, sed non scientes: denique apud nos sunt hæretici, apud se non sunt: nam in tantum se Catholicos esse iudicant, vt nos ipsos titulo hæreticæ prauitatis infament, Quod ergo illi nobis sunt & hoc nos illis. Nos illos iniuriam diuinæ generationi facere certi sumus, quod minorem patre filium dicant. Illi nos iniurioſos patri existimant quod æquales esse credamus. Veritas apud nos est, sed illi apud se esse præsumunt. Honos Dei apud nos est, sed illi hoc arbitrantur honorem diuinitatis quod credunt. Inofficiosi sunt, sed illis hoc est summum religionis officium. Impii sunt, sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergo, sed bono animo errant, non odio, sed affectu Dei, honorare se dominum, atque amare credentes. Quamuis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æstimant caritatem, & qualiter pro hoc ipso falsæ opinionis errore in die iudicij puniendi sint, nemo potest scire nisi iudex. Interim iccirco eis, vt reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos etsi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare.* De Manichæis audiamus eum qui in illorum craſſis ſordibus diu hæſit Auguſtinum. *Illi sæuiant in vos qui nesciunt quo cum labore verum inueniatur: & quam difficile caueantur errores. illi in vos sæuiant qui nesciunt quam rarum & arduum sit carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæuiant, qui nesciunt quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, vt possit intueri solem suum: Illi in vos sæuiant, qui nesciunt quantis gemitibus & suspiriis fiat vt ex quantulacunque parte possit intelligi Deus: Postremo illi in vos sæuiant qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident. Ego autem sæuire in vos omnino non possum, quos sicut me ipsum illo tempore, ita nunc debeo sustinere, & tanta patientia vobiscum agere, quanta mecum egerunt proximi mei cum in vestro dogmate rabiosus & cæcus errarem.* In Arianam hæreſin acriter inuehitur Athanaſius epiſtola ad ſolitarios quod prima in contradi-

centes vsa esset iudicum potestate, & quos non potuisset verbis inducere, eos vi, plagis, carceribusque ad se pertrahere anniteretur: *Atque ita*, inquit, *se ipsam quam non sit pia, nec Dei cultrix manifestat*, respiciens ni fallor ad illud quod legitur Gal. IV. 29. Similia habet Hilarius oratione ad Constantium. In Gallia iam olim damnati sunt Ecclesiæ iudicio Episcopi qui vt in Priscillianistas gladio animaduerteretur curauerant, & in Oriente damnata Synodus, quæ in Bogomili exustionem consenserat.

LI. Iustius illi punientur qui in eos quos Deos putant irreuerẽtes atque irreligiosi sunt: Atque hæc causa inter cæteras allata belli Peloponnesiaci inter Athenienses & Lacedæmonios, & à Philippo Macedone in Phocenses. Nimirum & Augustinus existimat auctum à Deo Imperium Romanorum quod cordi illis fuisset quamuis falsa religio: Et supra diximus qualiacumque quæ putantur numina peierata à vero numine vindicari. *Punitur, quia tanquam Deo fecit*, ait Seneca: *opinio illum sua obligat pœna*. Sic accipio & illud Senecæ: *Violatarum religionum aliubi atque aliubi diuersa pœna est, sed vbique aliqua*: Et quod Plato capitis damnat religionis temeratores.

VII. de ben. c. 7.
III. de ben. 6.
De legibus 10.

CAPVT XXI.

De pœnarum communicatione.

I. *Pœna quomodo transeat ad eos qui delicti sunt participes.*
II. *Communitas aut rectores tenentur ex subditi delicto si adsit scientia & non prohibitio cum prohibere possint & debeant:*
III. *Item ex receptu eorum qui alibi deliquerunt:*

IV. *Nisi*

IV. Nisi aut puniant aut dedant: quod exemplis illustratur.
V. Iura supplicium ad infortunatos non ad nocentes pertinere.
VI. Defendi tamen supplices dum de causa cognoscitur: & ex quo iure faciendâ cognitio.
VII. Quomodo delicti rectorum participes sint subditi aut communitatis hi qui eius membra sunt: & quomodo differant pœna communitatis & pœna singulorum.
VIII. Pœnæ ius in vniuersitatem quamdiu duret.
IX. An sine delicti communicatione pœna transeat.
X. Distinctio eius quod directo infertur & quod in consequentiam venit.
XI. Distinctio eius quod fit occasione peccati & quod ex causa peccati.
XII. Propriè loquendo neminem iuste puniri ob delictum alienum & cur?
XIII. Non filios ob parentum delicta:
XIV. Respondetur ad Dei facta circa filios nocentum:
XV. Multo minus cognatos alios.
XVI. Posse tamen liberis & cognatis nocentum aliquid negari quod alioqui habere poterant: cum exemplis.
XVII. Nec subditos propriè puniri posse ob regis delictum:
XVIII. Nec singulos qui non consenserunt ob delictum vniuersitatis.
XIX. Hæredem ad pœnam quà pœna est non teneri: & cur.
XX. Teneri tamen si pœna in aliud debiti genus transierit.

I. QVOTIES de pœna communicandâ quæritur, aut de iis quæritur qui delicti sunt participes, aut de aliis. Qui delicti participes sunt, non tam ex alieno quam ex suo delicto puniuntur. Hi qui sint, ex his quæ supra de damno iniuria dato dicta sunt intelligi potest. Fermè enim iisdem modis in delicti partem quis venit, quo in damni dati: non tamen semper vbi damni obligatio est etiam delictum est, sed

tum demum si qua malitia notabilior accesserit, cum ad damni dati obligationem sæpe qualiscumque culpa sufficiat. Ergo qui factum vitiosum iubent, qui consensum requisitum adhibent, qui adiuuant, qui receptum præstant, alioue modo in ipso crimine participant: qui consilium dant, laudant, assentantur: qui cum ex iure proprie dicto teneantur vetare non vetant, aut cum teneantur ex simili iure opem ferre iniuriam patienti non ferunt, qui non dissuadent cum dissuadere debeant, qui factum reticent quod notum facere ex iure aliquo tenebantur, hi omnes puniri possunt, si in ipsis talis sit malitia quæ ad meritum pœnæ sufficiat secundum ea quæ proxime tractata sunt.

II. Exemplis res fiet illustrior. Communitas vt alia ita & ciuilis non tenetur ex facto singulorum sine facto suo aut omissione. bene enim Augustinus: *Aliud est quod in populo quisque habet peccatum proprium, aliud quod commune, quod vno animo fit & vna voluntate ad aliquid multitudine comparata committitur.* Hinc in formula fœderum est: *Si defexit publico consilio.* Zeno pro Magnetibus deprecator apud T. Quintium, & legatos qui ei aderant flens petebat, ait Liuius, *ne vnius amentiam ciuitati assignarent; suo quemque periculo furere.* Liu. lib. XLV. Et Rhodij apud senatum publicam causam à priuatorum causa segregant dicentes, *nullam esse ciuitatem quæ nõ improbos ciues aliquando, & imperitam multitudinem semper habeat.* Sic nec pater ex delicto liberorum tenetur, nec dominus ex serui, nec alij qui præsunt, nisi aliquid in ipsis vitiosum hæreat. Ex his autem modis quibus rectores aliorum in crimen veniunt, duo sunt qui maximum vsum habent, & diligenti consideratione indigent: patientia & receptus. De patientia ita habendum est: qui scit delinqui, qui prohibere

hibere potest & tenetur nec prohibet, eum ipsum delinquere. Ἴσον τῷ πλημμελεῖν τὸ μὴ κωλύειν τοὺς πλημμελοῦντας, ait Agapetus ad Iustinianum: *par est delinquere & delinquentes non prohibere.* *Quisquis patitur peccare peccantem, is vires submministrat audaciæ*, ait Arnobius. *In cuius manu est vt prohibeat, iubet agi, si non prohibet admitti*, ait Saluianus. Augustinus vere: *Qui desinit obuiare cum potest, consentit.* Sic qui mancipium cum possit eximere prostitutum esse patitur pro prostituente habetur Romanis legibus. Si seruus sciente domino occidit, in solidum dominum obligat: ipse enim videtur dominus occidisse. Et lege Fabia in dominum animaduertitur si seruus domino sciente alienum seruum subduxerit. Sed vt diximus præter scientiam requiritur facultas prohibendi. Et hoc est quod aiunt leges scientiam cum puniri iubetur accipi pro patientia, vt qui prohibere potuit teneatur si non fecerit, & scientiam hic spectari quæ habeat & voluntatem: scientiam accipi cum consilio ideoque non teneri dominum si seruus in libertatem proclamauerit, si dominum contemserit: quia scilicet culpa vacat qui scit quidem sed prohibere non potest. Sic parentes tenentur ex delictis filiorum, sed eorum demum quos habent in potestate. Vicissim etiamsi in potestate habeant & alioqui prohibere potuerint non tenebuntur nisi & sciuerint. Pariter enim concurrere hæc debent, scientia, & non prohibitio vt quis ex facto alieno teneatur quæ omnia ad subditos pari ratione sunt referenda. Veniunt enim ex naturali æquitate. Egregie Proclus ad illud Hesiodi:

πολλάκι καὶ ξυμπάσα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἔπλησεν
Sæpe luit populus pœnas vnius iniqui.

ait: ὡς ἐξὸν κωλύειν, μὴ κωλύουσα τὸ ἑνὸς πονηρεύεσθαι, vt qui cum

Adu. gent. l. 1.

l. Imperator D. qui sine manum.

l. 2. de noxal. act.

Paul. l. V. Sent.

l. Scientiæ ad l. aquil. l. 1. §. Hac autē. si fam. furt. f. d. l. in delictis. de nox. act. l. Culpa. de R. I. l. nullum crimen. eo. tit. l. 1. §. qui eam. in fine. l. Quid ergo. §. 1. l. Non alia. D. qui not. inf. l. Furtum. §. quod si. D. arb. furt. cæsar.

cum prohibere possit non prohibet vnius malitiam. Sic in exercitu Græcorum vbi Agamemnon ipse & alii concilio communi subserant, non immerito

Quicquid delirant reges plectuntur Achiui:

Ipsorum enim erat cogere Agamemnonem vt sacerdoti filiam redderet; sic post eorundem classis exusta narratur *vnius ob culpam & furias Aiacis Oilei*, quia cæteri non impedierant ne virgo sacerdos raperetur. Apud Liuium est: *Propinqui regis Tatii legatos Laurentium pulsant: Cumque Laurentes iure gentium agerent, apud Tatium gratia suorum & preces plus potuerunt. Igitur illorum pœnam in se vertit.* Huc proprie pertinet illud Saluiani de regibus: *Potestas magna & potentissima quæ prohibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri si sciens patitur perpetrari.* Et apud Thucydidem est, ὁ δυνάμενος παῦσαι, ἀληθέστερον ἀρχῆς; *Magis ille facit qui potest prohibere.* Sic apud Liuium Veientes & Latini Romanis se excusant, quod hostes eorum à subditis suis adiuti essent se insciis. Contra Teucæ reginæ Illyriorum non accipitur excusatio quod diceret non à se, sed à subditis piraticam exerceri, neque enim prohibebat. Olim ab Amphictyonibus damnati Scyrii quod suorum quosdam piraticam exercere patiebantur. Sciri autem facile est vt præsumantur quæ conspicua sunt, quæ frequentia. Ætolos grauiter reprehendit Polybius, quod cum hostes Philippi videri nollent suos tamen palam paterentur agere hostilia, & eorum qui talia facerent principes honoribus ornarent.

Liu. lib. 1.

Lib. 1. Lib. 1. & VI. Polyb. lib. II.

III. Veniamus ad quæstionem alteram de receptu aduersus pœnas. Pœnæ vt ante diximus naturaliter à quouis cui nihil simile obiici potest exigi possunt. institutis ciuitatibus id quidem conuenit vt singulorum delicta quæ ipsorum cœtum propriè spectant ipsis ipsarumque rectoribus pro arbitrio punienda aut dissimulanda relinquerentur. at non etiam ius tam plenum

ium illis concessum est in delictis quæ ad societatem humanam aliquomodo pertinent, quæ persequi ita ciuitatibus aliis earumve rectoribus ius est, quomodo in ciuitatibus singulis de quibusdam delictis actio datur popularis: multoque minùs illud plenum arbitrium habent in delictis quibus alia ciuitas aut eius rector peculiariter læsus est, & quo proinde nomine ille illáve ob dignitatem aut securitatem suam ius habent pœnæ exigendæ secundum ea quæ ante diximus. Hoc ergo ius ciuitas apud quem nocens degit eiusve rector impedire non debet.

IV. Cùm verò non soleant ciuitates permittere vt ciuitas altera armata intrà fines suos pœnæ expetendæ nomine veniat, neque id expediat, sequitur vt ciuitas apud quem degit qui culpæ est compertus alterum facere debeat, aut vt ipsa interpellata pro merito puniat nocentem, aut vt eum permittat arbitrio interpellantis. hoc enim illud est dedere quod in historiis sæpissimè occurrit. Sic Israëlitæ alii à Beniaminitis postulant vt dedant facinorosos. Iudic. xx. Philistæi ab Hebræis vt Samsonem quasi maleficum sibi dedant. Iudic. xv. Sic Lacedæmonii Messeniis bellum intulerunt quod interfectorem quendam Lacedæmoniorum non dederent. Sic Cæsarem Germanis ob bellum iniustè illatum dedit voluit Cato. Sic Fabios sibi dedi Galli postulabant quod in se pugnassent. Ab Hernicis agri sui populatores dedi sibi postularunt Romani & à Pœnis Annibalem. ab ipsis Romanis dediti qui Carthaginiensium quique Apolloniatarum legatis manus intulerant. Quæ omnia tamen sic intelligenda sunt, vt non stricte populus aut rex ad dedendum teneatur, sed vt diximus ad dedendum aut puniendum. Nam ita legimus Eleos bellum intulisse Lacedæmoniis

Paus. lib. XIV.

Liu. lib. XXXVIII. Val. Max. LVI. c. 6.

niis quod illi in eos qui Eleis iniuriam feciſſent non animaduerterent: id eſt nec animaduerterẽt nec reos dederent. eſt enim diſiunctiua obligatio. Interdum fontes depoſcentibus optio datur quo cumulatius ſatisfiat. Cæries apud Liuium Romanis ſignificant:

Liu. l. VII. *tranſeuntes agmine infeſto per agrum ſuum Tarquinienſes cum præter viam nihil petiiſſent traxiſſe quoſdam agreſtium populationis eius quæ ſibi crimini detur comites: Eos ſeu dedi placeat, dedere ſe paratos eſſe ſeu ſupplicio affici daturos pœnas.* In fœdere Carthaginienſium & Romanorum ſecundo, quod apud Polybium, exſtat locus male vulgo & diſtinctus & verſus: εἰ δὲ μὴ, ἰδίᾳ μεταπορευέσθω· ἐὰν δέ τις τοῦτο ποιῇ δημόσιον γινέσθω τὸ ἀδίκημα. *Ne id fiat* (quid id ſit incertum eſt: nam quæ præcedunt ſunt mutila) *priuatim quiſque ius ſuum perſequitor. Id vbi fecerit* (nimirum ni ius reddatur) *publicum delictum habetor.* Æſchines in reſponſo aduerſus accuſationem Demoſthenis de male obita legatione, narrat ſe cum apud Philippum Macedonem ageret de pace Græciæ, dixiſſe inter alia æquum eſſe vt pœnas luerent commiſſorum criminum non ciuitates, ſed qui peccaſſent: nec quicquam nocendum ciuitatibus quæ accuſatos iudicio ſiſterent. Hîc de deditis occurrit quæſtio, an ſi à ſua ciuitate dediti, nec recepti ſint ab aliis, ciues maneant. Non manere cenſebat Pub. Mutius Scæuola, quia quem populus dedidiſſet expuliſſe ex ciuitate ſua videretur, ſicut faceret eum aquâ & igni interdiceret. Contrariam ſententiam defendit Brutus, & poſt eum Cicero: quæ & verior eſt, non tamen proprie ob id argumentum quod Cicero affert, quia vt donatio ita deditio ſine acceptione non poſſit intelligi. Nam actus donationis perfectionem non habet niſi ex duorum conſenſu.

L. vlt. D. de legat.

L. II. de Or. Top. & pro A. Cæcina.

sensu. At dedere de quo hic agimus nihil est aliud quam ciuem alterius populi potestati permittere, ita vt de eo statuat quod voluerit. Hæc autem permissio, ius nullum dat, aut adimit; exsecutionis tantum impedimentum tollit. Quare si alter populus concesso iure non vtatur, erit is qui deditus est eo loco vt à suo populo possit puniri aut non puniri, vt multa sunt delicta in quibus vtrumvis fieri potest. Ius autem ciuitatis, vt & iura & bona alia, non amittitur ipso facto, sed decreto aliquo aut iudicio, nisi lex aliqua factum velit haberi pro re iudicata quod hic dici non potest. Hoc denique modo & bona si dedita nec accepta sint manebunt cuius fuerant. At si deditio accepta sit & postea casu aliquo reuersus sit is qui fuerat deditus, is ciuis non erit nisi ex nouo beneficio: quo sensu verum est quod Modestinus de dedito respondit. Quæ autem diximus de nocentibus dedendis aut puniendis non tantum ad eos pertinent qui subditi semper fuerunt eius apud quem nunc reperiuntur, verum etiam ad eos qui post crimen commissum aliquo confugerunt. *L. Est qui. D. de captiu.*

V. Neque obstant illa adeo prædicata supplicum iura & asylorum exempla. Hæc enim illis prosunt qui immerito odio laborant, non qui commiserunt quod societati humanæ aut hominibus aliis sit iniuriosum. Gylippus Laco apud Diodorum Siculum agens de illo supplicum iure sic ait: *Qui initiò iura ista introduxerunt, infelicibus quidem misericordiam, at his qui malo animo iniuriam intulerunt, pœnam exspectandam voluerunt.* Postea: *Hi verò si dolo malo, si iniusta alieni cupiditate in mala hæc inciderunt, ne accusent fortunam, ne supplicũ sibi nomen imponant. Id enim iure hominũ illis debetur, quibus innocẽs est animus, irata fortuna. Horũ verò vita plena factis iniustis, nullũ ipsis* *Lib. XIII bibl.*

locum

locum reliquit qui ad miserationem & perfugium pateret. Duo illa, fortunam & iniuriam, Menander optimè distinxit:

ἀτύχημα καὶ ἀδίκημα διαφορὰν ἔχει·
τὸ μὲν διὰ τύχην γίγνεται, τὸ δὲ αἱρέσει.
Iniuria illud distat infortunio,
Hoc casus, illam quòd voluntas efficit.

Non abit hinc Demosthenis dictum: δίκαιόν ἐστιν ἐλεεῖν, οὐ τοὺς ἀδίκους ἀλλ' ἀνθρώπους, ἀλλὰ τοὺς διὰ λόγου δυσχωροῦντας. *Aequum est misericordiam impendi non iniustis hominibus, sed his qui sine merito infortunati sunt.* Et Antiphanis illud: τὸ ἀκούσιον ἁμάρτημα τῆς τύχης ἐστί, τὸ δὲ ἑκούσιον τῆς γνώμης. *Quod non sponte fit, fortunæ est; quod sponte, consilii.* Lysias: οὐδενὶ ἐστὶν ἑκούσιον δυστύχημα γίνεται; *nemini infortunium sponte sua accidit.* Sic in sapientissima lege quibus telum manu fugisset, quo interfectus esset homo, asyla patebant: seruis quoque perfugium dabatur: at qui deliberatò hominem innocentem occidissent, qui ciuitatis turbassent statum, his nec ipsum sanctissimum Dei altare patrocinabatur. Hanc legem Philo explicans ait, ἀσυλίαν ἀνιέρους τὸ ἱερὸν μὴ παρέχεσθαι; *profanis in fano nullum esse receptū.* Nec aliter Græci antiquiores. Erat apud Athenienses ara Misericordiæ, cuius meminerunt Cicero, Pausanias, Seruius, etiam Theophilus in Institutionibus, & quam latè describit Papinius duodecimo Thebaidos. At quibus patebat illa? Audi Poëtam:

Deut. XIX. 2. XXIII. 15. Exod. XXI. 14. 1. Reg. I. 29. II. Reg. XI. 13. & seq.

De spec. legibus.

Et miseri fecere sacram.

mox conuenisse eo ait:

victos bellis patriaq; à sede fugatos,
Regnorumq; inopes.

Itaque Oedipus ad Colonum confugiens in eius nominis Tragœdia apud Sophoclem ita testatur:

Heu, Cecropidæ, mala multa tuli:
Sed nempe tuli: Deus est testis,

Nihil

Nihil horum sponte patratum.

Respondet Theseus:

Non me pigebit hospitem, qualem Oedipe
Te tueor, omni sospitare in tempore:
Homo esse memini.

Similiter Thesei filius Demophon cùm Herculis posteri Athenas confugissent, sic ait:

Hæc patria nostra semper inualidos solet,
Sed iure fretos, ope sua defendere.
Antehac amicis mille releuandis tulit
Discrimina: & nunc aliud in promtu imminet.

Contra de maleficis hoc habes in eadem tragœdia:

Hunc qui facinorum conscius, nec legibus
Fidens, ad aras voluitur supplex Deum,
Trahere ad tribunal nulla religio mihi:
Mala semper æquum ferre qui fecit malè.

Idem Ione:

——— *Non enim tangi decet*
Manu nocente numina, at iustum fuit
Piis patere templa contra iniurias:

Narrat orator Lycurgus Callistratum quendam, qui capital commiserat, consulto oraculo responsum accepisse; si Athenas iisset, πύξεσθαι ἀν νίκων, consecuturum quod ius esset: illum vero confugisse ad id quod Athenis sanctissimum esset altare, impunitatis fiducia. at nihilominus occisum eum ab obseruantissima suarum religionum ciuitate, atque ita impletam oraculi fidem. Et Tacitus improbat receptum suo sæculo morem per Græcas vrbes flagitia hominum, vt ceremonias Deum protegendi. Tales ergo aut puniendi, aut dedendi, aut certe amouendi. Perseus rex Macedonum in purgatione ad Martium de his agens qui Eumeni insidiati dicebantur: *Ego istos, vt primum in Macedonia esse admonitus à vobis cœperi, requisitos abire ex regno iussi,*

Aduers. Leocr.

Ann. III.

Liu. lib. XXVII.

& in perpetuum interdixi finibus meis.

VI. Notandum & hoc, interim dum de causæ iustitia cognoscitur defendi supplices. Sic Demophon ad legatum Eurystheos:

Si crimen istis aliquod hospitibus struis,
Ius impetrabis: vi quidem hinc non abstrahes.

Et in altera tragœdia Theseus ad Creontem:

Es facinus ausus temet indignum, Creo,
Tuisq; Thebis ac tuis maioribus:
Ingressus vrbem quæ colit fas ac pium,
Quæ cuncta ritè legis ex norma facit,
Nostris omissis moribus, quicquid lubet
Moliris, & vi cuncta te acturum putas.
Adeone hominibus vidua vel patiens iugi
Vrbs ista visa est, & ego nullius rei?
Non te ista docuit ciuitas Amphionis,
Quippe educare haud solita mortales feros:
Nec approbabit illa cùm te audiuerit
Quæ sunt Deorum, quæq; mea peruadere,
Et rapere ab alma sede miseros supplices.
Ego Labdacea si vrbe posuissem pedem,
Quamuis fuissent iusta mihi certissima,
Indubia, nulli iniicere tentassem manum
Nisi annuente qui soli regnum tenet,
Quid in vrbe deceat hospitem externa memor.
Tu nec mèrentem patriam aspergis tuam
Probro atq; maculis & senem certè tua
Te fecit ætas, sed parum mentis potem.

Quòd si id cuius accusantur supplices non sit vetitum iure naturæ aut gentium, res diiudicanda erit ex iure ciuili populi vnde veniunt. quod optimè ostendit Æschylus Supplicibus, vbi Rex Argiuus Danaidum gregem ex Ægypto venientem sic affatur:

εἴ τι κεχρῄζουσι παῖδες Αἰγύπτου σέθεν, νόμῳ

νόμῳ πόλεως φάσκοντες ἐγγύπαπε γένος
εἶναι, πῖς ἂν πῖσοὶ ἀνπωθῆναι θέλοι;
δεῖ πού σε φαίνειν κατὰ νόμους πὺς οἴκοθεν,
ὡς οὐκ ἔχουσι κῦρος οὐδὲν ἀμφὶ σοῦ.
Manum tibi si immittat AEgypti genus
Quòd lege patria proximos se sanguine
Dicant, quis hæc obiicere se contra velit?
Quare tuum est docere, natalis soli
Ex lege, nullo iure te illis subiici.

VII. Vidimus quomodo à subditis, aut veteribus, aut aduenis culpa in rectores transeat: vicissim à summa potestate, in subditos culpa transibit si in crimen subditi consenserint, aut siquid fecerint summæ potestatis imperio, aut suasu, quod facere sine facinore non poterant: qua de re rectius erit infrà agere vbi quæ partes sint subditorum examinabitur. Etiam inter vniuersos & singulos communicatur delictum: quia, vt Augustinus ait loco suprà adducto, *vbi vniuersi, ibi & singuli: vniuersi non possunt nisi ex singulis quibusque constare: Nam singuli quique congregati, vel in summam reputati faciunt vniuersos.* Pertinet autem culpa ad singulos qui consenserunt, non ad eos qui aliorum sententiis victi sunt. Distinctæ enim sunt pœnæ singulorum & vniuersitatis. Sicut singulorum pœna interdū est mors, ita πόλεως θάνατος ἀνάστατον γενέσθαι, *mors ciuitatis euerti*: quod fit cùm corpus ciuile dissoluitur; qua de re diximus alibi. Atque hoc modo si ciuitas esse desinat, vsumfructū velut morte finiri rectè dixit Modestinus. Singuli in seruitutem pœnæ nomine rediguntur, vt Thebani sub Alexandro Macedone. Sic & ciuitas subit seruitutem ciuilem in prouinciam redacta. Singuli bona sua amittunt confiscatione. Sic ciuitati adimi solent quæ habet communia, muri, naualia, naues bellicæ, arma, elephāti, ærarium, agri publici.

Lycurg. Orator.

L. Si vsusfructus. D. quomod. vsusfruct. am.

VIII. Egregia hic occurrit quæstio, an pœna ob delictum vniuersitatis semper exigi possit. Quamdiu durat vniuersitas videtur posse, quia idem corpus manet, quanquam particulis succedentibus, vt alibi ostensum est. Sed ex aduerso notandum est quædam de vniuersitate dici primo ac per se, vt habere ærarium, leges & similia: quædam non nisi deriuatione à singulis. Sic namque doctam dicimus vniuersitatem & fortem, quæ plurimos habet tales. De hoc genere est meritum. primo enim conuenit singulis vt animum habentibus quem vniuersitas per se non habet. Extinctis ergo illis per quos ad vniuersitatem meritum deducebatur, ipsum quoque meritum extinguitur, ac proinde & pœnæ debitum, quod sine merito diximus non consistere. Probanda igitur Ariani sententia damnantis vindictam Alexandri in Persas, cum pridem interiissent qui in Græcos peccauerant. De excidio Branchidarum facto per eundem Alexandrum, hoc est Curtii iudicium: *Quasi in ipsos proditionis auctores excogitata essent, iusta vltio esse non crudelitas videretur. Nunc culpam maiorum posteri luere qui ne viderant quidem Miletum, adeo Xerxi non potuerant prodere.* Nec procedit huius & similium factorum defensio, quam apud Plutarchum legere est de sera numinis vindicta. Aliud enim est ius Dei, aliud hominum, vt mox apertius fiet. Neque si æquum est posteros honores & præmia accipere ob merita maiorum, ideo & puniri eos ob eorum peccata æquum est. Beneficii enim talis est materia, vt in quemuis conferri sine iniuria possit; pœnæ non item.

IX. Diximus de modis per quos communitas pœnæ accidit ex culpæ communitate. Restat spectemus, an & culpa non communicata communicetur pœna, quæ res vt recte intelligatur, & ne quæ re ipsa diuersa sunt

sunt ob vocum similitudinem confundantur, monenda sunt quædam.

X. Primum, aliud esse damnum directè datum, aliud quod in consequentiam venit. Directe datum voco quo cuiquam aufertur ad quod ius proprium habet. Per consequentiam quo fit vt quis non habeat quod habiturus alioqui fuisset, cessante scilicet conditione sine qua ius non habebat. Exemplum est apud Vlpianum: Si in meo puteum aperui quo factum est vt venæ ad te peruenturæ præciderentur: negat operis mei vitio damnum datum in ea re in qua iure meo vsus sum. Et alibi, multum ait interesse, vtrum damnum quis faciat, an lucro quod adhuc faciebat vti prohibeatur. Et Paulus Iurisconsultus, *præposterum esse* ait, *ante nos locupletes dici quam acquisierimus.* Sic parentum bonis confiscatis sentiunt quidem incommodum liberi, sed proprie ea pœna non est, quia bona illa illorum futura non erant nisi à parentibus ad vltimum spiritum essent conseruata. Quod recte ab Alpheno notatum est, cum ait patris pœna amittere liberos id quod ab ipso venturum esset ad eos: quæ vero non à patre, sed à rerum natura, aut aliunde tribuerentur, ea manere incolumia. Sic Themistoclis liberos eguisse scribit Cicero nec iniquum putat, vt eandem calamitatem ferant liberi Lepidi. Idque ait antiquum esse & omnium ciuitatum: cui tamen mori leges posteriores Romanæ multum temperamenti adiecerunt. Sic cum ex delicto maioris partis, quæ vt alibi diximus personam vniuersitatis sustinet, vniuersitas in culpa est, eoque nomine amittit ea quæ diximus, libertatem ciuilem, muros, & alia commoda, sentiunt damnum & singuli innocentes; sed ea in re quæ ad ipsos non pertinebat nisi per vniuersitatem.

L. Fluminis. §. vlt. de damn. inf.

L. Proculus. d. t.

L. Pretia. D. ad L. Falc.

L. Eum. D. de interdict. & releg.

L. II. Ep. II. & 19.

L. Cum ratio. D. de bonis damn.

XI. Præterea notandum, interdum imponi alicui

aliquid mali, aut boni aliquid auferri, occasione quidem alicuius peccati, sed non ita vt id peccatum causa sit proxima eius actionis quod ius ipsum agendi attinet. Sic qui occasione alieni debiti aliquid promisit malum patitur, ex veteri verbo, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα. *Sponde, noxa præstò est*: at proxima causa obligationis est ipsa promissio. Nam vt qui pro emtore fideiussit, non propriè ex emto tenetur, sed ex promisso; ita & qui pro delinquente, non ex delicto, sed ex sua sponsione. Atque hinc fit, quòd malum illi ferendum mensuram accipit, non ex delicto alterius, sed ex potestate quam ipse in promittendo habuit. Cui consequens est vt ex sententia, quam veriorem credimus, occidi nemo possit ex fideiussione, quia statuimus neminem ius tale habere in vitam, vt eam sibi ipse adimere, aut adimendam obligare possit: cum veteres Romani Græcique aliter ea de re senserint: ideoque & vades capitali iudicio crediderint obligari, vt in Ausonii est versu, & ex notissima Damonis & Pythiæ historia apparet: & obsides sæpe capite plexerint, vt alibi memorabimus. Quod de vita diximus, idem & de membris intelligi debet: nam & in illa ius homini datum non est nisi corporis seruandi causa. Quod si exilium, si pecuniarum damnum in promissione fuerit, & alterius delicto impleta sit conditio, damnum feret fideiussor, quæ tamen in ipso, si exactè loquimur, pœna non erit. Simile quid occurrit in eo iure quod quis habet sic vt ab alterius voluntate pendeat, quale est ius precarii, respectu habito ad rei dominum; & iura priuatorum, respectu habito ad eminens dominium quod vtilitatis publicæ causa ciuitas habet. Nam si quid tale alicui auferatur occasione delicti alieni, pœna in illis proprie nō est, sed executio iuris antecedentis, ꝙ erat penes auferētem.

Sic

Sic quia in bestias proprie delictum non cadit, vbi bestia occiditur, vt lege Mosis ob concubitum cum homine, non ea verè pœna est, sed vsus dominii humani in bestiam.

XII. His distinctionibus positis dicemus neminem delicti immunem ob delictum alienum puniri posse. Cuius rei ratio vera non est ea quam adfert Paulus Iurisconsultus, quod pœnæ constituantur in emendationem hominum: nam exemplum videtur statui posse etiã extra personam delinquentis, in ea tamen persona quæ ipsum tangat, vt mox dicemus, sed quia obligatio ad pœnam ex merito oritur: meritum autem est personale, quippe ex voluntate ortum habens, qua nihil est magis nobis proprium, vnde αὐτεξούσιον vocatur.

XIII. *Neque virtutes, neque vitia parentum*, inquit Hieronymus, *liberis imputantur*. Augustinus vero, *Deus*, ait, *ipse foret iniustus si quenquam damnaret innoxium*: & huc illud vulgatum pertinet, *Noxa caput sequitur*. *Sancimus*, aiunt Imperatores Christiani, *ibi esse pœnam, vbi & noxa est*. Deinde: *Peccata igitur suos teneant auctores: nec vlterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum*. Iustũ est, ait Philo, eorum esse pœnas quorum sunt peccata; reprehendens morem quarundam gentium quæ tyrannorum aut proditorum insontes liberos morte puniebant. quem reprehendit & Dionysius Halicarnassensis, ostenditque iniquam esse rationem quæ obtenditur, quod parentibus similes futuri putantur, cum id incertum sit, nec incertus metus ad mortem cuiusquam sufficere debeat. Nescio quis Christiano Imperatori Arcadio ausus est hoc dictare, debuisse paterno perire supplicio in quibus paterni criminis exempla metuuntur: & Ammianus narrat interemtam sobolem, parvam etiam tum, *ne ad parentum exempla succresceret*.

Ep. 3. de morte Nepotiani. Epist. 105.

L. Sancimus. C. de pœnis.

Lib. II. de leg. Spec.

L. Quisquis. C. ad L. Iul. Mai.

Lib. XXVIII.

Victoria de iure belli. n. 38.

Nec magis iusta causa metus vltionis, vnde natum est Græcum prouerbium:

Desipit occidens qui patrem pignora seruat.

Sen. lib. II. de ira, c. 4.

at Seneca: *Nihil est iniquius quàm aliquem hæredem paterni odij fieri.* Marcus Antoninus in epistola ad Senatum: *Quare filijs Auidij Cassij (* is in eum coniurauerat) *& genero & vxori veniam dabitis. Et quid dico veniam, cùm illi nihil fecerint?*

XIV. Deus quidem in lege Hebræis data paternam impietatem in posteros se vindicaturum minatur: sed ipse ius dominij pleniſſimum habet, vt in res nostras ita & in vitam nostram, vt munus suum, quod sine vlla causa & quouis tempore auferre cuiuis quando vult potest: Igitur si morte immatura ac violenta rapit liberos Acanis, Saulis, Ieroboami, Achabi, ipsos iure dominij non pœnæ vtitur, sed eodem facto grauius punit parentes. Nam siue superstites sunt, quod maximè spectauit lex diuina, atque ideo lex minas istas vltra abnepotes non extendit, Exod. xxv. quia ad eorum conspectum pertingere potest humana ætas; certum est parentes puniri tali spectaculo: grauius enim id illis quàm quod ipsi ferunt, vt à Chrysostomo recte dicitur, quicum consentit Plutarchus: οὐ λυποῦσα μᾶλλον ἐπέρχα κόλασις ἢ τοὺς ἐξ ἑαυτῶν κακὰ πάσχοντας αὐτοὺς ὁρᾶν. *Nullum durius supplicium quàm eos qui ex se sunt ob se miseros spectare:* siue non eousque prouiuunt, tamen cum eo metu occidere magnum est supplicium: *Duritia populi,* inquit Tertullianus, *ad talia remedia compulerat, vt vel posteritatibus suis prospicientes legi diuinæ obedirent.* Sed simul notandum est hac grauiore vindicta non vti Deum nisi aduersus scelera proprie in suam contumeliam perpetrata, vt falsos cultus, periurium, sacrilegia. Nec aliter Græci existimarunt: Nam quæ crimina credita sunt posteritatem obstringere, quæ ἄγη ipsi vocant,

II. Sam. XXI. I. Reg. XIV. II. Reg. VIII. 9. 10.

Homil. 29. in 9. Gen.

vocant, omnia istius sunt generis: quo de argumento facunde disserit Plutarchus libro de sera numinis vindicta. Exstat apud Ælianum oraculum tale Delphicum:

At scelerum fontes diuinum persequitur ius,
Nec pote vitari: non si genus ab Ioue ducant:
Sed capiti ipsorum quique enascuntur ab ipsis
Imminet; inque domo cladem subit altera clades.

Agebatur autem ibi de sacrilegio. De periurio similes sententias supra adduximus. Deinde vero etsi id comminatus est Deus, non tamen semper eo iure vtitur, maxime si insignis quædam virtus in liberis elucear, vt videre est Ezech. cap. XVIII. & exemplis quibusdam à Plutarcho dicto loco probatur. Et cùm in nouo federe apertius quam olim declarata sint supplicia quæ impios post hanc vitam manent, ideo in eo federe nulla extat comminatio personas peccantium egrediens; quò præcipuè, quanquam minùs aperte, vt mos est vatibus, spectat dicta iam Ezechielis oratio. Factum autem illud Dei hominibus imitari non licet: neq; par ratio est, quia, vt iam diximus, Deus sine culpę intuitu ius habet in vitam, homines non nisi ex gra ui culpa, & quidem quæ personæ sit propria. Quare eadem illa diuina lex vt parentes pro liberis, ita ob parentum facta liberos mortis pœna affici vetat: quam legem pij reges etiam in perduellibus secuti leguntur: eamque legem valde laudant Iosephus & Philo, vt & similem Ægyptiam Isocrates, & Romanam Dionysius Halicarnassensis. Platonis est πατρὸς ὁ εἰδὴ καὶ πμωρίας παίδων οὐ δεῖ ξωὲπεσθαι. Quod Latine ita exprimit Callistratus Iurisconsultus: *Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest.* Addita causa: *Namq; vnusquisque ex suo admisso sorti subijcitur, nec alieni criminis successor constituitur. Ferretne,* inquit Cicero, *vlla ciuitas latorem istiusmodi*

Deut. XXIV. 16.

Ios. l. II. Philo de leg. sp. L. II. Isoc. Busiride. Dionys. L. VIII. L. Crimen D. de pœnis. L. IV. de Nat. Deor.

legis, vt condemnetur filius aut nepos, si pater aut auus deliquissent?

XV. Quod si iniustæ leges humanæ, quæ liberos occidunt ob parentum delicta, iniustior sane lex Persarum & Macedonum deuouens & propinquorum capita, quo qui in regem peccarant tristiores perirent, vt Curtius loquitur: cuius legis diritate exsuperari leges omnes scripsit Ammianus Marcellinus. *Lib. XXIII.*

XVI. Illud tamen est notandum, siquid habeant, aut expectare possint perduellium liberi in quod ius proprium sit non ipsis, sed populo aut regi, id auferri ipsis posse iure quodam dominii, cuius tamen vsus simul in pœnam redundet eorum qui peccauerint. Huc refer quod Antiphanis vt proditoris posteri ἄτιμοι ἐνεγράφησαν, narrante Plutarcho, id est honoribus prohibiti sunt, vt Romæ liberi à Sulla proscriptorũ. Sic in dicta Arcadii lege illud tolerabile in liberos: *Ad nullos honores, ad nulla sacramenta perueniant.* Seruitus autẽ quomodo & quatenus in liberos sine iniuria transeat, alibi à nobis est explicatum.

XVII. Quod de liberis malo afficiendis ob parentum delicta diximus, idem aptari potest & ad populum vere subditum: (nam qui subditus non est, ex sua culpa, id est ex negligentia puniri potest, vt diximus) si quæratur an is populus malo possit affici ob regis, aut rectorum facinora. Non iam quærimus si ipsius populi consensus accesserit, aut factum aliud quod per se sit pœna dignum, sed agimus de eo contactu qui ex natura oritur eius corporis cuius caput est rex, mẽbra cæteri. Deus quidem ob Dauidis peccatum populum pestilentia confecit, & quidem vt Dauid censet innocentem, sed Deus qui in vitam ipsorum ius habebat plenissimum. Interim hæc pœna erat non populi, sed Dauidis: nam, vt ait scriptor Christianus, *Quæst. ad Orth. 136.*

πάτη πμωρία τῶν ἡμαρτηκότων βασιλέων ἡ πμωρία τοῦ λαοῦ. *Acerbissimum est delinquentibus regibus supplicium id quod populis infligitur.* Perinde enim hoc est, ait idem scriptor, ac si quis qui manu peccauit, in tergo feriatur: quomodo in simili argumento Plutarchus non aliter id ait accipiendum quam si medicus ad curandam coxam vrat pollicem. Hominibus cur id non liceat iam antea diximus.

XVIII. Idem dicendum de singulis qui non consenserunt malo afficiendis circa ea quæ ipsorum sunt, ob delictum vniuersitatis.

XIX. Heres verò cur de cęteris debitis teneatur, de pœna non teneatur, sicut à Paulo Iurisconsulto scriptum est: *si pœna alicui irrogatur, receptum est commentitio iure, ne ad heredes transeat*, vera causa hæc est, quod heres personam defuncti refert, nō in meritis quæ sunt merè personalia, sed in bonis quibus vt cohærerēt ea quæ alicui debentur ex ipsa rerum inæqualitate, simul cum dominio fuit introductum. *L. Si pœna. D. de pœnis.*

XX. Et hinc sequitur, vt si vltra meritum noua quædam causa obligationis extiterit, deberi iam possit id quod in pœna erat, quanquam non proprie vt pœna: Sic alibi post sententiam, alibi post litem contestatam, quibus rebus vis contractus datur, pœna pecuniaria ab herede debebitur, vt & ea quæ in conuentionem deducta est. Iam enim noua accessit debendi causa.

CAP. XXII.

De causis iniustis.

I. *Explicatur discrimen inter causas iustificas & suasorias.*

II. *Bella quæ vtroque causarum genere carent, ferina esse.*

III. *Bella*

III. *Bella quæ suasorias causas habent, non iustificas, esse prædonum.*
IV. *Quasdam esse causas quæ falsam habeant iusti speciem:*
V. *Vt metum incertum:*
VI. *Vtilitatem sine necessitate:*
VII. *Negatum matrimonium in magna fœminarum copia:*
VIII. *Cupiditatem melioris soli:*
IX. *Inuentionem rerum occupatarum ab aliis.*
X. *Quid si priores occupatores amentes sint?*
XI. *Iniustam causam esse, & libertatis desiderium in populo subdito:*
XII. *Et voluntatem regendi alios inuitos quasi ad ipsorum bonum:*
XIII. *Item titulum vniuersalis imperii quem quidam asscribunt Imperatori, qui refellitur:*
XIV. *Alii Ecclesiæ, qui item refellitur:*
XV. *Item voluntatem implendi vaticinia, sine Dei mandato.*
XVI. *Item id quod debetur, non ex iure strictè dicto, sed aliunde.*
XVII. *Distinctio belli cuius causa iniusta, & eius cui aliunde vitium accedit: & diuersi vtriusque effectus.*

I. DIXIMVS suprà, cum de causis agere institueremus, causas alias esse iustificas, alias suasorias. *Lib. II. c. 1.* Polybius, qui id discrimen primus notauit, illas vocat προφάσεις, quia palam proferri solent, has generis nomine αἰτίας. Sic in bello Alexandri aduersus Darium πρόφασις fuit vltio iniuriarum quas Persæ Græcis intulerant, αἰτία cupido gloriæ imperii & diuitiarum, cui accedebat spes magna facilitatis concepta ex Xenophontis & Agesilai expeditionibus. Sic πρόφασις belli Punici secundi controuersia de Sagunto, causa indignatio Carthaginiensium ob pactiones quas Romani iniquis temporibus ipsis expresserant, & auc-

ti

& spiritus ex secundis per Hispaniam rebus, quæ Polybio notata. Similiter Thucydides belli Peloponnesiaci veram causam censet fuisse vires Atheniensium augescentes & Lacedæmoniis suspectas, obtentum verò controuersiam Corcyrensium & alia; vbi tamen ille αἰτίας & πρόφασις nomina permiscet. Lib. I.

II. Sunt qui neutro causarum genere feruntur in bella, periculorum, vt Tacitus loquitur, propter ipsa auidi. Horum vitium humanum excedit modum, ἀνθρωπότητα Aristoteles vocat. De his Seneca: *Possum dicere non esse hanc crudelitatem, sed feritatem, cui voluptati sæuitia est: possumus insaniam vocare: nam varia sunt genera eius, & nullum certius quàm quod in cædes hominum & laniationes peruenit.* Lib. II. de Clem. c. 7. Cui sententiæ perquam similis est illa Aristotelis vltimo Nicomachiorum: δόξαι γὰρ ἂν παντελῶς μιαιφόνος τις εἶναι εἰ τοὺς φίλους πολεμίους ποιοῖτο ἵνα μάχαι καὶ φόνος γίγνοιντο. *Omnino enim crudelis habendus sit qui ex amicis hostes faciat pugnandi & fundendi sanguinis cupiditate.*

III. Plerique verò bellantium causas suasorias habent, aut sine iustificis, aut cum iustificis. Sunt qui iustificas planè non curant, de quibus dici potest illud quod à Romanis Iurisconsultis est proditum, prædonem esse eum, qui rogatus de possidendi causa nullam aliam adfert nisi quòd possideat. Talis Brennus qui omnia dicebat esse validiorum. Talis Attila, & quibus illud in ore est:

——— *Quæritur belli exitus,*
Non causa. ———

Et:

Hæc acies victum factura nocentem est:

Et: *Id in summa fortuna æquius quod validius.* Nec malè his aptes iliud Augustini: *Inferre bella finitimis & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate* Lib. IV. de Ciuit. Dei.

conte-

conterere quid aliud quàm grande latrocinium nominandum
L.II. *est?* De talibus bellis Vellejus: *Bella non causis inita, sed prout eorum merces fuit.*

IV. Alij causas quasi iustificas adferunt, quæ expensæ ad rectam rationem iniustæ reperiuntur. Quæ autem sint causæ iniustæ, cognosci aliquatenus potest ex iustis causis quas hactenus explicauimus. Rectum enim obliqui est index. Sed perspicuitatis causa summa genera annotabimus.

V. Metum ergo ex vicina potentia non sufficere suprà diximus. Vt enim iusta sit defensio necessariam esse oportet, qualis non est nisi constet, non tantùm de potentia, sed & de animo; & quidem ita constet vt certum id sit ea certitudine quæ in morali materia locum habet. Quare minimè est probanda eorum sententia qui iustam belli causam statuunt, si vicinus nulla pactione impeditus in suo arcem faciat, aut munitionem aliam quæ damnum aliquando dare possit. Nam aduersus tales metus contrariæ in suo munitiones & siqua sunt similia remedia quærenda sunt, non vis bellica. Iniusta igitur bella Romanorum in Philippum Macedonem, Lysimachi in Demetrium, ni alia causa adfuit.

Zonaras. Pausan. l. 1.

VI. Nec vtilitas par ius facit cum necessitate.

VII. Ita vbi laxa est matrimoniorum copia, negatum aliquod matrimonium causam bello præbere nō potest: qualem olim Hercules arripuit in Eurytum, Darius in Scythas.

VIII. Nec magis mutandæ sedis amor, vt paludibus & solitudinibus relictis solum fœcundius possideatur: quam Germanis veteribus bellandi causam fuisse ait Tacitus.

Hist. IV.

Vict. de Ind. rel. 1. n. 31.

IX. Æque improbum est, inuentionis titulo sibi vindicare ea quæ ab alio tenentur, etiamsi is qui tenet sit

sit improbus, de Deo male sentiens, aut hebetis ingenij. Nam inuentio est eorum quæ nullius sunt.

X. Neque ad dominium requiritur, aut virtus moralis, aut religiosa, aut intellectus perfectio: nisi quod hoc videtur posse defendi si qui sint populi omnino destituti à rationis vsu, eos dominium non habere, sed ex caritate tantùm iis deberi quæ ad vitam sunt necessaria: Nam quæ alibi diximus de sustentatione dominij, quam pro infantibus & amentibus facit ius gentium, ad eos populos pertinet, cum quibus est pactorum commercium: tales autem non sunt populi si qui reperiuntur toti amentes, de quo merito dubito. Male ergo Græci Barbaros ob morum diuersitatem, forte & quod ingenio cedere viderentur, hostes sibi quasi naturaliter dicebant. Quatenus autem ob peccata grauia auferri dominium possit, alia est quæstio, & modo cùm de pœnarum iure ageremus, nobis tractata.

Vict. de bello. n. 5. 6. 7. & Id. L. II. n. 18.

Plato de Rep. Lib. 11. c. 3. Eurip. Hecuba. Liu. L. XXXI. Soc. Panatle.

XI. Sed nec libertas siue singulorum siue ciuitatum, id est ἀυτονομία, quasi naturaliter, & semper quibusuis competat, ius bello præstare potest. Nam libertas cum natura competere hominibus aut populis dicitur, id intelligendum est de iure naturæ præcedente factum omne humanum, & de libertate κατὰ στέρησιν, non de ea quæ est κατ' ἀναγκαιότητα, hoc est vt natura quis seruus non sit, non vt ius habeat ne vnquam seruiat: nam hoc sensu nemo liber est. quo pertinet illud Albutij: *Neminem natum liberum esse, neminem seruum; hæc postea nomina singulis imposuisse fortunam.* Et Aristotelis illud: νόμῳ τὸν μὲ δοῦλον εἶναι, τὸν δὲ ἐλεύθερον. *è lege veniisse vt alius esset liber, alius seruus.* Quare qui legitima causa in seruitutẽ, siue personalem siue ciuilem deuenerunt, contenti sua conditione esse debent, vt & Paulus Apostolus docet, δοῦλος ἐκλήθης, μὴ σοὶ μελέτω. *Vocatus es ad seruitutem, ne id te torqueat.*

Sen. IV. contr. 1. Pol.

1. Cor. VII. 21.

XII. Neque

XII. Neque minus iniquum armis subigere aliquos velle, quasi dignos qui seruiant, quos & naturaliter seruos interdum Philosophi vocant. Non enim siquid alicui est vtile, id statim mihi licet ei per vim imponere: Nam his qui rationis habent vsum libera esse debet vtilium & inutilium electio, nisi alteri ius quoddam in eos quæsitum sit. Infantium plane alia est ratio, quorum regimen, cùm ipsi ius exercendę αὐτοπραγίας actionumque suarum moderandarum non habeant occupanti & idoneo natura concedit.

Vict. de Ind. n. 25. Ayla de Iure belli. L. 1. c. 2. n. 29. Couar. c. peccatum, p. 2. §. 9. n. 5. & seq. Ad L. Hostes. D. de captiuu. L. ἀξίωσις ad L. Rhod. Luca II. 1.

XIII. Vix adderem stultum esse titulum quem quidam tribuunt Imperatori Romano, quasi ipse etiam in remotissimos & incognitos hactenus populos ius imperandi habeat, nisi Iuriscōsultorum diu princeps habitus Bartolus hæreticum ausus esset pronuntiare qui id negat; nimirum quia & Imperator interdum se mundi dominum vocet, & in sacris litteris imperium illud, quod Romaniam posteriores scriptores vocant, appelletur τῆς οἰκουμένης nomine, qualia sunt & illa:

Orbem iam totum victor Romanus habebat,

multaque similia per complexionem, aut excessum, aut excellentiam dicta: quippe cùm & in ijsdem sacris litteris sola Iudæa sæpe veniat nomine τῆς οἰκουμένης. quo sensu accipiendum dictum vetus Iudæorum, medio telluris sitam vrbem Hierosolyma, id est in medio Iudææ, sicut in medio Græciæ Delphi similiter dicti orbis vmbilicus. Neque est quòd quemquam moueant Dantis argumenta, quibus probare nititur Imperatori ius tale competere, quia id humano generi expediat. Nam commoda quæ adfert suis pensantur incommodis. Vt enim nauis aliqua ad eam magnitudinem peruenire potest quæ regi nequeat, sic & hominum numerus & locorum distantia tanta esse vt vnum regimen non ferat. Deinde verò concesso hoc expedire

dire, ius imperii non sequitur, vt quod nisi ex consensu aut pœna nasci nequit. Ne in omnia quidem quæ olim fuere populi Romani, Imperator Romanus ius nunc habet. multa enim vt bello quæsita, ita bello amissa sunt, alia pactionibus, alia derelictione in aliarum gentium aut regum ius transierunt. Quædam etiam ciuitates olim plane subditæ, postea tantum ex parte subditæ, aut tantum inæqualiter fœderatæ esse cœperunt. Nã omnes hi modi aut amittendi aut mutandi iuris, non minus aduersus Romanum Imperatorem, quam aduersus alios valent. *Siluest. verb. bellum. p. 1. n. 21. Couar. loco citato, n. 9.*

XIV. Sed & Ecclesiæ ius fuerunt qui adsererent etiam in populos ignotæ hactenus partis terrarum, cum tamen ipse Paulus Apostolus aperte dixerit eos qui extra Christianismum sunt iudicandi sibi ius non esse. τί γάρ μοι τοὺς ἔξω κρίνειν; 1. Cor. v. 12. & quod ius Apostolis iudicandi competiit, quanquam etiam ad res terrenas suo modo pertinebat, erat tamen cœlestis, vt ita dicam, non terrestris ingenii, exercendum scilicet non per arma & flagra, sed per verbum Dei generaliter propositum, & ad circumstantias peculiares aptatum, per sigillorum diuinæ gratiæ exhibitionem, aut negationem, prout cuique conduceret: postremo loco etiam per vindictam non naturalem, sed natura ipsa superiorem, ac proinde à Deo procedentem: qualis in Anania, Elyma, Hymenæo, & aliis apparuit. Christus ipse, à quo omnis potestas ecclesiastica fluxit, & cuius vita exemplar est Ecclesiæ, qua talis est, propositum, negauit regnum suum esse de hoc mundo, hoc est, eius naturæ cuius sunt cætera regna: addens alioqui futurum fuisse, vt more aliorum regum opera militum vteretur: Nunc vero etiamsi legiones voluisset poscere, popposcisset, non hominum, sed Angelorum, Matth. xxvi. 53. Et quicquid fecit pro *Vict. de Ind. rel. 2. 1. & seq. Ayala. l. 1. n. 29.* *Ioh. XVIII. 36.*

iure suæ potestatis, id fecit non humana, sed diuina virtute, etiam tum cùm nundinatores è templo eiecit. Flagrum enim tum quoque diuinæ iræ erat signum, non instrumentum; vt alias sputum & oleum signum medendi, non remedium. Augustinus ad dictum Ioannis locum: *Audite ergo Iudæi & gentes: audi circumcisio: audi præputium: audite omnia regna terrena: non impedio dominationem vestram in hoc mundo: regnum meum non est de hoc mundo: nolite metuere metu vanissimo quo Herodes ille Major cum Christus natus nunciaretur expauit, & tot infantes vt ad eum mors perueniret, occidit, timendo magis quam irascendo crudelior. Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo. quid vultis amplius? venite ad regnum quod non est de hoc mundo: venite credendo, & nolite sæuire metuendo.* Episcopo inter cætera interdicit Paulus, ne percussor sit. I. Timoth. III. 2. ἀνάγκην κεκτῆσθαι, imperare imposita necessitate, ea scilicet quæ ex humana vi proficiscitur, regum esse non episcoporum, dixit Chrysostomus. Et alibi: *Non est nobis data potestas vt auctoritate sententiæ* (talis scilicet quæ ius exsequendi per manum regiam, aut militarem, aut iuris qualiscunq; humani ademtionem in se contineat) *cohibeamus homines à delictis.* Et ex his quidem satis appareret episcopos, qua tales sunt, ius regnandi in homines humano more nullum habere. An verò reges ipsi iis qui Christianam religionem reiiciunt arma quasi pœnæ nomine inferre possint, suprà capite de pœnis à nobis disquisitum est, quantum instituto sufficit.

Vide Petrũ Damianum Lib. II. ep. 9.

Act. Apost. Hom. III. ep. ad Titum Hom. I. ep. I. ad Thessal. Hom. IV. de sacerd. lib. II.

XV. Hoc quoque monebo non frustra, sed quia veteribus recentia conferens magnum malum, ni caueatur, præuideo, iustam belli causam non dare spem conceptam ex aliqua diuinorum vaticiniorum explicatione. Nam præterquam quòd quæ nondum impleta

pleta sunt oracula interpretari certo vix contingit sine propheticospiritu, etiam rerum certarum latere nos possunt tempora. ac postremo prædictio, nisi expressum adsit Dei mandatum, ius nullum dat, cum Deus quæ prædixit, sæpe per improbos homines, aut prauas actiones ad exitum ire permittat.

XVI. Illud quoque sciendum est, si quis quid debet, non ex iustitia propria, sed ex virtute alia, puta liberalitate, gratia, misericordia, dilectione, id sicut in foro exigi non potest, ita nec armis deposci. Nam ad vtrumque horum non sufficit, vt id quod postulatur sit ex morali ratione faciendum, sed præterea opus est in nobis ius quoddam sit ad illud, quale ius interdum leges diuinæ & humanæ dant etiam circa debita aliarum virtutum. quod cum fit, noua tunc debendi ratio accedit, quæ iam ad iustitiam pertinet. Id cum deest, iniustum ex hac causa bellum est, vt Romanorum in regem Cypri tanquam ingratum. Nam qui beneficiũ dedit, nullum habet ius ad reposcendam gratiam: alioqui contractus esset, non beneficium.

XVII. Notandum & hoc sæpe accidere, vt bello causa quidem iusta subsit, sed vitium actioni accidat ex animo agentis: siue quod aliud quiddam, non illicitum per se, magis & principalius animum mouet quã ius ipsum, puta honoris studium aut vtilitas aliqua, siue priuata siue publica, quę ex bello ipso seorsim àcausa sua iustifica considerato expectatur: siue quod adest affectus plane illicitus, vt gaudium acquiescentis in malo alieno, sine boni respectu. *Vna & ea vetus causa bellandi est*, inquit Sallustius, *profunda cupido imperii & diuitiarum. Aurum & opes præcipuæ bellorum causæ*, apud Tacitum, & in tragœdia:

Rupere fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps.

Vict. de iure bel. n. 2.

Sen. Hipp.

Quò & Augustini illud rectè referas. *Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus, & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & siquæ sunt similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur.* Sed hæc, vbi causa iustifica non deest, peccatum quidem arguunt, ipsum tamen bellum proprie iniustum non faciunt, vnde nec ex tali bello restitutio debetur.

Contra Faustum, L. XXII. c. 74. Couar. d. §. 1. n. 2. Caiet. 2. 2. q. 40. art. 1. Siluester in verbo Bellum. n. 2. Summa Ang. in verbo Bellum n. 5. Sum. Ros. ib. n. 3. & 8. Th. 2. 2. 66. 8.

CAPVT XXIII.

De causis dubijs.

I. *Dubitandi causæ in moralibus vnde.*
II. *Nihil faciendum contra animi dictamen quamuis erranti.*
III. *Iudicium in alteram partem duci argumentis rerum:*
IV. *Aut auctoritate.*
V. *Si vtrinque dubitetur in re graui, & alterum sit eligendum, sumendum quod est tutius:*
VI. *Vnde sequi tali casu à bello abstinendum.*
VII. *Id autem vitari posse colloquio:*
VIII. *Aut arbitrio: vbi de Christianorum regum officio circa partes bellantes:*
IX. *Aut etiam sorte.*
X. *Certamen singulare ad vitandum bellum an permitti possit.*
XI. *Meliorem esse conditionem possidentis in pari dubio.*
XII. *Si neuter possideat in pari dubio rem diuidendam.*
XIII. *An bellum vtraque ex parte iustum detur multis distinctionibus explicatur.*

1. Eth. Nic. 1.

I. VERISSIMVM est quod scripsit Aristoteles, in moralibus non æquè, vt in mathematicis disciplinis certitudinē inueniri: quod eò euenit, quia mathematicæ disciplinæ à materia omni formas separant,

rant,& quia formæ ipsæ tales plerumque sunt, vt nihil habeant interiectum, sicut inter rectum & curuum nihil est medii. At in moralibus circumstantiæ etiam minimæ variant materiam, & formæ de quibus agitur solent habere interiectum aliquid, ea latitudine, vt modo ad hoc, modo ad illud extremum propius accedatur. Ita enim inter id quod fieri oportet,& inter id quod fieri nefas est, medium est quod licet, sed modo huic, modo illi parti propinquius: vnde ambiguitas sæpe incidit, vt in crepusculo, aut in aqua frigida calescente. Et hoc est q̃ ait Aristoteles, ἔστι χαλεπὸν ἐνίοτε τὸ κείνην ποῖον ἀντὶ ποίου αἱρετέον, *quid cui anteponendum sit difficilis sæpe est iudicatio.* III. Nicom.

II. Primum autem illud est tenendum, etiamsi quid iustum reipsa est, sed ab eo fit qui omnibus expensis iniustum id existimat, actum esse vitiosum. Hoc enim est quod dicit Paulus Apostolus, quicquid non fit ex fide peccatum esse: quo in loco fides animi iudicium de re significat. Nam vim iudicatricem humanis actionibus ducem Deus addidit, qua contemta obbrutescit animus. Sæpe autem accidit, vt iudicium nihil certi monstret, sed hæsitet: quæ hæsitatio si attenta consideratione expediri nequeat, sequendum erit illud Ciceronis: *Bene præcipiunt qui vetant quicquam agere quod dubites æquum sit an iniquum.* Sed hoc locum habere non potest, vbi alicui omnino alterutrum est faciendum, & de vtroque an æquum sit dubitatur: tunc enim licebit ei eligere quod minus iniquum ei videtur. Semper enim vbi electio euadi non potest, minus malum rationem iuduit boni: τὸ ἐλάχιστα κακὸν, ait Aristoteles: Cicero. *de malis minima.* Rom. XIV. 23. De Off. L. 1. Couar. tom. 1 de matr. p. 2. c. 7. §. 2. n. 9. Nic. 11. c. 9. Cic. off. III.

III. Plerumque vero in rebus dubiis post examen aliquod animus non in medio hæret, sed huc aut illuc ducitur argumentis ex te petitis, aut ex opinione quã habet Vasquez. 2. disp. 62. c. 1. n. 1. Med. 1. 2. q. 14.

habet de aliis hominibus sententiam super ea re pronuntiantibus. Nam & hic verum est illud Hesiodi, præstantissimum esse per se sapere; proximum, ducia liena ope. Argumenta ex re petuntur è causis, effectis & adiunctis aliis.

IV. Sed ad hæc recte noscenda, vsu quodam & peritia opus est; quam qui non habent, vt actionum iudicium recte conforment, tenentur audire sapientum consilia. Nam ἔνδοξα, siue probabilia sunt, Aristotele teste, quæ omnibus videntur, aut plurimis, aut certe sapientibus; iisque rursum, aut omnibus, aut pluribus, aut præstantioribus. Et hac via iudicandi maxime vtuntur reges quibus artium momenta ediscere aut expendere vix vacat.

Vict. de Ind. rel. 1. n. 12. & de iure belli. 21. & 24. Arist. 1. Top. c. 1.

σοφοὶ τύραννοι σὺν σοφῷ συνουσία.

Dat sapere regi turba sapientum comes.

Sic Romani veteres non nisi consulto collegio fecialium ad in instituto, Imperatores Christiani vix nisi auditis Episcopis, bella suscipiebant, vt si quid esset quod religionem posset iniicere, eius monerentur.

V. Accidere autem in multis controuersiis potest vt ab vtraque parte probabilia se ostendant argumenta, siue intrinseca, siue ab aliorum auctoritate. Id cum accidit, si res mediocres sunt de quibus agitur, videtur vitio carere posse electio, in vtramuis partem cecidorit. At si de re magni momenti, vt de supplicio capitali hominis, agitur, iam propter magnum discrimen quod est inter eligenda, præferenda est pars tutior, vt dici solet:

In istam partem potius peccato tamen.

Ideo satius est nocentem absoluere quam innocentem condemnare. Scriptor problematum quæ Aristotelis nomen præferunt: ἕκαστος ἡμῶν μᾶλλον ἂν παρέλοιτο πᾶσ' ἀδικοῦντος ἀποψηφίσασθαι ἢ οὐκ ἀδικεῖ, ἢ πᾶσ' μὴ ἀδικοῦντ

Sect. 29.

πεκαταψηφίσασθαι ὡς ἀδικεῖ, (quibus in verbis vulgò pro ἀδικοῦντος, legitur μὴ ἀδικοῦντος, & contrà.) *Nemo est nostrûm*, ait, *qui non malit absoluere quamuis nocentem, quàm damnare innocentem.* Et mox addit rationem quam iam dedimus: ἔστι γὰρ ὅταν τις ἀμφιδοξῇ τὰ ἐλαττω τῆς ἁμαρτημάτων αἱρετέον. *Nam vbi quis dubitat, eligendum in quo minùs delinquitur.* Antiphon: Εἰ δέον τι ἁμαρτεῖν, τὸ ἀδίκως ἀπολυσαι ὅσιώτερον ἢ τὸ ἀδίκως ἀπολέσαι. τὸ μὲν γὰρ ἁμάρτημα ὅτι, τὸ δὲ ἀδίκως ἀποκτεῖναι ἀσέβημα. *Si errandum est, sine iure absoluere, quàm per iniuriam condemnare est sanctius: Nam in illo error est, in damnatione insontis, facinus.*

VI. Maximi autem momenti est bellum, vt ex quo mala plurima etiam in innocentes sequi soleant. Ideo inter sententias alternantes vergendum ad pacẽ. Tres autem sunt modi quibus vitari potest, ne controuersiæ in bellum erumpant.

VII. Primum est colloquium: *Cùm duo sint genera disceptandi*, ait Cicero, *vnum per disceptationẽ, alterum per vim, cumq; illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius si vti non licet priore.* Et Terentius: De Offic. 1. Vict. de iure bell. num. 28

Omnia priùs experiri verbis quàm armis sapientem decet:
Qui scis, an quæ iubeam fine vi faciat?

Et Euripides:

λόγοισι πίσων· εἰ δὲ μὴ, βίᾳ δορός.
Verbis id impetrabo; sin nequeo, manu.

Idem reprehendit Supplicibus ciuitates quæ hanc viã omitterent:

Et vos quoque vrbes quæ quod est verbis datum
Transigere, potiùs fertis ad cædem arbitram.

Achilles Iphigenia in Aulide:

Si pareat æquo, nil mea vobis ope
Opus est. salutis est in hoc vno satis.
Ego simul amici gratiam seruauerim:
Minusq; vitio vertet omne agmen mihi,

Ratione si rem gesserim, non viribus.

Coriolanus apud Halicarnassensem: τὸ μὴ τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν, ἀλλὰ τὰ ἑαυτῶν ἀπαιτεῖν, καὶ μὴ τυγχάνοντα τούτῃ πολεμεῖν, ἅπαντες ἂν ὁμολογοῦσιν εἶναι καλόν. *Si quis non aliena cupiat, sed sua postulet, atq; iis non impetratis bellum moueat, id omnium confessione æquum est.* Apud eundem Halicarnassensem rex Tullus: *quæ verbis componi nequeunt, ea armis* ait *decerni.* Et rex Theodoricus: *Veniendum tunc ad arma cùm locum apud aduersarios iustitia non potest inuenire.*

Cass. III. Var. 17.

VIII. Alterum est inter eos qui communem iudicem nullum habent compromissum: ἐπὶ τὸν δίκας διδόντα οὐ νόμιμον ὡς ἐς ἀδικοῦντα ἰέναι, ait Thucydides: *In eum qui arbitrum accipere paratus est, nefas vt iniuriosum ire.* Apud eundem Corcyrenses Corinthiis significant paratos se disceptare controuersias apud quas illi vellent Peloponnesi ciuitates. Et Isocrates oratione aduersus Ctesiphontem laudat Philippum Macedonem quòd quas habebat cum Atheniensibus controuersias, de iis paratus esset ἐπιτρέπειν πόλει τινὶ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, *arbitriũ permittere alicui ciuitati æquæ vtrique parti.* Sic olim Ardeates & Aricini, postea Neapolitani & Nolani controuersias suas arbitrio populi Romani permiserunt: Et Samnites in controuersia cum Romanis ad communes amicos prouocant. Cyrus sibi & Assyrio arbitrum fert regem Indorum. Pœni in controuersiis cum Masinissa, vt bellum vitent ad iudicia prouocant. Romani ipsi apud Liuiũ ad communes socios prouocant. Maximè autem Christiani reges & ciuitates tenentur hanc inire viam ad arma vitanda. Nam si vt iudicia alienorũ à vera religione iudicum vitarentur, & à Iudæis & à Christianis arbitri quidam sunt constituti, & id à Paulo præceptum, quanto magis id faciendum est, vt maius multò vitetur incommodum, id est bellum? Sic alicubi Tertullianus argumentatur, non militandum Christia-

Liu. lib. VIII.

Xen. Cyrop. L. II.

Vict. de iure belli, num. 28

Christiano, vt cui ne litigare quidem liceat: quod tamen secundùm ea quæ alibi diximus cum temperamento quodam est intelligendum. Et tum ob hanc, tum ob alias causas vtile esset, imò quodammodo factu necessarium, conuentus quosdam haberi Christianarum potestatum, vbi per eos quorum res nō interest aliorum controuersiæ definiantur: imò & rationes ineantur cogendi partes vt æquis legibus pacem accipiant. *Molina disput. 103. §. Quando inter. Ægid. Reg. de actib. supern. disp. 31. dub. 4. num. 72. Th. 2.2 q. 95 art. 8. & ibi Caiet. Liu. lib. XXVIII.*

IX. Tertia ratio est per sortem.

X. Sortis autem affine quid est certamen singulare, cuius vsus non videtur omnino repudiandus, si duo quorum controuersiæ alioqui totos populos grauissimis malis sint implicituræ, inter se parati sint armis decernere, vt olim de Iba Corbis & Orsua. Videtur enim id si non ab ipsis rectè fieri, certè à ciuitatibus posse acceptari, vt minus malum. Certè inter cæteros Francorum veterum mores hunc impensè laudat Agathius libro primo, cuius ipsa verba (sunt enim insignia) apponam: ἀλλ' εἴπερ ἄρα καὶ πῦ ἔσειε τοῖς βασιλεῦσιν ἐγγενέσθαι ξυνενεχθείη, ὁρᾶται δὴ πάντες ὡς πολεμήσοντες καὶ τοῖς ὅπλοις διακεκριμένοι, καὶ εἶτα ὁμόσε χωροῦσιν· ἰδόντες δὲ ἀλλήλους ἑκατέρωθεν ἡ πληθὺς, αὐτίκα τὸ χαλεπαίνον ἀποβάλλοντες εἰς ὁμοφροσύνην μεταχωροῦσι, καὶ τοὺς ἡγεμόνας κελεύουσι δίκῃ μᾶλλον τὰ ἀμφίβολα διακρίνασθαι· εἰ δὲ μὴ, μόνους ἐκείνους ἀγωνίζεσθαι, καὶ ἐν σφίσιν αὐτοῖς διακινδυνεύειν, ὡς οὐχ ὅσιον ὄν, οὐδὲ πάτριον, ἰδίας αὐτῶν ἕνεκα δυσμενείας, τὰ κοινὰ πημαίνεσθαι καὶ ἀναπιμπράσθαι· εὐθὺς τε αὖ τὰς φάλαγγας διαλύουσι, καὶ τὰ ὅπλα τιθέασι, καὶ λοιπὸν εἰρήνην αὖθις ἄγουσι ἡμερότητος, φοιτήσεις τε παρ' ἀλλήλους ἀφύλακτοι, καὶ ὁπλισίαι, καὶ φροδοδὰ οἴχεται τὰ δεινά. οὕτως ἄρα αὐτοῖς τὸ μὲν ὑπήκοον δίκαιον καὶ φιλόπατρι· τὸ δὲ ἄρχον εὐμενὲς ἐν δέοντι καὶ πιθήνιον. *Si quæ fortè inter reges oriantur controuersiæ, aciem quidem omnes instruunt tanquam bellaturi ad rem armis decernendam.*

At vbi conspicati sunt se inuicem exercitus, abiecta ira ad concordiam redeunt, & regibus auctores sunt, vt iure potius certent: aut si id nolint, ipsi inter se singulari dimicent certamine, & suo duntaxat ipsorum periculo rem transigant: Neque enim aut æquo & bono, aut patrijs institutis conuenire, vt ipsi ob propria odia bonum publicum abefactent, aut euertant. Ergo confestim soluunt exercitus, & restituta pace tutò inter se commeant, sublatis malorum causis. Tanta in subditis cura iustitiæ & patriæ amor: in regibus verò animus placidus & suis obsequens.

XI. Quanquam vero in causa dubia pars vtraque tenetur quærere conditiones quibus bellum vitetur, magis tamen id tenetur qui petit quàm qui possidet. Vt enim in pari causa melior sit possidentis conditio, non ciuili tantum iuri, sed & naturali conuenit. cuius rei causam alibi etiam ex Aristotelis quæ dicũtur Problematibus attulimus. Atque hîc & illud addendum est, ab eo qui iustam causam habere se scit, sed documenta non habet sufficientia quibus possessorem de iniustitia suæ possessionis conuincat, bellum licite nõ sumi: quia non habet ius cogendi alterum, vt de possessione decedat.

L. in pari. D. de R.I. Vict. de iure bel. n. 27. & 30. Less. de iust. c. 29. dub. 10. Molin. disp. 103. § in secundo vero. Lorca 2.2. sect. 3. disp. 53. n. 4. Lorca. 2.2. quæst. 40. disp. 53. Soto V. de Instit. iur. 41. art. 7. Couar. c. peccatum. § 10. n. 6. Alc. 2. Pauad. 21. Fulgos. l. 5. de Iust. Piccolom. Lib. VI. Ciuil. Phil. c. 21. Alb. Gent. L. 1. c. 6.

XII. Vbi vero & ius ambiguum est, & neuter possidet, aut ex æquo vterque, ibi iniquus censendus erit, qui oblatam rei controuersæ diuisionem repudiat.

XIII. Ex his quæ diximus definiri potest illa à multis agitata quæstio, an bellum ratione habita, eorum qui principales belli motores sunt vtrinque iustum esse possit. Distinguendæ enim sunt variæ acceptiones vocis iusti. Iustum enim aliquid dicitur, aut ex causa, aut secundum effectus. Ex causa rursum, aut speciali acceptione iustitiæ, aut illa generali qua omnis rectitudo eo venit nomine. Specialis acceptio iterum diuiditur in eam quæ ad opus pertinet, & eam quæ pertinet ad operantem: quarum illa potest dici positiua, hęc nega-

negatiua: nam ipse operans iuste agere interdum dicitur, quoties iniuste non agit, etiamsi id quod agit iustum non sit: quomodo recte distinguit Aristoteles, τὸ ἀδικεῖν, & τὸ ἄδικον πρᾶξαι, iniuste agere, & agere quod iniustum est. Speciali & positiua acceptione bellum vtrimque iustum esse non potest, vt nec lis, quia facultas moralis ad contraria, putà ad agendum & ad impediendum, non datur per rei ipsius naturam. At vero vt neuter bellantium iniuste agat, fieri sane potest: iniuste enim agit nemo nisi qui & scit se rem iniustam agere: multi autem id nesciunt. Sic iuste, id est bona fide litigari potest vtrimque. Multa enim & in iure & in facto, vnde ius oritur, fugere homines solent. Generali acceptione iustum dici solet quod omni culpa agentis vacat. Multa autem etiam sine iure fiunt absque culpa ob ignorantiam inuitabilem: cuius rei exemplum est in his qui legem non obseruant, quam sine culpa sua ignorant postquam lex ipsa promulgata est, & tempus per se ad scientiam sufficiens transiit. Sic & in litibus accidere poterit, vt pars vtraque non modo iniustitiæ, sed & omni alio vitio careat, præsertim vbi pars vtraque, aut altera litigat non suo sed alieno nomine, putà ex tutoris officio, cui congruit ius etiam incertum non deferere. Sic Aristoteles in litibus iuris controuersi, ait neutrum esse improbum, quod ipse dicit συγγνώμην. At in bello vix est, vt temeritas saltem omnis & dilectionis defectus absit, ob negotij ipsius grauitatem, quæ omnino talis est vt causis probabilibus non contenta quàm maximè euidentes requirat. At iustum si accipimus, quoad effectus quosdam iuris, certum est bellum hoc sensu iustum vtrimque dari, vt ex iis apparebit quæ de bello publico solenni infrà à nobis dicentur. Sic enim & sententia non ex

Lib. V. Eth. c. 10. & 11. Rhet. 1. c. 13.

August. lib. XV. de ciuitate Dei, c. 5. & lib. XIX. c. 15.

Couar. c. peccatum. §. 10. num. 2. Vict. n. 32.

Suarez de legib. lib. III. cap. 18. Alphons. de Castro de potest. leg. pœnal. l. 1. c. 2. & 3.

III. Rhet. c. 17.

iure

iure lata, & possessio sine iure habent quosdam iuris effectus.

CAPVT XXIV.

Monita de non temere etiam exiustis causis suscipiendo bello.

I. *Ius sæpe remittendum vt bellum vitetur:*
II. *Maximè ius ad pœnas:*
III. *Præsertim à rege læso.*
IV. *Etiam cura sui & suorum abstinendum sæpe bello.*
V. *Regulæ prudentiæ circa electionem bonorum.*
VI. *Exemplum in deliberatione inter studiũ libertatis & pacis.*
VII. *A pœnis exigendis abstinere debere qui nõ multo sit validior.*
VIII. *Restare vt bellum non sit suscipiendum nisi ex necessitate.*
IX. *Aut ex maxima causa cum maxima occasione.*
X. *Bellorum mala ob oculos posita.*

I. QVANQVAM instituti, quod de iure belli inscriptum est, pars propriè non videtur esse qui quid circa bellum virtutes aliæ præcipiant, aut suadeant, obiter tamen obuiam eundum est errori, ne quis existimet vbi ius satis compertum est, statim aut oportere bellum suscipi, aut semper etiam licere. Contra enim euenit vt plerumq; magis pium rectúmque sit de iure suo cedere. Nam nostræ quoque vitæ curam honestè deseri, vt alterius & vitæ & saluti perpetuæ quãtum in nobis est consulamus, suprà suo loco dictum est. Maximè autem Christianis hoc conuenit qui in eo perfectissimum Christi imitantur exemplum, qui pro nobis adhuc impiis & infestis mori voluit. Rom.

Vide de iure bel. n. 14. & 33.

Rom.11.6. Quod ipsum multo etiam magis nos excitat ne res nostras aut nobis debitas persequamur cum tanto aliorum incommodo quantum secum ferunt bella. Non ob quamuis causam talem bellum suscipiendum, & Aristoteles monet, & Polybius. Nec à veteribus laudatus Hercules quòd Laomedonti & Augiæ arma intulit ob non solutam laboris mercedem. *Pol.lib.IV. Paus.lib.V.*

II. Ad pœnas vero omittendas multa sunt quæ nos hortantur. Videamus quam multa patres in filiis dissimulant; qua de re dissertatio est Ciceronis apud Dionem Cassium. *Pater*, vt Seneca ait, *nisi multæ & magnæ iniuriæ patientiam deuicerunt, nisi plus est quod timet quàm quod damnat, non accedet ad decretoriũ stylum.* At quisquis alium punire vult, rectoris, id est patris quodammodo personam suscipit: quò respiciens Augustinus ad Comitem Marcellinum: *Imple*, inquit, *Christiane iudex, pij patris officium.* Pittaci dictum laudat Iulianus Imperator: ὃς τὴν συγγνώμην τῆς τιμωρίας προετίθει, *qui veniam pœnæ præferebat.* Interdum eæ sunt rerum circumstantiæ, vt iure suo abstinere non laudabile tantùm sit, sed & debitum ratione eius quam hominibus etiam inimicis debemus dilectionis, siue in se spectatæ, siue qualiter eam exigit sanctissima lex Euangelij. Sic quosdam esse diximus pro quorum, etiamsi nos impetant, salute mortem optare debeamus, quòd eos sciamus rei communi humanæ aut necessarios, aut valde vtiles. Si res quasdam negligi vult Christus, ne lites subeantur, tanto credendum est maiora à nobis negligi voluisse ne ad bellum eatur, quanto bellum lite est nocentius. *De suo iure virum bonum aliquid relaxare non solùm liberalitatis, sed plerumque etiam commoditatis est*, ait Ambrosius. *Molina tract.II.de Iust.disp. 103. Lorca disp. 153.n. 11. Ægid. Regius de act.supern. disp.31. dub. 7.n.107.* *L.II.de Off. c.2.*

III. Circa pœnas officij primùm nostri est, si non vt hominum, certe vt Christianorum, vt facile, ac libenter condonemus, quæ in nos sunt commissa, sicut

Deus

Deus nobis condonat in Christo. IV. 32. τό γε περὶ τούτων ἀόργητον ὑπὲρ ὧν τὸ ζῆν ὑπεύθυνον τῇ κολάσει γίνεται τῶν ἠδικηκότων, Θεοῦ φύσει προσετέθη, ait Philo. *Ira vacare circa ea ob quæ nocentes pœnæ mortis sunt obnoxii ad diuinam naturam accedit.* Seneca de principe: *Longè sit in suis quàm in alienis exorabilior iniuriis. Nam quemadmodum non est magni animi qui de alieno liberalis est, sed ille qui quod alteri donat sibi detrahit: ita clemẽtem vocabo, non in alieno dolore facilem, sed eum qui cùm suis stimulis agitatur, non prosilit: qui intelligit magni animi esse iniurias in summa potentia pati, nec quicquam esse gloriosius principe impune læso.* Liuia in allocutione ad Augustũ apud Dionem: τοὺς ἄρχοντας νομίζουσιν οἱ πολλοὶ τοὺς μὲν τὸ κοινὸν ἀδικοῦσιν ἐπεξιέναι χρῆναι, τοὺς δ' ἰδίᾳ τι εἰς αὐτοὺς πλημμελεῖν δοκοῦντας φέρειν. *Ita plerique existimant, rectoribus punienda quæ contra communem vtilitatem peccantur; quæ verò in ipsos, dissimulanda.* Antoninus Philosophus in oratione ad Senatum: *Non enim vnquam placet in Imperatore vindicta sui doloris, quæ etsi iustior fuit, acrior videtur.* Ambrosius in epistola ad Theodosium: *Antiochenis tuam donasti iniuriam.* Et in eiusdem Theodosii laudibus ad Senatum Themistius: ὅτι οὐκ ἀντιβλάπτοντα χρὴ τὸν ἀγαθὸν βασιλέα, ἀλλ' εὖ ποιοῦντα μείζω φαίνεσθαι τῶν ἠδικηκότων. *Bonum regem oportet his qui in se peccarunt superiorem esse, non vicissim nocendo, sed bene faciendo.* Maximè verò id locũ habet, vbi aut nos quoq; nobis peccati alicuius sumus conscii, aut id quod in nos peccatum est ab humana quadam & excusabili infirmitate procedit, aut satis apparet pœnitere eum qui nocuit. *Est vlciscendi & puniendi modus,* inquit Cicero, *& haud scio an satis sit eum qui lacessierit iniuriæ suæ pœnitere. Sapiens,* inquit Seneca, *multa remittet: multos parum sani, sed sanabilis ingenii seruabit.* Et hæ quidem causæ à bello abstinendi ex dilectione nascuntur, quam ipsis inimicis, aut debemus, aut rectè impendimus.

Lib. I. de Clem. c. 20.

Dried. Lib. II. de Lib. Christ. c. 6.

IV. Sæpe verò nobis ipsis nostrisque præstandum habemus

habemus ne ad arma veniatur. In fabella quadam Christi dicitur, si quis rex cum rege altero bello certādum habeat, primo sedentem, qui mos est cum cura consultantium, expensurum apud se, an ipse qui decem millia militum habeat, hosti ducenti bis totidem par esse possit. quod si videat se imparem fore, antequam ille intra fines adsit, missurum legationem cum mandatis pacis causa. Sic Tusculani omnia patiendo & nihil recusando pacem à Romanis meruerunt. Sic legatus Iustiniani Amalasunthæ reginæ negauit armis se certaturum. Quod Euripides de Græcis dixit ciuitatibus, idem ad alios quosuis recte aptes:

De Marte quoties itur in suffragia,
Nemo imminere cogitat mortem sibi,
Sed quisque cladem destinamus alteri:
Quòd si in comitiis funera ante oculos forent,
Furiata bello non perisset Græcia.

Apud Liuium est: *Cùm tuas vires, tum vim fortunæ, Martemque communem propone animo.* Et apud Thucydidem: τοῦ πολέμου τὸ παράλογον ὅσον ἐστὶ πρὶν ἐν αὐτῷ γενέσθαι προδιάγνωθι. *Quicquid inopinum accidere potest in bello priusquam aggrediare considera.*

V: Qui deliberant, partim de finibus non quidem vltimis sed interiectis deliberant, partim de iis quæ eo ducunt. Finis semper est bonum aliquod, aut certe mali declinatio quæ vicem boni obtinere possit. Quæ vero huc aut illuc ducunt, per se non expetuntur, sed quatenus ducunt: quare in deliberationibus comparandi sunt, & fines inter se, & eorum quæ ad finem ducunt facultas effectiua ad finem producendum: quæ comparatio tres habet normas. Prima est; si res de qua agitur æqualem, morali scilicet æstimatione, efficaciam habere videatur ad bonum & ad malum, ita demum eligenda est si bonum aliquanto

plus

plus habeat boni quàm malum mali. Altera; si videatur esse æquale bonum & malum, quod à re de qua quæritur possit procedere, ita demum ea res eligenda est si efficacia ad bonum quam ad malum maior sit. Tertia; si videatur & bonum & malum esse inæquale, nec minus inæqualis rerum efficacia, res ea ita demum eligenda est, si efficacia ad bonum maior sit collata efficaciæ ad malum, quam ipsum malum est collatum bono; aut si bonum sit maius comparatione mali quam efficacia ad malum comparata ad bonum. Hæc nos limatius paulo: sed eodem tendit via planiore Cicero, cum ait fugiendum ne offeramus nos periculis sine causa; quo nihil potest esse stultius: quapropter in adeundis periculis consuetudinem imitandam medicorum, qui leuiter ægrotantes leuiter curant; grauioribus autem morbis periculosas curationes & ancipites adhibere coguntur. quare subuenire tempestati sapientis esse dicit, eoque magis si plus adipiscare re explicata boni quam addubitata mali. Et alibi: *Vbi ἐπίτευγμα magnum nullum fieri possit, ἀπότευγμα vel non magnum nociturum sit, quid opus est ἀπρακινδυνεύειν.*

De Off. 1.

Ep. ad Att. L. XIII. 27.

VI. Exemplum sumamus ab eo quod inter Galliæ ciuitates consultatum olim narrat Tacitus: *Libertas an pax placeret:* Libertatem intellige ciuilem, hoc est ius regendæ per se reipublicæ: quod ius plenum est in statu populari, temperatum in statu optimate, præsertim tali vbi nemo ciuium ab honoribus arceatur: pacem vero talem qua bellum redimatur internecinum, id est, vt Cicero alibi Græcis verbis hanc quæstionem explicat, ἐὰν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύειν: Puta vbi recta æstimatio futuri nihil ferme aliud quam totius populi exitium videatur portendere: qualis erat status Hierosolymorum obsessorum à Tito. Hîc Cato quid dicturus sit qui mori quam vni parere

Lib. IX. Ep. ad Att. ep. III.

parere maluit, nemo nescit: quo & illud pertinet:

Quam sit non ardua virtus
Seruitium fugisse manu.

Et multa alia ad eum modum. At aliud dictat recta ratio: Vitam scilicet, quæ fundamentum est omnium bonorum temporalium, pluris esse quam libertatem; siue vtrumque sumas in vno homine, siue in toto populo. Itaque Deus ipse pro beneficio imputat quod nõ perdat homines, sed in seruitutem tradat. Et alibi suadet per Prophetam Hebræis, vt sese Chaldæis in seruitutem dedant, ne fame ac peste moriantur. Quare illud quamquam laudatum antiquis,

II. Pa. XII. 78.

Ierem. XXVII.

Obsessum Pœno gessit quod Marte Saguntum:

laudandum non est, nec quæ eo ducunt. Internecio enim populi in hoc rerum genere pro maximo malo haberi debet. Quod autem de libertate dixi, idem de aliis rebus expetibilibus dictum volo, si oppositi mali maioris iustior aut par sit expectatio.

VII. In pœnis quoque exigendis illud maxime obseruandum est, ne vnquam eo nomine bellum suscipiatur in eum cui pares sunt vires. Nam vt iudicem ciuilem, ita qui armis facinora velit vindicare multo esse validiorem altero oportet. neque vero prudentia tantum, aut suorum caritas exigere solet, vt bello periculoso abstineatur, sed sæpe etiam iustitia rectoria scilicet, quæ ex ipsa regiminis natura superiorem non minus ad curam pro inferioribus, quam inferiores ad obedientiam obligat. Cui consequens est id quod recte à Theologis est traditum, regem qui ob causas leues, aut ad exigendas pœnas non necessarias & magnum secum periculum trahentes bellum suscipit, teneri subditis ad reparationem damnorum quæ inde oriuntur. nam etsi non in hostes, in suos tamẽ veram committit iniuriam, qui talibus de causis

Caiet. 2. 2. q. 95. art. 8.

Molina tract. 1. de Iustitia, cap. 103.

tam graui malo eos implicat. Liuius: *Iustum bellum quibus necessarium, & pia arma quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.*

VIII. Rara ergo belli sumendi causa est quæ omitti aut non possit aut non debeat, putà cùm iura sunt, vt Florus loquitur, armis sæuiora. Seneca *incurri* ait *in pericula vbi quiescenti paria metuuntur.* *Miseram pacem bello bene mutari* ait Tacitus, nempe cum, vt idem ait, *aut ausos libertas sequitur, aut victi ijdem erunt.* Non si, vt apud Ciceronem est, apparet futurum vt si victus eris, proscribaris; si viceris, tamen seruias.

IX. Altera belli occasio, si, ita vt oportet rem æstimanti, à iure, & quidem quod momenti sit maximi simul stent vires. Hoc est quod Augustus aiebat, bellum non suscipiendum nisi cum maior emolumenti spes quàm damni metus ostenderetur. Et quod de prælio dicere solebat L. Æmilius Paulus, idem huc non malè aptaueris: *Non decertandum esse nisi summa necessitudo, aut summa occasio data esset.*

Suet. c. 24.

Gel. L. XIII. c. 3.

Vita Camilli.

X. Sæua res bellum est, inquit Plutarchus, cumulumque secum trahit iniuriarum & insolentiæ: Et sapienter Augustinus. *Quorum malorum* (de his loquitur quæ ex bello nascuntur) *multas & multiplices clades, diras & duras necessitates, si, vt dignum est, eloqui velim, quanquã nequaquam sicut res postulat possum, quis erit prolixæ disputationis modus? Sed sapiens, inquiunt, bella gesturus est: quasi non, si se hominem meminit, multo magis dolebit iustorũ necessitates sibi extitisse bellorum: quia nisi iusta essent, gerenda non essent: ac per hoc sapienti nulla bella essent. iniquitas enim partis aduersæ iusta bella ingerit gerenda sapienti, imò & necessaria; quæ iniquitas homini vtiq; dolenda quia hominum est, etsi nulla ex eo bellandi necessitas nascatur. Hæc itaque tam magna, tam horrenda, tam sæua quisquis cum dolore cõsiderat, miseriam necesse est fateatur. quisquis autem vel patitur ea sine animi dolore vel cogitat, multo vti-*

Decim. Dei. Lib. XIX. c. 7.

que

que miserius ideo se putat beatum quòd & humanum perdidit sensum. Idem alio loco: *Bellum gerere malis videtur felicitatis, bonis verò necessitatis.* Cui Senecæ illud addendum, nō esse homini homine prodigè vtendum. Si iure Hebræo & qui non volēs hominem occidisset fugere debebat: Si Deus à Dauide qui pia bella gessisse dicitur, ideò templum suum ędificari vetuit, quòd multum sanguinem fudisset: Si apud Græcos veteres expiatione opus habebant etiam qui sine culpa manum cæde maculassent, quis non videat, præsertim Christianus, quàm res sit infelix & mali ominis, quantoque nisu fugiendum bellum etiam non iniustum? Certè apud Græcos Christianismum professos diu obseruatus est canon quo sacris ad tempus arcebantur qui hostem in qualicumque bello interfecissent.

Lib. IV. de ciuit. Dei, c. 15.

CAPVT XXV.

De causis belli pro aliis suscipiendi.

I. *Bellum suscipi iustè pro subditis:*
II. *Non semper tamen suscipiendum.*
III. *An subditus innocens hosti dedi possit, vt periculum vitetur.*
IV. *Bella item iustè suscipi pro fœderatis æqualibus & inæqualibus.*
V. *Et pro amicis:*
VI. *Imò & pro hominibus quibuscuis:*
VII. *Posse tamen id sine peccato omitti, si quis aut sibi metuat, aut etiam nocentis vitæ.*
VIII. *An pro subditis alienis defendendis iustum sit bellum, distinctione explicatur.*
IX. *Iniustas esse societates & mercenariam militiam sine causarum discrimine.*

X. *Etiam præcipuè prædæ aut stipendii causa militare vitiosum esse.*

I. SVPRA cùm de his qui bellum gerunt, egimus, dictum ostensumque à nobis est, naturaliter non tantum vnumquemque sui iuris esse exsecutorem, sed & alieni. quare quæ causæ iustæ sunt ipsi cuius res agitur, eædem iustæ sunt iis qui aliis opem ferunt. Primâ autem maximèque necessaria cura pro subditis, siue qui familiari, siue qui ciuili subsunt imperio. Sunt enim quasi pars rectoris, vt ibidem diximus. Sic pro Gabaonitis qui se populo Hebræo subiecerant arma sumsit is populus duce Iosua. *Maiores nostri*, inquit Cicero ad Quirites, *sæpe mercatoribus ac nauicularijs iniuriosius tractatis bella gesserunt.* Alibi: *Quod bella maiores nostri susceperũt quod ciues Romani iniuria affecti, nauicularii retenti, mercatores spoliati esse dicerentur?* Iidem Romani pro quibus sociis arma sumere noluerant, pro iis deditis, id est factis subditis eadem sumere necessarium duxerunt. Campani ad Romanos: *Quandoquidem nostra tueri aduersus vim atque iniuriam iusta vi non vultis, vestra certe defendetis.* Florus à Campanis fedus quod ante habebant, sanctius ait factum omnium suorum deditione: *Fides agi visa*, inquit Liuius, *deditos non prodi.*

Nauar. XXIV. 18.

Ios. X. 6.

Verr. II.

Lib. VII.

II. Non tamen semper quamuis iusta causa subditi alicuius obligat rectores ad bella sumenda: sed ita demum si id sine omnium aut plurium subditorum incommodo fieri potest. Rectoris enim officium magis circa totum quam circa partes versatur: & quo pars est maior, eo ad totius naturam propius accedit.

III. Itaque si ciuis vnus quamuis innocens ad exitium ab hoste deposcatur, dubium non est quin deseri possit, si appareat ciuitatem hostium viribus multo esse imparem. Disputat contra hanc sententiam Ferdi-

Soto de Iust. & iur. l. V. q. 1. art. 7. L. 1. cont. III. c. 13.

Ferdinandus Vasquius: sed si non tam verba eius quã propositum spectetur, hoc videtur agere ne ciuis talis temere deseratur, vbi eum defendi posse spes sit. Nam & historiam adfert Italici peditatus qui Pompeium rebus nondum plane desperatis deseruit, de sua salute certior factus à Cæsare; q̃ ille nõ immerito improbat. An vero etiam tradi in manus hostium possit ciuis innocens, vt vitetur imminens alioqui ciuitatis excidiũ, disputant eruditi, & olim disputatum est, vt cum Demosthenes nobilem illam de canibus quos lupi pacis causa ab quibus tradi sibi postulabant fabulam protulit. Negant id licere non Vasquius tantum, sed is cuius sententia vt perfidiæ propinqua à Vasquio arguitur Sotus. Ponit tamen Sotus teneri talem ciuem se hostibus tradere: hoc quoque negat Vasquius, quia natura societatis ciuilis, quam sui quisque commodi causa iniit, id non postulet. Sed hinc nihil aliud sequitur quam ex iure proprie dicto, ciuem ad hoc non teneri: at non etiam caritatem pati, vt aliter faciat. Multa enim sunt, non iustitiæ proprie dictæ, sed dilectionis officia, quæ non tantum cum laude præstantur, quod Vasquius agnoscit, sed etiam omitti sine culpa nequeunt. Tale autem omnino hoc videtur esse, vt maximæ multitudinis innocentis vitam suæ vnius quis præferat. Praxithea in Euripidis Erechtheo:

εἶπερ γὰρ ἀριθμὸν οἶδα καὶ πολλάσσονος
τὸ μεῖζον, εἷς μὲν οἶκος οὐ πλέον σθένει,
πάσας ἅπασι πόλεος, οὐδ' ἔστιν φέρει.
Si nanque numeros quidã, sit plus aut minus
Percipimus animo, non malo vnius domus
Commune vinci, sed nec æquari potest.

Apud Liuium de Molossis quibusdam dictum legimus: *Equidem pro patria qui letum oppetissent sæpe fando audiui: qui patriam pro se perire æquum censerent, hi primi inuenti* Lib. XLV.

sunt. Sed hoc posito restat dubitatio, an quod ille facere tenetur ad hoc cogi quoque possit. Negat hoc Sotus exemplo diuitis qui egeno stipem dare ex misericordiæ præscripto tenetur, cogi tamen nequit. Sed notandum est aliam esse rationem partium inter se, aliam superiorum vbi cum sibi subditis comparantur: Nam par parem cogere non potest nisi ad id quod ex iure debetur stricte dicto. At superior cogere potest etiam ad alia quæ virtus quælibet præcipit, quia in iure proprio superioris, qua superior est, hoc est comprehensum. Sic in magna frumenti penuria ciues cogi possunt q̃ habent in medium conferre: quare & in nostra illa controuersia verius videtur cogi posse ciuem, vt id faciat quod exigit caritas.

Less. lib. II. c. 9. dub. 7.

IV. Subditis proximi, imo pares sunt in hoc, vt defendi debeant socii, in quorum federe comprehensum id est, siue in tutelam sese & fidem aliorum dederunt, siue mutua auxilia pacti sunt. *Qui non repellit iniuriam à socio si potest, tam est in vitio quam ille qui facit*, ait Ambrosius. Pactiones autem tales ad bella quibus iusta causa non subsit porrigi haud posse diximus alibi. Et hæc est causa cur Lacedæmonij, priusquam bellum in Athenienses susciperent, sociis omnibus de causæ iustitia iudicium permiserint. Nunc illud addamus, ne tunc quidem teneri socium si nulla spes sit boni exitus. Boni enim non mali causa societas contrahitur. Defendendus autem socius est etiam contra alium itidem federatum, nisi priori federe aliquid specialius conuenerit. Sic Corcyreos, si causa eorum iusta erat, Athenienses defendere potuerunt etiam contra Corinthios socios vetustiores.

Off. 1. c. 36.

Vict. de Ind. p. 2. n. 17. Caiet. 2. 2. q. 4. art. 1.

V. Tertia causa est, amicorum quibus auxilium promissum quidem non est, sed tamen amicitiæ quadam ratione debetur, si facile & sine incommodo exhiberi possit.

possit. Sic pro Lotho cognato arma sumsit Abrahamus: Sic Romani sæpe non pro sociis tantum quibus ex fœdere id debebatur, sed pro amicis.

VI. Postrema latissime q; patens est hominum inter se coniunctio, quæ vel sola ad opem ferendam sufficit. *Homo in adiutorium mutuum generatus est*, ait Seneca. Eiusdem est: *Sapiens quoties poterit fortunæ intercedet*. Euripides in Supplicibus: *Cic. de fin. III. de Off. II. L. vt vim. D. de iust. & iure. de Ira. l. 1. c. 7. de Clem. II. 5.*

——*præbent saxa perfugium feris*
Aræque famulis. vrbibus preßis malo
Tutamen vrbes.——

Ambrosio, *fortitudo quæ defendit infirmos plena iustitia est*. *De Off. 1.*

VII. Quæritur hic, an teneatur etiam homo hominem, populus populum ab iniuria defendere. Plato puniendum censet qui vim alteri illatam non arcet. Sed primum si manifestum sit periculum, non teneri certum est. potest enim suam vitam & res alienis præferre. Atque ita interpretandum censeo illud Tullij: *Qui non defendit, nec obsistit si potest iniuriæ, tam est in vitio quam si parentes, aut patriam, aut socios deserat*. vt *potest* illud intelligamus, cum suo commodo: nam & idem alibi dicit, *non defendi homines sine vituperatione fortasse possunt*. Sed ne tunc quidem tenebitur, si oppressus nisi morte inuasoris eripi nō potest. Nam si inuasoris vitā qui inuaditur suæ potest præferre, vt alibi diximus, non peccabit qui inuasum id aut credet, aut volet malle: præsertim cum ex parte inuasoris maius sit periculum damni irreparabilis & sempiterni. *De legibus IV. Lessi. lib. II. c. 4. dub. 15.*

VIII. Est & illud controuersum, an iusta sit belli causa pro subditis alienis, vt ab eis arceatur imperantis iniuria. Sane ex quo ciuiles societates institutæ sunt, certum est rectoribus cuiusque speciale quoddam in suos ius quæsitum. Euripides Heraclidis:

δίκαιοι οἱ ἐσμὲν οἰκοῦντες πόλιν
αὐτὴν καθ' αὑτοὺς κυρίαν κρίνειν δίκας.
Nos quotquot huius colimus vrbis mœnia,
Sufficimus ipsi nostra iudicia exsequi.

Nec aliò illud pertinet:

Spartam tibi quæ contigit orna:
Nobis fuerint cura Mycenæ.

Et Thucydides inter summi imperij signa posuit τὸ αὐτοδίκον, iudiciorum summam potestatem, non minùs quàm τὸ αὐτόνομον καὶ τὸ αὐτοτελές, id est legum & magistratuum creãdorum ius. Nec alio pertinet poeticum illud:

Virg. Æn. 1. *Non illi imperium pelagi regnumque tridenti,*
Sed mihi sorte datum.

Et huic non dissimile illud:

Ouid. *Rescindere nunquam*
Dîs licet acta Deûm:

Et apud Euripidem:

Hippolyto. *Mos ille est Deûm:*
Quod cupijt vnus, huic nefas obsistere:

Lib 1. de off. Nimirum, vt recte explicat Ambrosius: *ne vsurpata aliarum partium sollicitudine bellum inter se incitarent.* τοὺς σοφιστὰς αὐτῶν τινα κολάζειν, vt in suos quisque animaduertant æquum esse censent Corinthij apud Thucydidem. Sed hæc omnia locum habent vbi vere delinquunt subditi, adde etiam vbi dubia est causa. In hoc enim instituta est illa imperiorum distributio. At non etiam, si manifesta sit iniuria, siquis Busiris, Phalaris, Thrax Diomedes ea in subditos exerceat, quæ æquo nulli probentur, ideo præclusum erit ius humanæ societatis? Sic in Maxentium & in Licinium Constantinus, in Persas alii Romanorum Imperatores arma ceperũt, aut capere minati sunt nisi vim à Christianis religionis nomine arcerent. Imo etiam si daretur ne in

L.V.

Vict. rel. de Ind. n. 15.

Vict. de Ind. rel. p. 2. n. 13.

summa

summa quidem necessitate arma recte à subditis sumi (qua de re dubitare vidimus illos ipsos quorum institutum fuit regiam potestatem defendere) non tamen inde sequetur non posse pro ipsis ab aliis arma sumi. Quoties enim actioni alicui impedimentum ponitur personale, non ex re; toties ꝙ vni non licet, alteri pro eodem licere potest, si modo tale sit negotium in quo alter alteri prodesse possit. Sic pro pupillo, cuius persona iudicium non capit, litigat tutor aut alius. Impedimentum autem quod resistere subditum prohibet, non ex causa venit quæ eadem est in subdito & in non subdito, sed ex personæ qualitate, quæ in alios non transit. Sic Seneca existimat bello à me peti posse qui à mea gente sæpositus, suam exagitat, vt diximus, cùm de pœnis exposcendis ageretur: quæ res sæpe cum defensione innocentium coniuncta est. Scimus quidem ex veteribus nouisque historiis alieni cupiditatem hos sibi quærere obtentus: sed non ideo statim ius esse desinit si quid à malis vsurpatur. Nauigant & piratæ: ferro vtuntur & latrones.

IX. Sicut autem societates bellicas eo initas animo vt in quoduis bellum nullo causæ discrimine promittantur auxilia, illicitas diximus, ita nullum vitæ genus est improbius quam eorum qui sine causæ respectu mercede conducti militant, & quibus *Silu. in verb. Bellum. p. 1. §. 10. circa f.*

ibi fas vbi plurima merces.

Quod Plato ex Tyrtæo probat. Hoc ipsum est quod Ætolis à Philippo exprobratum legimus. Res sane miseranda, vt Antiphanes loquitur, *Liu. lib. XXXII.*

ὃς ἕνεκα τοῦ ζῆν ἔρχετ' ἀποθανούμενος,

Miles qui vitæ causa se auctorat neci.

Parum vero quod suam vendit necem, nisi & aliorum sæpe innocentium venderet; tanto carnifice detestabilior, quanto peius est sine causa quam ex causa occi- *Bellinus de re milit. II. parte. tit. 2. n. 4.*

dere: Sicut Antisthenes dicebat carnifices tyrannis esse sanctiores, quòd illi nocentes, hi innocentes interficerent. Non est inter artificia bellum, imò res est tam horrenda, vt eam nisi summa necessitas, aut vera caritas honestam efficere nequeat: quemadmodum ex iis intelligi potest quæ capitum antecedentium proximo dicta à nobis sunt, Augustino iudice, *militare non est delictum, sed propter prædam militare peccatum est.* *De verbis Domini.*

X. Imò & propter stipendium, si id vnicè aut præcipuè spectetur: cùm alioqui stipendium accipere licitum sit omnino: πὸς στρατεύεται ἰδίοις ὀψωνίοις ποτε; ait Paulus Apostolus, *quis suis impensis militat?* 1. Cor. 10. 7.

CAP. XXVI.

De causis iustis vt bellum geratur ab his qui sub alieno imperio sunt.

I. *Qui dicantur esse sub alieno imperio.*
II. *Quid his faciendum si ad deliberationem adhibeantur, aut liberam electionem habeant.*
III. *Si imperetur ipsis, & causam belli iniustam credant, non militandum.*
IV. *Quid si dubitent?*
V. *Pietatis esse hac in re dubitantibus subditis parcere sub onere tributi extraordinarii.*
VI. *Quando subditorum arma iusta sint in bello iniusto.*

I. EGIMVS de his qui sunt sui iuris: sunt alii in conditione parendi positi, vt filii familiarum, serui, subditi, etiam ciues singuli, si cum ciuitatis suæ corpore conparentur.

II. Hi

II. Hi verò si aut ad deliberationem adhibentur, aut libera ipsis oprio datur militandi aut quiescendi, eadem regulas sequi debent, quas illi qui suopte arbitrio pro se aut aliis bella suscipiunt. *Ægid. Reg. de act. Superm. disp. 31. num. 60.*

III. At si edicitur ipsis vt militent, quod fieri solet, siquidem constat ipsis iniustam esse belli causam, abstinere omnino debent. Deo potius obediẽdum quàm hominibus, non Apostoli tantùm dixerunt, sed & Socrates. Et Paulus Apostolus: *Filii*, inquit, *obedite parentibus in Domino, id enim æquum est.* Ad quem locum Hieronymus: *Peccatum filiorum est non obedire parentibus, & quia poterant parentes aliquid imperare peruersum, adiunxit, in Domino.* Et de seruis addit: *Cùm dominus carnis à Domino spiritus diuersum imperat, non est obediendum.* Idem alibi: *In illis tantùm debent dominis & parentibus esse subiecti quæ contra Dei mandatum non sunt.* Apud Euripidem dicenti Creonti: *Victo. de iure belli, num. 19. Actor. VIII 10. Ephes. VI. 1.*

Nonne exsequi mandata fas ipsum iubet? *Phœniss.*

respondet Antigone:

Non imperata iure nec ius exsequi.

Musonius ita ait: *Si quis, aut patri, aut magistratui, aut domino turpia, aut iniqua factu imperanti non paret, is nec inobediens est, nec iniuriam facit, nec peccat.* Gellius negat probã esse sententiam, omnia esse quę pater iusserit parendũ. *Quid enim*, ait, *si proditionẽ patriæ, si matris necem, si alia quædam imperarit turpia aut impia? Media igitur sententia optima atq; tutissima visa est, quædam esse parendum, quædam nõ obsequendũ.* Quintilianus: *Nõ omnia necesse est facere liberis quæcumq; patres imperant. Multa sunt quæ fieri non possunt. Si imperes filio vt sententiam dicat contrà quàm existimet: si testimonium iubeas dici eius rei quam ignoret: si sententiam in senatu: si Capitolium me incendere iubeas, arcem occupare licet dicere: Hæc sunt quæ fieri non oportet.* Seneca: *Non aut nos omnia iubere possumus, aut in omnia serui parêre cogũtur. Contra rempublicã* *Stob. tit. liberos parent, honorand. Lib. II. c. 7. Decl. 271. De Benef. lib. III. 20.*

impera-

imperata non facient: nulli sceleri manus commodabunt. Sopater: ἔδει, φησί, πειθῆναι τῷ πατρί· εἰ μὲ κατὰ νόμους, καλῶς· εἰ δὲ παρὰ τὸ πρέπον, οὐκ εὔλογον. *patri, inquit, parendum est: siquidem intra iura, rectè; sin vltra honestum, non conuenit.* Plinius alicubi elaboratum à se ait, vt constaret ministerium crimen esse. Ipsa iura ciuilia, quæ peccatis excusabilibus facilè veniam præbent, fauent quidem his qui parêre necesse habent, sed non in omnibus. Excipiunt enim ea quæ atrocitatem habent facinoris vel sceleris, quæ sua sponte scelerata ac nefaria sunt, vt loquitur Tullius, maleficia quæ sponte & non disputatione Iurisconsultorum, sed naturali interpretatione fugienda sunt, vt Asconius interpretatur. Speciale nostri argumenti exemplum habemus in Iuliani militibus, de quibus sic Ambrosius: *Iulianus Imperator quamuis esset Apostata habuit tamen sub se Christianos milites: quibus cùm dicebat, producite aciem pro defensione reipublicæ, obediebant ei: cùm autem diceret eis, producite arma in Christianos, tunc agnoscebant Imperatorem cœli.* Tantundem erit si quis persuasus sit quod imperatur iniustum esse. Nam huic tantisper ea res pro illicita est quamdiu eam opinionem non potest deponere: vt ex suprà tractatis apparet.

Lib. III. Ep. ad Minutium.

L. Adeò. D. de R. I.

Vict. de iure bell. num. 23.

IV. Quòd si dubitet, res licita sit nécne, éritne quiescendum an parendum? Parendum plerique censent: nec obstare illud laudatum, Quod dubites ne feceris: quia qui contemplatiuè dubitat, potest actiuo iudicio non dubitare. Credere enim potest in re dubia obsequendum superiori. Et sanè quin hæc distinctio iudicii duplicis in multis actionibus locum habeat negari non potest. Iura ciuilia non Romanorum tantùm, sed & aliarum gentium in tali circumstantia, non modò impunitatem concedunt obedientibus, sed & actionem in eos ciuilem denegant.

Is

Is damnum dat, aiunt, qui iubet dare: eius verò nulla culpa est, cui parêre necesse est. Necessitas potestatis excusat, & similia. Ipse Aristoteles Nicomachiorum quinto, his qui iniustum quidem aliquid faciunt, non autem iniustè, annumerat famulum domini imperantis: iniustè autem eum ait agere à quo actionis principium est; nimirum quia in famulo vis deliberatrix plena non est, vt indicat prouerbium:

ἥμισυ τῆς ἀρετῆς ἀποαίρει δοῦλιον ἦμαρ.

Dimidia virtute caret seruire coactus.

Et simile:

ἥμισυ γάρ τε νόου ἀπαμείρεται εὐρύοπα Ζεὺς
ἀνδρῶν οὓς ἂν δὴ κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλησι.

Tollitur huic hominum generi pars altera mentis
Ab Ioue, seruilem voluit quos ducere vitam.

Et illud quo Philo vtitur:

δοῦλος πέφυκας· οὐ μέτεσί σοι λόγου.

Serui tua est fortuna: ratio ad te nihil.

L. Damnū. de R.I.
L. Liber homo. D. ad L. Aquil.
L. Non videtur. §. quē iuss. de R.I.
Paul. lib. V. Sent. tit. 22. §. 1.
Leges Longobar. tit. 96 de termino effesso.
Leges Wisigoth. L. II. tit. 2. c. 2.
Lib. VIII. tit. 1. c. 3. 4.
Lib. VII. tit. VII. c. 5.

Et illud Taciti: *Principi summum rerum iudicium Dii dederunt; subditis obsequii gloria relicta est.* Et specialiter in hac de militia quæstione ita sensit Augustinus. Sic enim ait: *Ergo vir iustus si fortè sub rege etiam sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si ciuicæ pacis ordinem seruans, quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certus est, vel vtrum sit, certus non est: ita vt fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* Et alibi: *Miles cùm obediens potestati sub qua legitimè constitutus est hominem occidit, nulla ciuitatis suæ lege reus est homicidii: imò nisi fecerit, reus est imperii deserti atque contemti. quòd si sua sponte atque auctoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaq; vnde punitur si fecerit iniussus, inde punitur si non fecerit iussus.* Atque hinc passim recepta est sententia, subditos quod attinet, dari bellum vtrimque iustum, id est iniustitia vacans; quò illud pertinet:

Lib. XXII. c. 74. contra Faustum.
De Ciuit. Dei, lib. I. c. 26.
Silu. in verbo, bellum, 1. n. 9. concl. 4. Cast. in l. V. D. de Iustit.

quis

quis iustiùs induat arma
Scire nefas.

Non caret tamen hoc sua difficultate. Et Adrianus nostrâs, qui Cisalpinorum vltimus Pontifex Romanus factus est, contrariam defendit sententiam, quæ stabiliri potest non illa præcise ratione quam ille adfert, sed hac quæ magis vrget, quòd qui dubitat contemplatiuè, debeat iudicio actiuo eligere partem tutiorẽ. Est autem pars tutior abstinere bello. Laudantur Esseni quòd inter alia iurarent μὴ βλάψειν τινὰ ἐξ ἐπιτάγματος: *non nocituros se cuiquam ne si iuberentur quidem.* Neque obstat quòd ex altera parte periculum est inobedientiæ. Nam cum vtrunque incertum sit (nam si iniustum est bellum, iam in eius vitatione nihil est inobedientiæ) caret peccato, quod ex duobus minus est. Inobedientia autem in eiusmodi rebus suapte natura minus malum est quàm homicidium, præsertim multorum innocentium. Nec magni ponderis est quod contra nonnulli adferunt fore, vt id si admittatur perdatur sæpe respublica; quia plerumque non expediat rationes consiliorum edi populo. Vt enim hoc verum sit de causis suasoriis belli, de iustificis verum non est, quas oportet claras esse & euidentes, & proinde tales quæ palam exponi & possint & debeant. Quod de legibus nimis fortè indistinctè dictũ à Tertulliano est, in his legibus siue edictis de bello gerendo locum iustissime habet. *Neq; ciuis fideliter legi obsequitur ignorans quale sit quod vlciscitur lex. nulla lex sibi soli conscientiam iustitiæ suæ debet, sed eis à quibus obsequium exspectat. Cæterùm suspecta lex est quæ probari se nõ vult: improba autem, si non probata dominetur.* Apud Papinium Achilles Vlyssi se ad bellum excitanti ait:

Quæ Danais tanti primordia belli,
Ede, libet iustas hinc sumere protinus iras.

Omni-

Soto lib. V. quæst. 1. art. 7. & quæst. 3. art. 3.
Vict. de iure bell. num. 32
Couar. in c. peccato. p. 11. §. 10.
Quæstio. quodlib. II.
Bald. II. cons. 385.
Vict. de iure belli, n. 25.
Apolog. c. 4. 1. Adu. Nat. c. 6.

Omnino autem sequenda videtur ea quam diximus Adriani sententia, si subditus non modo dubitet, sed argumentis probabilibus inductus magis in id propẽdeat vt bellum iniustum esse putet: præcipue vero si de aliis impetendis, nõ de suis tuendis agatur. Quin probabile est etiam carnifici qui damnatum occisurus est, hactenus, aut quod quæstioni & actis interfuerit, aut ex rei confessione cognita esse debere causæ merita, vt satis ei constet mortem ab eo commeritam: idque nonnullis in locis obseruatur. nec aliud spectat lex Hebræa cum ad lapidandum eum qui damnatus est testes vult præire populo.

Ægid. Regius de act. supern. disp. 31. dub 5. nu. 85. Bannes 2. 2. qu. 40. art. 1. Molin. tract. II. disp. 113.

Deut. XVII. 7.

V. Quod si subditorum animis per causæ expositionem satis nequeat fieri, omnino officium erit boni magistratus tributa ipsis potius extraordinaria imperare quam operam militarem: præsertim vbi non defuturi sunt alii qui militent. quorum voluntate non tantum bona, sed & mala vti potest rex iustus, quomodo Deus & Diaboli & impiorum parata opera vtitur; & sicut culpa caret qui egestate pressus pecuniam sumit ab improbo fœneratore. Imo etiam si de causâ belli dubitari non possit, minime tamen videtur æquum vt Christiani inuiti cogantur militare, cum à militia abstinere, etiam cum militare liceat, maioris cuiusdam sit sanctitatis, quæ & à clericis & à pœnitentibus diu exacta est, aliis vero omnibus multis modis commendata. Origenes Celso Christianis obiectanti militiæ detrectationem sic respondet: *His qui à fide alieni pro republica militare nos iubent, & homines occidere, ita respondebimus: Hi qui simulacrorum vestrorum sunt sacerdotes, & Deorum quos putatis flamines, dextras puras seruant sacrificiorum ergo, vt ea incruentis & nulla cæde maculatis manibus offerant his qui creduntur Dij: neque si quod exoriatur bellum sacerdotes asscribuntur numeris: Quod si id ratione nõ caret, quãto magis*

Silu. in verbo bellũ, p. 1. n. 7. circa fin.

magis cæteris militantibus, illi quoque suo modo censendi sunt militare, tanquam Dei sacerdotes atque cultores, qui manus quidem seruant puras, sed precibus apud Deum certant, pro his qui iustè militant, & pro eo qui iustè regnat?

VI. Arbitror vero euenire etiam posse vt in bello non dubio tantum, sed & manifeste iniusto iusta aliqua esse possit subditorum defensio. Nam cum subditos innocentes, & à belli culpa remotos interficiendi ius verum & internum hostis, iustum quamuis bellum gerens, non habeat, nisi aut ad necessariam defensionem, aut per consequentiam & extra propositum (pœnæ enim illi obnoxij non sunt) sequitur vt si certo constet hostem eo venire animo vt hostilium subditorum vitæ parcere cum possit omnino nolit, subditi illi tueri se possint ex iure naturæ, quod gentium iure ademtum illis non est. Neque tunc dicemus bellum vtrinque iustum esse. non enim de bello, sed de certa ac definita actione quæritur. Illa autem actio, quamuis de cætero ius ad bellum habentis, iniusta est, & proinde iuste repellitur.

HVGO-

HVGONIS GROTII DE IVRE BELLI AC PACIS

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Quantum in bello liceat, regulæ generales ex iure naturæ: vbi & de dolis & mendacio.

I. ORdo sequentium.

II. *Regula prima: licere in bello quæ ad finem sunt necessaria: explicatur.*

III. *Secunda: ius non tantum ex principio, sed & causis in bello subnascentibus spectari.*

IV. *Tertia: quædam consequi sine iniuria quæ ex proposito non licerent: cui cautio additur.*

V. *Quid liceat in eos qui hostibus res subministrant per distinctiones explicatur.*

VI. *An dolo vti in bello liceat.*

VII. *Dolus in actu negatiuo per se non est illicitus.*

VIII. *Dolus in actu positiuo distinguitur in eum qui fit per actus libere significantes, & per actus significantes velut ex conuentione: & ostenditur dolum prioris generis licitum esse.*

IX. *In secundo genere indicatur quæstionis difficultas.*

X. *Non omnem vsurpationem locutionis quæ sciatur in alium sensum accipienda, esse illicitam.*

XI. *Mendacij qua illicitum est formam consistere in repugnantia cum iure alterius, quod explicatur.*

XII. *Et ostenditur licitum esse falsum loqui apud infantes & amentes.*

XIII. *Et cum is decipitur ad quem sermo non est & quem extra sermonem decipere liceret:*

XIV. *Et cum qui loquitur vtitur iure supereminente in sibi subditum:*

XV. *Et cum sermo est ad eum qui velit ita decipi:*

XVI. *Forte & cum vitam tueri aut nostrum consequi aliter non possumus.*

XVII. *Aduersus hostes licitum falsiloquiũ qui senserint auctores.*

XVIII. *Non extendendum hoc ad verba promittentia:*

XIX. *Nec ad iuramenta.*

XX. *Generosius tamen esse falsiloquio in hostem quoque abstinere: quod per similia illustratur.*

XXI. *Non licere nobis quenquam impellere ad id quod nobis licet, ipsi non licet.*

XXII. *Licere tamen vti opera vltro oblata.*

I. ET qui bellum gerãt, & quibus ex causis belligerare liceat vidimus. Sequitur expendamus, quid quantumque in bello liceat & quibus modis. quod aut nude spectatur, aut ex promisso antecedente. Nude ex naturæ primum, deinde ex Gentium iure. Quid ergo natura liceat videamus.

II. Primum, vt iam ante diximus aliquoties, ea quæ ad finem ducunt in morali materia æstimationem intrinsecam accipiunt ab ipso fine: quare quæ ad finem iuris consequendi sunt necessaria, necessitate sumpta nõ secundum Physicam subtilitatem sed moraliter, ad ea ius habere intelligimur: Ius dico illud & stricte ita dicitur

Vict. de iure belli, n. 15.

dicitur & facultatem agẽdi in solo societatis respectu significat. Quare si vitã aliter seruare non possum, licet mihi vi qualicunque arcere eum qui eam impetit, etiãsi forte is peccato vacet, vt notauimus alibi: quia ius hoc non proprie ex peccato alterius oritur, sed ex iure ꝙ mihi pro me natura concedit. Quin & rem alienam ex qua certũ mihi periculũ imminet citra culpę alienę considerationẽ inuadere possum: non tamen dominus fieri: id enim ad eum finem accommodatum non est: sed custodire donec securitati meæ satis cautum sit: ꝙ ipsum quoque tractatum est à nobis alibi. Sic rem mea quam alius detinet eripere ei naturaliter mihi ius est: & si id difficilius, aliud tantundem valens: vt & debiti consequendi gratia: quibus ex causis dominium quoque sequitur, quia alio modo læsa æqualitas reparari nequit. Sic vbi iusta est punitio, iusta etiam vis omnis sine qua ad pœnam veniri nõ potest: & omne ꝙ pœnæ pars est, vt rerum corruptio per incendium aut aliter, intra iustum scilicet & qui peccato respondeat modũ.

Vict. de iure belli n. 18. & 39. & 55.

Silu. in verbo bellum. p. 1. n. 10. vers. prima.

III. Sciendum secundo est ius nostrum non ex solo belli principio spectandũ, sed & ex causis subnascẽtibus, sicut & in iudiciis post litem contestatam ius sæpe parti nouum paritur. Sic qui se aggregant me impetẽti, siue socij siue subditi, in se quoque ius tuendi me mihi porrigunt. Sic qui bello se miscent quod iniustum est, præsertim si ipsi id iniustum esse scire possunt ac debent, obligant se ad sumtus & damna resarcienda quia culpa damnum dant. Sic qui bello sine probabili ratione suscepto accedunt, ipsi quoque pœnæ meritum contrahunt pro ratione iniustitiæ quæ ipsorum actui inest. Ita Plato probat bellum μέχρι οὗ ἂν οἱ αἴτιοι ἀναγκασθῶσιν ὑπὸ τῶν ἀναιτίων ἀλγούντων δοῦναι δίκην, *donec hi qui sontes sunt cogantur insontibus malo affectis pœnas dare.*

IV. Obseruandum tertio, ad ius agendi multa con-

sequi indirecte & extra agentis propositum, ad quæ per se ius non esset. In sui defensione quomodo id locum habeat explicauimus alibi. Sic vt nostrum consequamur, si tantumdem accipi non potest, plus accipere nobis ius est, sub obligatione tamen restituendi pretium eius quod redundat. Sic nauis piratis plena aut domus latronibus, tormentis peti potest etiamsi intra eandem nauem aut domum sint pauci infantes, mulieres aut alioqui innocentes quibus inde creetur periculum. *Necreus est mortis alienæ*, inquit Augustinus, *qui cum suæ possessioni murorum ambitum circumduxit, aliquis ex ipsorum vsu percussus interiit.* Sed sicut ante hac monuimus sæpe, non semper ex omni parte licitum est quod iuri stricte sumto congruit. Sæpe enim proximi caritas non permittet vt summo iure vtamur. Quare etiã quæ extra propositum accidunt & accidere posse præuidétur cauẽda erunt, nisi multo maius sit bonum quo nostra actio tendit quam malum id quod metuitur, aut nisi in pari bono & malo multo maior sit spes boniq̃ mali metus, quod prudentiæ arbitrandum relinquitur: sed ita vt semper in dubio ad eam partem quę alteri magis quam sibi consulit, vt tutiorem, inclinandum sit. *Sinite crescere zizania*, inquit optimus magister, *ne dũ ea euellere vultis euellatis & triticũ. Multos occidere & indiscretos*, inquit Seneca, *incendij & ruinæ potentia est.* Docent nos historiæ quam seria pœnitentia, Ambrosio monente, talem vindictæ excessum Theodosius expiauerit. Nec si quid Deus interdum facit tale, id nobis in exemplum trahendum est, ob plenissimum illud dominii ius q̃ ille in nos habet, nobis vero alteri in alterum non concessit, vt alibi notauimus. Et tamen ille ipse Deus, hominum suo iure dominus, ob pauciſſimos bonos parcere solet quamuis magnę malorum vniuersitati, & eo suam, qua iudex est, æquitatẽ testatã facit, vt Abrahami cum

Vict. d. lib. n. 37.

Ad Publ. ep. 154.

Matt. XIII. 29 Thom. 2. 2. quæst. 64. art. 2. In fine lib. II. de clem.

Gen. XVIII. 23. & seq.

cũ Deo colloquium de Sodomis apertè nos docet. Et ex his quidẽ generalibus regulis cognosci potest quãtum in hostem liceat naturaliter.

V. Sed & quæstio incidere solet quid liceat in eos qui hostes non sunt, aut dici nolunt, sed hostibus res aliquas subministrant. Nam & olim & nuper de ea re acriter certatum scimus, cum alii belli rigorẽ, alii commerciorum libertatem defenderent. Primum distinguendum inter res ipsas. Sunt enim quæ in bello tantum vsum habent, vt arma: sunt quæ in bello nullum habent vsum, vt quæ voluptati inseruiunt: sunt quę & in bello & extra bellum vsum habẽt, vt pecuniæ, commeatus, naues, & quæ nauibus adsunt. In primo genere verum est dictum Amalasuinthæ ad Iustinianum, in hostium esse partibus qui ad bellum necessaria hosti administrat. Secundum genus querelam non habet. Sic Seneca, tyranno gratiam se relaturum ait, si beneficium illi neque vires maiores daturum est ad exitiũ commune, neque confirmaturum quas habet, id autẽ est quod reddi illi sine pernitie publica possit; quod explicans addit *pecuniam quæ satellitem stipendio teneat, non subministrabo; si marmora & vestes desiderabit, nihil obstrepam cuiquam id quo luxuria eius instruitur: militem & arma non suggeram. Si pro magno petet munere artifices scenæ & quæ feritatẽ eius emolliant, libens offeram. Cui triremes & æratas non mittam, lusorias & cubiculatas & alia ludibria regum in mari lasciuientium mittam.* Et Ambrosio iudice largiri ei qui conspiret aduersus patriam, non est probabilis liberalitas. In tertio illo genere vsus ancipitis, distinguendus erit belli status. Nam si tueri me non possum nisi quæ mittuntur intercipiam, necessitas vt alibi exposuimus, ius dabit, sed sub onere restitutionis nisi alia causa accedat. Quod si iuris mei executionem rerũ subuectio impedierit, idq; scire potuerit qui aduexit, vt si oppi-

Procop. 1. Goth.

Lib. 1 c. 30. de Off.

Can iu c. Ita quorundã. & c. ad liberandam: de Iudæis.

dum obsessum tenebam, si portus clausos, & iam deditio aut pax exspectabatur, tenebitur ille mihi de dano culpa dato, vt qui debitorem carceri exemit, aut fugæ eius in meam fraudem instruxit: Et ad damni dati modum res quoque eius capi & dominium earum debiti consequendi causa quæri poterit. Si damnum nondum dederit sed dare voluerit, ius erit rerum retentione eũ cogere vt de futuro caueat obsidibus, pignoribus aut alio modo. Quod si præterea euidentissima sit hostis mei in me iniustitia, & ille eũ in bello iniquissimo confirmet, iam non tantum ciuiliter tenebitur de damno, sed & criminaliter, vt is qui iudici imminenti reũ manifestum eximit: atque eo nomine licebit in eum statuere quod delicto cõuenit, secundum ea quæ de pœnis diximus. quare intra eum modum etiã spoliari poterit. Et has ob causas solent à bellum gerentibus publicæ significationes fieri ad alios populos, tum vt de iure causæ, tum etiã vt de spe probabili iuris exsequendi appareat. Hãc autem quæstionem ad ius naturæ ideo retulimus, quia ex historiis nihil comperire potuimus ea de re iure voluntario gentium esse constitutũ. Romanos qui Carthaginiensium hostibus commeatus attulerant, ipsi Carthaginienses, aliquando ceperunt: eosdem ijdem Carthaginienses repetẽtibus Romanis reddiderunt.

Silu. in verbo restitutio. p. 3. §. 12.

Polyb. 1.

VI. Modum agendi quod attinet, vis ac terror maxime propria bellorum. An & dolo vti liceat quæri solet. Nam Homerus quidem dixit hosti nocendum

ἢ δόλῳ ἠὲ βίῃ ἢ ἀμφαδὸν ἠὲ κρυφηδόν.

Siue dolo, seu vi manifesta, clamue palamue.

Et Pindari est:

χρὴ δὲ πᾶν ἔρ——

δοντ' ἀμαυρῶσαι πὺξ ἐχθρόν.

Quiduis agendo scilicet hostica
Delenda vis est.

Apud

Apud Virgilium quoque dictum illud,

Dolus an virtus quis in hoste requirat

sequitur ipse

Ripheus iustissimus vnus
Qui fuit in Teucris & seruantissimus æqui.

Silius in rebus Fabii Maximi — *Lib. XV.*

Exin virtuti placuit dolus.

Apud Homerum Vlysses viri sapiẽtis exemplum, plenus vbique fraudium in hostem: vnde Lucianus regulam elicit, laude dignos, qui hostem fallunt. Nihil vtilius in bello dolis Xenophon dixit, & Brasidas apud Thucydidem præclaram imprimis laudẽ esse ex belli furtis: & apud Plutarchum Agesilaus hostes decipere & iustum & licitum esse. Polybius, quæ vi fiunt in bello minoris censenda quam quæ ex occasione & dolo. Atque ita censuisse ipsos illos seueros Laconas notat Plutarchus, ac maiorem etiam victimam ab eo immolatam qui dolo quã qui aperto Marte rem confeciſſet. Ammiani est: *Nullo discrimine virtutis ac doli, prosperos omnes laudari debere bellorum euentus*: Iurisc. ōsulti Romani bonũ dolum vocãt si aduersus hostem quis machinaretur: & alibi, nihil interesse vi quis an fallacia potestatẽ hostiũ euaserit. Inter Theologos Augustinus: *Cum iustũ bellum suscipitur, vi aperta pugnet quis aut ex insidiis, nihil ad iustitiam interest.* Et Chrysostomus maxime laudari Imperatores qui fraude victoriam quæsiissent. Sed nec desunt sententiæ quæ suadere videntur partẽ contrariã quarũ nonnullas infra adferemus. Quæstionis huius definitio pendet ex eo, an dolus in genere sit semper malorum, in quibus locũ habet nõ esse faciendũ malum vt eueniat bonũ, an ex iis quæ vitium non habent ex suapte natura sed quibus accidere etiã potest vt bona sint.

Luc. Thil.

Xenoph. Hipp.

Thuc. lib. V. Plut. Apopht. Polyb. lib. IX.

Plut. Marcel.

D. l. 1. De dolo.

L. Nihil. D. de captiuis

Quæst. X. super Iosue.

1. De Sacerdotio.

VII. Notandum igitur dolum alium consistere in actu negatiuo, alium in actu positiuo. Doli vocẽ etiã ad ea

quæ in negatiuo actu cõsistunt extendo, Labeone auctore qui ad dolum sed non malum refert vbi quis per dissimulationẽ tuetur sua vel aliena. Haud dubiè crude nimis à Cicerone dictum est: *ex omni vita simulationem dissimulationemq; tollendam.* Nam cum nec quæ scias nec quæ velis omnia aperire aliis tenearis, sequitur vt dissimulare quædã apud quosdam, id est tegere & occultare fas sit. *Licet*, inquit Augustinus, *veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione.* Et necessariam hanc omnino atque ineuitabilem his præsertim quibus respublica commissa est non vno loco fatetur ipse Cicero. Exemplum ad hãc rem insigne præbet Ieremiæ historia cap. XXXVII, Is enim propheta à rege interrogatus de obsidionis euentu, apud proceres, regis postulatu, hoc ipsum prudenter occultat, aliam interim causam, nec falsam tamẽ, colloquij adferens. Et huc quoque referri potest quod Abrahamus Saram sororem, id est ex vsitato tum loquendi more propinquam cõsanguineam vocat, matrimonium dissimulans.

L. 1. §. dolũ malum. D. de Dolo malo. De Off. 3.

Libro contra mend. c. 10. Th. 2. 2. q. 40. art. 3. in resp. & qu. 71. art. 7 Silu. in verb. bellum p. 1. n. 9. Pro Milone & lib. VII. epist. 9. & pro Cn. Plancio. Gen. XX.

VIII. Dolus qui in actu positiuo consistit, si in rebus, simulatio; si in sermone, mendacium vocatur. Quidam inter hæc duo hanc constituunt differentiam, q dicant voces naturaliter signa esse intellectuũ, res non item. Sed contra verum est voces natura ipsa & citra hominum voluntatem nihil significare, nisi forte vox sit confusa & ἄναφορος qualis in dolore, quæ ipsa rei magis appellatione venit quam locutionis. Quod si hoc dicatur, hominis naturam hanc esse peculiarem supra animãtes cæteras vt conceptus animi possit aliis indicare & ad eam rem voces repertas, verum quidem dicitur: sed addendum est, non solis vocibus tale fieri indicium, sed & nutibus vt apud mutos, siue illi nutus aliquid habent cum re significata commune ipsa natura, siue tantum ex instituto significant: quibus

Th. 2. 2. quæst. 110. art. 3. in resp.

L. Labeo §. vlt. D. de sup. legata.

nutibus

nutibus pares sunt notæ illæ quæ non voces lingua figuratas significant, vt Paulus Iurisconsultus loquitur, sed res ipsas siue ex aliqua conuenientia, vt notæ hieroglyphicæ, siue mero arbitratu vt apud Sinenses. Alia igitur hic adhibēda distinctio est, qualem adhibuimus ad tollendam ambiguitatem in voce iurisgentiū. Diximus enim jus gentium dici & quod singulis gentibus placuit sine mutua obligatione, & id quod mutuam obligationem in se continet. Voces ergo & nutus & notæ quas diximus reperta sunt ad significandū cum mutua obligatione, res aliæ non item. Hinc fit vt rebus aliis vti liceat etiamsi præuideamus futurum vt alter inde falsam concipiat opinionem. Loquor de eo quod intrinsecum est, non de eo quod accidit. Itaq; exemplum ponendum est, vbi nullū sequitur inde nocumentum, aut vbi nocumentum ipsum sepositā doli consideratione, licitum est. Prioris exemplum est in Christo qui apud comites Emauntinos προσεποιεῖτο longius, id est speciē prætulit ituri longius, nisi malimus verè quoque voluisse eum ire longius, sub conditione tamen nisi magno nisu retineretur, quomodo & Deus multa velle dicitur quæ non fiunt, & alibi Christus ipse dicitur voluisse præterire Apostolos nauigantes, nempe nisi impense rogaretur nauem ascendere. Alterum exemplum dari potest in Paulo qui Timotheum circumcidit, cum satis sciret Iudæos hoc ita accepturos, quasi circumcisionis præceptum, q̄ reuera abolitum iam erat, adhuc obligaret Israelis posteros: cum tamen non hoc quæreret Paulus, sed tantum familiarius cum Iudæis versandi facultatem sibi & Timotheo præbere. Neq; vero circumcisio, sublata lege diuina, ex instituto amplius significabat talem necessitatem, neque malum quod inde sequebatur tanti erat quanti illud bonum quo Paulus tendebat. Hanc simu-

L. Non figura. D. de obl. & act.

Luc. XXIV. 28.

Marc. VI. 48.

Act. XVI. 3.

lationem Patres Græci sæpe vocant οἰκονομίαν. de qua egregia extat sententia Clementis Alexandrini, qui de viro bono agens, sic ait: ἐπὶ τῶν πλησίον ὠφελείᾳ μόνῃ ποιήσει τινα ἃ οὐκ ἂν προηγουμένως αὐτῷ πραχθείη: *ob vtilitatem proximi faciet quædam quæ sponte alioquin ac primaria intentione non faceret.* Tale in bello Romanorum illud, qui de Capitolio panem in hostium stationes iecerunt, ne fame premi crederentur. Exemplum posterioris est in ficta fuga, qualem Iosue suis præcepit ad Haium expugnādum & alii duces sæpe. Nam hic quod sequitur nocumentum licitum esse ponimus ex belli iustitia, ipsa autem fuga ex instituto nihil significat, quamquam hostis eam accipit vt signum pauoris, quod alter cauere non tenetur, vtens sua libertate huc vel illuc eundi, & magis minusve celeriter & hoc vel illo gestu habituve. Eodem referri debet eorum actus qui hostium armis, signis, vestibus, velis vsi passim leguntur. Hæc enim omnia eius sunt generis, vt à quouis pro arbitrio etiam contra consuetudinem vsurpari possint, quia consuetudo ipsa singulorū arbitrio, non quasi consensu communi introducta est, qualis consuetudo neminem obligat.

Liu. V.

Iosue VIII. Silu. in verbo, bellum, p. 1. n. 9.

IX. Grauior est disputatio de illis notis quæ vt ita dicam in commercio hominum versantur, in quo genere propriè mendacium situm est. Multa enim sunt contra mendacium in sacris literis: *Verbum mendax odio habebit iustus*, id est, vir bonus, Prouerb. XIII. 5. *Falsiloquentiam & verbum mendax amoue à me*, Prouerb. XXX. 8. *Perdes loquentes mendacium*, Psal. V. 7. *Ne mentimini alter alteri*, Coloss. III. 9. Et hanc partem rigidè tuetur Augustinus: & sunt etiam inter Philosophos & Poëtas qui cum eo sentire videantur. Notum illud Homeri:

Ille mihi inuisus pariter cum faucibus Orci,
Cuius mens aliud condit quam lingua profatur.

Sopho-

Sophocles:

Aliena vero proloqui nunquam decet:
At vera certam sicui pestem ferunt
Huic danda venia est, si facit quod non decet.

Cleobulus:

Mendacium odit quisquis animitus sapit.

Aristoteles dixit: καθ' αυτὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτὸν, τὸ δὲ ἀληθὲς καλὸν καὶ ἐπαινετόν: *per se mendacium turpe atque vituperabile, veritas pulchra ac laudabilis.* Neque tamen deest in alteram quoque partem auctoritas: primum in sacris literis exempla laudatorum hominum sine reprehensionis notâ: deinde veterum Christianorum pronuntiata Origenis, Clementis, Tertulliani, Lactãtii, Chrysostomi, Hieronymi, Cassiani, imo pene omnium vt ipse fatetur Augustinus, ita dissentiens, vt tamen *magnam quæstionem, latebrosam tractationem, disputationem inter doctos alternantem* (hæc enim omnia ipsius verba sunt) *agnoscat.* Inter Philosophos apertè hinc stant, Socrates & discipuli eius Plato, Xenophon, & alicubi Cicero, & si Plutarcho credimus Stoici, qui inter sapientis dotes ponunt mentiri vbi & quomodo oportet. Diphilus:

Plato l. 2. & II. & V. de rep. Xenoph. quarto. Socra. Plut. de Stoic.

Quod pro salute dicitur mendacium
Me iudice habere nil potest incommodi.

Quærenti apud Sophoclem Neoptolemo:

Non tibi videtur turpe falsiloquentia?

respondet Vlysses,

Non, si salus nascatur ex mendacio.

Cui similia ex Pisandro & Euripide adferuntur.

X. Tam dissidentium sententiarũ conciliatio forte aliqua reperiri poterit ex largiore aut strictiore mendacii acceptione. Neq; hic mendacium sumimus quatenus & imprudenti accidit, quomodo mendacium dicere & mentiri apud Gellium discernuntur: sed de

Th. 2. 2. qu. 110. art. 1. in resp.

eo

eo agimus quod scienter profertur cum significatione quæ mentis conceptui, siue in intelligendo siue in volendo disconueniat. Nam quod primo καὶ ἀμέσως verbis & similibus notis indicatur sunt mentis conceptus: ideoque nō mentitur qui dicit rem falsam quam veram existimat, sed qui dicit rem veram quidem sed quam falsam putat mentitur. Significationis ergo falsitas id est quod ad communem mendacii naturā requirimus. Cui consequens est cum vox aliqua aut sermonis complexio est πολύσημος, id est plures vno significatus admittit, siue ex vulgi vsu, siue ex artis consuetudine, siue ex figura aliqua intelligibili, tunc si animi conceptus vni istarum significationum congruat non admitti mendacium, etiamsi putetur is qui audit in aliam partem id accepturus: nam hic in significatione ipsa non est vitium, vt ex ante dictis apparet; si quod ergo vitium ei accidit id extrinsecum est, ex personarum aut negotii qualitate: quibus ex causis sæpe & dissimulationi adhæresci vitium, puta cum Dei honos, aut amor proximo debitus, aut rei quæ agitur natura exigunt vt quod animo cogitatur omnino patefiat: sicut in contractibus diximus id aperiendum quod natura contractus intelligitur exigere, quo sensu non incommode accipi potest Ciceronis illud, *Tollendum esse in rebus contrahendis omne mendacium.* Extra tales autem circumstantias extrinsecas non esse in vitio positam vsurpationem locutionis quæ aliter accipi potest aut etiā accipiēda probabiliter existimatur, Christi ipsius probari videtur exemplo, qui cum Apostolis ad instar Phylarcharum apud Hebræos sedes eximias & regi proximas duodecim promitteret, & alibi vini noui potationem in patris regno, satis sciuisse videtur nō aliter hoc ab illis accipi quā de regno aliquo huius vitæ, cuius spe ad ipsum momentum Christi ad cœlum ascen-

III. de Off.

Luc. XXII. 30. Matt. XXVI. 29. Act. 1. 6. Matt. XIII. 13.

ascensuri pleni erant. Idem alibi per fabularum ambages populum alloquitur, ne audientes ipsum intelligerent, nisi scilicet animi attentionem talem ac docilitatem afferrent, qualem afferri par erat.

XI. Ad communem ergo mendacii notionem requiritur vt quod dicitur, scribitur, notatur, innuitur, intelligi aliter nequeat quam in eum sensum quia mẽte proferentis discrepet. Huic autem notioni laxiori strictior significatio differentiam aliquam propriam adiiciat necesse est, quæ, si recte res inspiciatur, nulla videtur alia dari posse præter repugnantiam cum iure existente ac manente eius ad quem sermo aut nota dirigitur. Ius hic intelligo non quoduis & rei extrinsecum sed quod proprium sit huic negotio atque cognatum. Id autem nihil est aliud quam iudicandi libertas quam homines colloquentes his quibus colloquuntur debere quasi pacto quodam tacito intelligũtur. Hæc enim nec alia est mutua illa obligatio quam homines introduci voluerant, simul atque sermone notisque similibus vti instituerunt. Nam sine tali obligatione inane fuisset tale repertum. Desideramus autẽ vt quo tempore sermo fit ius illud subsistat, ac maneat: fieri enim potest vt ius quidem fuerit, sed sublatum sit aut tollatur ex alio iure superueniente, sicut debitum acceptilatione aut conditionis cessatione. Tum vero requiritur vt ius quod lęditur eius sit quicũ loquimur, non alterius, sicut & in contractibus iniustitia non nascitur nisi ex læso iure contrahẽtium. Huc forte non male referas quod veriloquium ad iustitiã refert post Simonidem Plato, & quod mendacium illud vetitum sacræ literæ sæpe describunt testimonio siue elocutione aduersus proximum, & quod ipse Augustinus in mendacii natura constituenda ponit fallendi voluntatẽ. Et Cicero quæstionem de veritate eloquen- *Lib. 1. de rep.* *1. Off.*

eloquenda referri vult ad iustitiæ fundamenta. Vnde sequi videtur vt ex iis causis falsiloquium crimine vacet ex quibus aut promissio non obligaret aut ius promisso quęsitum auferri alioqui posset, quia scilicet sermonis obligatio ex tacito pacto venit, non tamen quasi speciali actum incipienti cum verba proferuntur vt in fide, sed quasi ex communi & antiquo: quale tacitum pactum etiam ex dominio nasci supra diximus ad restituenda quæ penes nos sunt aliena, ꝙ ipsũ tamen per compensationem debiti & alios modos impeditur ne vim suã exserat. Hęc recte intellecta multas nobis suppeditabunt illationes, quæ ad concilianda sententiarum supra designatarum dissidia non parum valituræ sint.

XII. Primum est, etiamsi quid dicatur quod falsam habeat significationem infanti aut amenti in eo mendacii culpam non esse. Videtur enim communi omniũ hominum sensu permissum esse,

Vt puerorum ætas improuida ludificetur.

Ratio proxima est quia cum in infantibus & amentibus non sit iudicii libertas, non potest eis circa eam libertatem iniuria fieri.

XIII. Secundum est, quoties sermo ad eum dirigitur qui non decipitur, etiamsi tertius inde falsam hauriat persuasionem, nullum esse mendacium: non ratione eius ad quem sermo est: quia illi libertas manet integra plane vt illis quibus id intelligentibus fabula narratur, aut apud quos profertur sermo figuratus κατ' εἰρωνείαν aut κατ' ὑποβολήν, quæ figura, vt Seneca ait, ad verum mendacio venit: Neque ratione eius qui obiter id audit: quia cum eo non agitur, ideoque nulla est ad illum obligatio. Imo si ipse sibi opinionem informat de eo quod non ipsi, sed alteri dicitur, habet ꝙ sibi nõ alteri rem imputet. Quippe si recte iudicare volu-

VII. de Benef. 23.

volumus illius respectu sermo non sermo est, sed res q̃ significare quidlibet potest. Nihil ergo peccauit aut Cato Censorius, qui sociis auxilia falso est pollicitus, aut Flaccus qui hostium vrbem ab Æmilio expugnatam aliis narrauit, quanquam eo hostes decepti sunt: cui rei similem de Agesilao narrat Plutarchus. Nihil enim hic dictum hostibus: nocumentum autem quod inde secutum est extrinsecum quid est, & per se non illicitum optari aut procurari. Ad hoc genus Chrysostomus & Hieronymus retulerunt Pauli sermonem quo Antiochiæ Petrum vt nimium Iudaizantem reprehendit. Censent enim Petrum satis intellexisse non id serio fieri: interim vero consultum infirmitati adstantium. *Liu. XXV. App. Hisp.*

XIV. Tertium est, qui habet ius supereminens in omnia iura alterius, defendi posse hunc non mentiri apud personam eousque sibi subiectam. Ratio est, quia tunc ius inferioris cessat absorptum à iure superioris, plane sicut & dominium & agendi libertas subiicitur imperanti ad vtilitatem communem domino vero serui etiam ad propriam vtilitatem domini. Et hoc maxime spectasse videtur Plato, qui imperium habentibus concedit falsum dicere. Idem cum medicis modo dare videatur, modo adimere, discrimen hoc adhibendum videtur, vt priore loco medicos intelligat publice ad hoc vocatos, posteriore eos qui priuatim id sibi arrogant. Deo tamen, quanquam ius summum in homines habenti non conuenire mendacium recte agnoscit idem Plato, quia infirmitatis nota est ad talia confugere. Exemplum forte inculpatę falsiloquentię, laudante etiam Philone, dari poterit in Iosepho, qui regia vice imperans fratres primum quasi exploratores, deinde quasi fures ficte nec ita sentiens accusat. Quomodo autem etiam naturaliter extra ius ciuile *III. de rep.*

ex

ex delicto in delinquentem supereminentia quædam nascatur, diximus in capite de pœnis.

XV. Quartum est, quoties certum est eum ad quē sermo est libertatis suæ in iudicando læsionem non ægrè laturum, imo gratias habiturum eo nomine, tunc quoque mendacium strictè dictum, id est, iniuriosum non committi, sicut furtum non perpetraret qui ex præsumta domini voluntate rem ipsius exiguam consumeret, vt inde magnam eidem vtilitatem pararet. In his enim quæ adeo certa sunt præsumta voluntas pro expressa habetur. Sic ergo videtur non peccare, qui aut ægrotantem amicum persuasione non verâ solatur, aut in prælio periclitanti ex falso nuntio animum addit quo incitatus victoriam & salutem sibi pariat, ac sic deceptus non capiatur, quemadmodum Lucretius loquitur. Democritus, ἀληθομυθεύειν χρεὼν ὅπου λῶϊον: *Omnino veriloquio vtendum est, vbi id est melius.* Et Clemens Alexandrinus concedit ψεύδεσθαι ἐν θεραπείας μέρει, *mendacio vti pro remedio.* Tale illud apud Xenophontem, socios iamiam adfore, & Tulli Hostilii, suo iussu circumduci Albanum exercitum: & Quinctii Consulis, vt historiæ loquuntur, salubre mendacium, hostes ab altero cornu fugere: ac similia passim apud historicos.

IV. Socr. Liu. lib. XXXIV.

XVI. Quintum est, quoties natura mihi ad ius meū aut alterius consequendum aut tuendum ius dat in res alterius quasuis, tunc ad eum finem videri crimine carere falsam persuasionem, quia libertas iudicandi res quædam est eius cui debetur. Exemplum sit in necessaria vitæ defensione, de qua Diphili audiuimus versum, & ob quam Hypermnestra laudatur:

Splendidè mendax, & in omne virgo
——— nobilis æuum.

forte etiam in exactione eius quod nobis debetur, & aliter

aliter consequi non possumus: præsertim si id vitę quasi suppar sit.

XVII. Ex hac autem vltima partim etiam ex tertia obseruatione natum arbitror quod passim statuunt sapientes apud hostē falso sermone vti licere. Sic regulæ de non mentiendo exceptionem nisi aduersus hostes addit Plato, Xenophon, Philo inter Iudæos, inter Christianos Chrysostomus. Quo forte non male referas quod in sacris literis extat Iabesitarum in obsidione mendacium, & factum non dissimile Prophetæ Elisæi & Valerii Leuini, qui Pyrrhum à se interemptum iactabat. Ad tertiam, quartam, & quintam obseruationum earum quas iam posuimus, pertinet Eustratii Metropolitæ Nicæensis locus ad sextum Nicomachiorum: ὁ εὖ βουλεύμενος ἐκ ἐξ ἀνάγκης ὁ ἀληθεύων ἐστιν. ἔστι γὰρ ποτε τὸ ὀρθῶς βουλεύμενον καὶ πρὸς αὐτὸ τὸ ψεύδους βουλεύσασθαι, ἵν' ὁπότ' ἂν δέῃ ψεύδεταί τινα ἢ ἐχθρὸν ὄντα, ἵνα σφάλῃ αὐτὸν, ἢ φίλον ἵν' ἐκκόψῃ αὐτὸν ἀπὸ κακοῦ, καὶ τούτων τὰ παραδείγματα ἐν ταῖς ἱστορίαις πολλά. *Qui rectè consultat non vtiq; & verum dicit. Fieri enim potest vt quis rectè consultans hoc ipsum consultet quo pacto de industria mentiatur aut hosti vt eum fallat, aut amico vt eum à malo liberet: quarum rerum exemplis plenæ sunt historiæ.* Non placent hæc scholæ actorū paulo ante sæculorum, vt quæ vnum ex veteribus Augustinum ferme in omnibus sequēdum sibi delegerit. Sed eadem schola tam ab omni vsu abhorrentes admittit interpretationes tacitas, vt dubitari possit an non satius sit aduersus quosdam falsiloquium admittere quā ista à falsiloquio tam indiscretè eximere: vt cùm dicunt, nescio, intelligi posse nescio vt dicam; nō habeo intelligi posse vt tibi dem, & id genus alia quæ sensus communis repudiat, & quæ si admittantur iam nihil obstabit, quominus qui quid affirmat id ipsum negare, qui negat affirmare dicatur.

Lib. II. de rep. lib. II. de Cyri instit. V. Sacr. Philo de migr. Abr. Chrys. l. De Sac. I Sam. XI. II. Reg. VI.

Th. 2. 2. q. 110. art. 1. & 3. Conar. in c. quamuis, de pactis in 6. p. 1. §. 5. n. 15. Soto de iustitia V. q. 6. art. 2. Tolet. lib IV c. 21. lib. V. c. 58. Less lib. II. de iustitia, c. 42. dub. 9.

XVIII. Sciendum vero quæ de falsiloquio diximus ad asserentem sermonem, non ad promittentem referenda. Nam ex promissione, vt iam modo dicere cœpimus, ius speciale ac nouum confertur ei cui fit promissio: idque inter hostes etiam locum habere sine vlla hostilitatis iam existentis exceptione, neque tantũ in promissis expressis, sed & in tacitis, vt in colloquii postulatione, ostendemus cum ad eam partem quæ de fide in bello seruanda est ventum erit.

XIX. Illud quoque ex superiori quæ de iureiurando fuit dissertatione repetendum est, siue id assertiuum sit siue promissiuum vim habere excludendi omnes exceptiones quæ ex persona eius quicum agimus peti possent, quia non cum homine tantum sed & cum Deo res est, cui periusiurandum obligamur etiamsi homini ius nullum nasci possit. Ibidem & illud diximus, non sicut in alio sermone, ita in iurato, vt à mendacio excusemur admitti interpretationes verborum quasuis non plane inusitatas: sed plane veritatem requiri eo in sensu quem homo exaudiens intelligere fide optima existimatur: vt plane detestanda sit illorũ impietas, qui vt pueros talis ita viros iureiurando fallendos asserere non dubitabant.

XX. Scimus etiam fraudium, quas concessas naturaliter diximus, genera quædam à populis aut hominibus nonnullis repudiata: sed id non accidit ob iniustitiæ opinionem, sed ob eximiam quandam animi celsitudinem, simulque virium fiduciam. Aristoteli

Nic. IV. 8. ὁ μεγαλόψυχος παῤῥησιαστικὸς καὶ ἀληθευτικὸς, *magnanimus verum & libere eloqui amat.* Talis est in Philoctete Sophoclis Neoptolemus qui Vlyssi ad dolos hortanti sic respondet:

Ego audiens quæ doleo, Laerta sate,
Implere factis oderim multo magis:

Nam

Nam sic nec ego sum natus, vt fallacias
Secter nec olim genitor, vt perhibent, meus:
At sum paratus vi mera, non fraudibus
Pertrahere raptum.

Euripides Rheso.

Generosus animus hostibus furtim necem
Inferre nescit.

Sic Alexander furari negabat se velle victoriam. Et Achæos abhorruisse ab omni in hostes fraude narrat Polybius, ideo quod eam demum firmam censerent victoriam, quæ, vt Claudiani verbis sensum eius exprimam, *Lib. IX.*

confessos animo quòque subiugat hostes.

Tales Romani ferme ad vsque belli Punici secundi finem. Vnde cum Perseus Macedonum Rex deceptus esset spe pacis, negabant veteres senatorum se agnoscere Romanas artes. maiores nunquam vt astu magis quam virtute gloriarentur bella gessisse: non versutiis Punicis, non calliditate Græca, apud quos fallere hostem quam vi superare gloriosius foret. Tum illud addebant: *Interdum in præsens tempus plus profici dolo quam virtute, sed eius demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa esset, se neque arte neque casu sed collatis cominus viribus iusto ac pio bello esse superatum.* Tales etiam Tybareni qui prælii quoque locum & tempus condicebant.

XXI. Ad modum agendi & illud pertinet, quod quicquid alicui facere non licet ad id eum impellere aut sollicitare non liceat. Pro exemplo sint hæc: regem suum occidere subdito non licet, nec oppida sine consilio publico dedere, nec spoliare ciues. Ad hæc ergo subditum, qui talis maneat, permouere non licet. Semper enim qui alteri peccandi causam dat peccat & ipse. Nec est quod regerat quisquam, ipsi qui talem hominem ad facinus impellit, actum talē, puta hostis

interfectionem, esse licitum. Licet enim id ei facere, sed non eo modo. Bene Augustinus: *Nihil interest vtrum ipse scelus admittas, an alium propter te admittere velis.*

XXII. Aliud est si quis opera sponte nec suo impulsu peccantis ad rem sibi licitam vtatur: quod iniquum non esse Dei ipsius exemplo alibi probauimus. *Transfugam iure belli recipimus*, inquit Celsus, id est, contra ius belli non est, vt eum admittamus qui deserta hostium parte nostram eligit.

L. Transfugam. D. de acq. rer. dō.

CAPVT II.

Quomodo iure gentium bona subditorum pro debito imperantium obligentur: vbi de repressaliis.

I. *Naturaliter ex facto alieno neminem teneri, nisi heredem.*

II. *Iure tamen Gentium introductum vt pro debito imperantis teneantur res & actus subditorum.*

III. *Exemplum in prehensione hominum.*

IV. *Et rerum.*

V. *Locum habere hoc post ius denegatum & quando id factum censeri debeat, vbi ostenditur rem iudicatam proprie ius non dare aut adimere.*

VI. *Vitam non obligari.*

VII. *Distinctio eius quod in hac materia est iuris ciuilis & Gentium.*

I. VENIAMVS ad ea quæ ex iure descendunt gentium. Ea partim ad quoduis bellum spectant: partim ad certam belli speciem. A generalibus auspicemur.

cemur. Mero naturæ iure ex facto alieno nemo tenetur nisi qui bonorum successor est: vt enim cum oneribus bona transirent simul cum dominiis rerum introductum est. Imperator Zeno æquitati naturali contrarium dicit vt pro alienis debitis alij molestentur. Hinc tituli in iure Romano, ne vxor pro marito, ne maritus pro vxore, ne filius pro patre, ne pater vel mater pro filio conueniantur. Nec quod vniuersitas debet singuli debent vt diserte loquitur Vlpianus: nimirum si vniuersitas bona habeat: alioqui enim tenentur non vt singuli, sed quà pars sunt vniuersorum. Seneca: *Si quis patriæ meæ pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec hoc ex alienum profitebor: ad exsoluendum tamen hoc portionem meam dabo.* Supra dixerat: *Vnus è populo non tanquam pro me soluam, sed tanquam pro patria conferam.* Et: *singuli debebunt non tanquam proprium sed tanquam publici partem.* Hinc speciatim iure Romano constitutum vt nullus ex vicanis pro alienis vicanorum debitis teneatur, & alibi nulla possessio alterius pro alienis debitis etiam publicis conueniri præcipitur, & in Nouella Iustiniani vetantur ἐνεχυριασμοὶ, id est, pignorationes pro aliis, addita causa, quod rationem non habeat alium quidem esse debitorem, alium vero exigi, vbi & hujusmodi exactiones odiosæ vocantur. Et Rex Theodoricus apud Cassiodorum, fœdam vocat licentiam alterum pro altero pignorandi.

L. vnica. C. vt nullus ex vicanis.
C. ne vxor pro mar. & ne fil. pro patre totis titulis.
L. Sicut §. 1. D. quod cuiusq; vniuer. nomine.
Lib. VI. de Benef. c. 20, c. 19.
d. l vnica C. vt nullus ex vicanis lib. XI.
L. Nullam. C. De exec. & exactionibus lib. XII.
Nou. 52. & 134.
Lib. IV. var. epist.

II. Hæc quanquam vera sunt, tamen iure gentium voluntario induci potuit, & inductum apparet, vt pro eo quod debet præstare ciuilis aliqua societas aut eius caput, siue per se primo, siue quod alieno debito ius non reddendo se quoque obstrinxerit, pro eo teneantur & obligata sint bona omnia corporalia & incorporalia eorum qui tali societati aut capiti subsunt. Expressit autem hoc quædam necessitas, quod alioqui

magna daretur iniuriis faciendis licentia, cùm bona imperantium sæpè non tam facilè possint in manus venire quam priuatorum qui plures sunt. Est igitur hoc inter iura illa, quæ Iustinianus ait vsu exigente, & humanis necessitatibus à gentibus humanis constituta. Non autem ita hoc naturæ repugnat, vt non more & tacito consensu induci potuerit, cùm & fideiussores sine vlla causa ex solo consensu obligentur. Et spes erat facilius membra eiusdem societatis à se mutuo ius consequi posse & indemnitati suæ consulere quam externos quorum multis in locis exigua habetur ratio: deinde commodum ex hac obligatione commune erat omnibus populis, ita vt qui nunc eo grauaretur alio tempore indidem subleuari posset. Receptum autem hunc morem non tantum apparet ex bellis plenis quæ populi populis inferunt; in his enim quid obseruetur ostendunt denuntiationum formulæ: *Populis priscorum Latinorum, hominibusq; prisci Latini bellum indico, facioque.* & in rogatione: *Vellent, iuberent Philippo regi Macedonibusque qui sub regno eius essent bellum indici.* & in decreto ipso: *Populus Romanus cum populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum iussit*, quod ex Cincio est in re militari; & alibi: *Hostis sit ille, quique intra præsidia eius sunt*: verum etiam vbi ad eam belli plenitudinem nondum ventum est, sed tamen violenta quadam iuris executione, id est, bello imperfecto opus est, idem videmus vsurpari.

Iust. de iure nat.

Th. 2. 2. qu. 40. art. 1. Molina disput. 120. & 121. Valentia disp 3. q. 16. num. 3. Nauarr. c. 27. num. 136.

Liu. lib. 1.

Lib. XXXI. Gell. lib. XVI. c. 4. Liu. lib. XXXVIII. & alibi.

III. Eius quam dico executionis species erat quam Athenienses vocabant ἀνδροληψίαν de qua sic habebat lex Attica: ἐάν τις βιαίῳ θανάτῳ ἀποθάνῃ ἐπὶ τούτου τοῖς τεθνηκόσιν εἶναι τὰς ἀνδροληψίας, ἕως ἂν ἢ δίκας τοῦ φόνου ἐπόμωσιν, ἢ τοὺς ἀποκτείναντας ἐκδῶσι· πλὴν ἢ ἀνδροληψίαν εἶναι μᾶλλον τέλους, πλέον δὲ μή: id est, *Si quis morte per vim illata obierit, pro eo proximis ac necessariis ius esto homines prehendendi, donec*

donec aut pœna sumatur de cæde, aut homicidæ dedantur: liceat autem tres tantùm homines prehendere, non vltra. Hic videmus pro debito ciuitatis, quæ obligatur subditos suos qui aliis nocuerunt plectere, obligari ius quoddam incorporale subditorum, ipsam scilicet libertatē morandi vbi velint, & agendi quod velint, ita vt in seruitute interim sint: donec ciuitas id faciat quod facere tenetur, id est, puniat sontem. Aristocrates Demostheni coæuus decretum rogauerat, si quis Charidemum occidisset eum abripere vndecunque liceret, & si quis obsisteret is hostium esset numero. Hic multa reprehendit Demosthenes: primùm quod non distinxerit Aristocrates inter cædem iustam & iniustam, cùm & iusta aliqua esse possit: deinde quod non exigit vt prius postuletur iudicium: præterea quod non eos apud quos facta sit cædes, sed eos qui homicidam recipiunt teneri velit. Verba Demosthenis sunt: ὁ μὲν νόμος, ἂν μήτε δίκας ὑπόσχωσι παρ' οἷς ἂν τὸ πάθος γένηται, μήτε τοὺς δεδρακότας ἐκδίδωσι, κελεύει κατὰ τούτων εἶναι τὸ ἀνδρολήψιον κατὰ τριῶν· ὁ δὲ τούτους μὲν ἀθώους παρῆκε καὶ οὐδὲ λόγον πεποίηται περὶ αὐτῶν οὐδένα, τοὺς δὲ τὸν ἤδη πεφευγότα, φήσω γὰρ οὕτω, κατὰ τὸν κοινὸν ἀνθρώπων νόμον, ὃς κεῖται τὸν φεύγοντα δέχεσθαι, ὑποδεξαμένους ἐκσπόνδους εἶναι γράφει, ἐὰν μὴ τὸν ἱκέτην (malè editur οἰκέτην) ἔκδοτον διδῶσιν. *Lex si apud quos cædes euenit, neque ius reddant, neque sontes dedant, aduersus eos dat trium hominum prehensionem. At hic hos quidem relinquit intactos, ac ne mentionem quidem eorum facit. At eos qui iam fuga elapsum, ita enim rem ponam, susceperunt secundum ius omnium hominum quod fugientes vult posse suscipi, hos vult esse hostium loco ni supplicem dedant.* Quarta reprehensio est quod Aristocrates rem statim ad plenum bellum deducit cùm lex prehensione contenta sit. Ex his primum illud & secundum & quartum ratione non caret. At tertium illud, nisi ad solum euentum

cædis casu aut ob sui tutelam factæ restringatur, non est vt non oratoriè magis & argumenti causa quam ex vero & iure sit dictum. Nam ius gentium vt supplices susciptantur & defendantur, vt suprà diximus, ad eos tantùm quibus fortuna, non crimen obstat, pertinet. Cæteroqui par ius est eorum apud quos crimen est factum, & eorum qui sontem punire aut dedere recusant. Atque adeo aut illa ipsa lex, qua vtitur Demosthenes, interpretationem eam quam dico ex vsu recepit, aut aduersus cauillationes tales expressiùs postea est posita: horum enim alterum quin sit, non negabit qui attenderit ad illud Iulii Pollucis: ἀνδροληψίου δέ, ὅταν τις τοὺς ἀνδροφόνους καταφυγόντας ὡς τινας ἀπαιτῶν μὴ λαμβάνῃ, ἔξεστιν ὃν τρόπον οὐκ ἐκδιδόντων ἄλλοι τῶν πολιτῶν ἀπαγαγεῖν. *Hominum prehensio est quoties quis homicidas qui ad aliquos confugerunt, non recipit cùm id postulauerit. Nam ius est tres homines prehendendi aduersus eos qui dedere recusant.* Harpocration: ἀνδροληψία τὸ ἁρπάζειν ἄνδρας ἔκ τινος πόλεως. ἐνεχύραζον γὰρ τὴν ἔχουσαν πόλιν τὸν ἀνδροφόνον, καὶ μὴ παρεῖτο μενίων αὐτὸν εἰς τιμωρίαν. *Ius hominum prehensionis est ius rapiendi aliquos ex vrbe aliqua. Nam in eam vrbem quæ homicidam teneret, nec pœnæ dederet, pignerationē vtebantur.* Simile huic est quod ad recuperandum ciuem iniuria manifesta captum ciuitatis apud quam id factum est ciues retinentur. Sic Carthagine quidam impedierunt, ne Ariston Tyrius caperetur, hac addita causa: *idem Carthaginiensibus & Tyri & in aliis emporiis in quæ frequēter commeent euenturum.*

Lib. VIII. c. 6.

Liu. libr. XXXIV.

IV. Alia executionis violentæ species est ἐνεχυρασμός, siue pignoratio inter populos diuersos, quod ius repressaliarum vocant recentiores Iurisconsulti, & Galli etiam, vbi à Rege impetrari id solet, literas Marcæ. Locum autem habet, vt aiunt Iurisconsulti, vbi ius denegatur.

Bal III. con. 58.

V. Quod

V. Quod fieri intelligitur non tantum si in sontem aut debitorem iudicium intra tempus idoneum obtineri nequeat, verum etiam si in re minimè dubia (nam in dubia re præsumtio est pro his qui ad iudicia publice electi sunt) plane contra ius iudicatum sit. nam auctoritas iudicantis non idem in exteros, quod in subditos valet. Etiam inter subditos non tollit quod vere debebatur. *Verus debitor, licet absolutus sit, natura tamen debitor permanet:* inquit Paulus Iurisconsultus: *Et cum per iniuriam iudicis domino rem quæ debitoris non fuisset abstulisset creditor quasi obligatam sibi, & quæreretur, an soluto debito restitui eam oporteret debitori, Scævola restituendam probauit.* Hoc interest, quod subditi executionem etiam iniustæ sententiæ vi impedire, aut contra eam ius suum vi exsequi licite non possunt ob imperij in ipsos efficaciam: exteri autem ius habent cogendi, sed quo vti non liceat quamdiu per iudicium suum possint obtinere. Tali igitur de causa aut corpora aut res subditorum eius qui ius nō reddit capi posse, non quidem natura introductum est, sed moribus passim receptum. Vetus exemplum est in historia Romana de Romanorum nauibus quas pro bonis Tarquiniorum Cumis Aristodemus Tarquiniorum hæres retinuit. Famulos iumenta, pecunias retenta dixit Halicarnassensis.

Bart. de repress. q. 5. ad tertium n. 9. L. Iulianus. D. de cond. indeb. L. Rescriptum. §. 1. D. de distract. pign. Innoc. & Pan. in c. plerique de immun. Eccl. Soto lib. III. q. 4. art. 5. Iac. de Canibus, Anchar. Dominic. Franc. in c. 1. de injuriis in 6. Fulg. & Salic in auth. C. de act. & obl. Iac. de bello visu in aut. Vt non fiant pignora. Silu. in verb. repressal. Bart. in tract. de repress. iis. Guid. Papæ q. 32. Gall. de pign. c. 1. n. 5. Vict. de iure belli n. 41. Couarr. c. peccatum, p. 11 §. 9. Liu. lib. II. Halic. l. VII.

VI. Vita autem subditorum innocentium vt ex tali causa obligetur, forte creditum fuit apud aliquos populos, eo nimirum quod crederent vnicuique hominum ius vitæ plenum esse in se, & id ad rempublicam potuisse transferri: quod minime esse probabile nec saniori Theologiæ consentaneum alibi diximus. Fieri tamen poterit non ex intentione sed ex accidenti vt occidantur qui iuris exsecutionem per vim volunt impedire. Sed id si præuideatur ex caritatis lege omittendam potius iuris persecutionem alibi ostendimus,

cum ea ex lege, Christianis præsertim, pluris esse debeat vita hominis quam res nostra, vt alibi demonstratum est.

VII. Cæterum non minus in hac materia quam in aliis cauendum est ne confundamus ea quæ iuris gentium sunt proprie, & ea quæ iure ciuili aut pactis populorum constituuntur. Iure gentium subiacent pignorationi omnes subditi iniuriam facientis qui tales sunt ex causa permanente, siue indigenæ, siue aduenæ: non qui transeundi aut moræ exiguæ causa alicubi sunt. Introductæ enim sunt pignorationes ad exemplum onerum quæ pro exsoluendis debitis publicis indicuntur, quorum immunes sunt qui tantum pro tempore loci legibus subsunt. A numero tamen subditorum iure gentium excipiuntur legati non ad hostes nostros missi, & res eorum. At iure ciuili populorum sæpe excipi solent personæ mulierum & infantium, eorum vero qui literis operam dant, & ad nundinas veniunt etiam res. Iure gentium singulis pignorandi ius est, vt & Athenis ἐν ἀνδροληψίᾳ. Iure ciuili multorum locorum peti id solet alibi à potestate summa, alibi à iudicibus. Iure gentium ipso facto dominium rerum captarum acquiritur ad summam debiti & sumtuum, ita vt residuum reddi debeat. Iure ciuili solent citari quorum interest, res publica auctoritate diuendi aut addici iis quorum interest. Sed hæc atque alia peti debent ab his qui iura ciuilia tractant, & nominatim in hac materia à Bartolo qui de repressaliis scripsit. Illud hic addam, quia ad iuris huius satis per se rigidi emollitionem pertinet, eos qui non soluendo quod debebant, aut ius non reddendo causam dederunt pignorationibus, ipso naturali ac diuino iure teneri ad resarcienda damna aliis quibus eam ob causam aliquid decedit.

Dec. cons. 352. Bal. l. 3. de eff. assess.

Reg. Regius de actib. supern. disp. XIII. dubit. 7. n. 117.

CAPVT

CAPVT III. *jungatur Cap. X. h. lib.*

De bello iusto siue solenni iure Gentium, vbi de indictione.

I. *Bellum solenne iuris Gentium esse inter diuersos populos.*
II. *Distinctio populi quamuis iniustè agentis à piratis & latronibus.*
III. *Mutationem interdum incidere.*
IV. *Requiri ad naturam belli solennis vt auctorem habeat eum qui summam potestatem habeat: quod quomodo intelligẽdum.*
V. *Requiri & denunciationem.*
VI. *Quid in denuntiatione sit iuris naturæ, quid proprium iuris Gentium distinctè explicatur.*
VII. *Denuntiatio alia conditionata, alia pura.*
VIII. *Quæ in denuntiationibus sint iuris ciuilis, non Gentium.*
IX. *Bellum alicui indictum simul indictum esse eius subditis & sociis quà ipsum sequuntur:*
X. *Non quà per se considerantur: quod exemplis illustratur.*
XI. *Causa cur denuntiatio ad effectus quosdam requiratur.*
XII. *Hos effectus non reperiri in alijs bellis.*
XIII. *Bellum an simulatque indictum est geri possit.*
XIV. *An indicendum ei qui ius legationis violauit.*

I. SVPRA dicere incepimus iustum bellũ apud probos auctores dici sæpe non ex causa vnde oritur, neque vt aliàs ex rerum gestarum magnitudine, sed ob peculiares quosdam iuris effectus. Quale autẽ sit hoc bellum optime intelligitur ex hostium definitione apud Romanos Iurisconsultos. *Hostes sunt qui nobis aut quibus nos publicè bellum decernimus: cæteri latrones aut prædones sunt:* ait Pomponius: nec aliter Vlpianus: *Hostes sunt*

L. hostes de verb. sign. L. hostes D. de captiuis.

sunt quibus bellum publice populus Romanus decreuit, vel ipsi populo Romano, cæteri latrunculi vel prædones appellantur. Et ideo qui à latronibus captus est seruus latronum non est, nec postliminium illi necessarium est. Ab hostibus autem captus, puta à Germanis & Parthis, & seruus est hostium & postliminio statum pristinum recuperat. Et Paulus: *A piratis aut latronibus capti liberi permanent.* Accedat illud Vlpiani: *in ciuilibus dissensionibus quamuis sæpe per eas respublica lædatur non tamen in exitium reipublicæ contenditur, qui in alterutras partes discedent vice hostium non sunt eorum inter quos iura captiuitatũ, aut postliminiorum fuerint: & ideo captos & venundatos posteaq; manumissos placuit supernacuo repetere à principe ingenuitatem quam nulla captiuitate amiserant.* Illud tantum notandum sub exemplo populi Romani quemuis intelligi qui in ciuitate summum imperium habeat. *Ille hostis est,* ait Cicero, *qui habet rẽ publicã, curiam, ærariũ, consensũ & concordiam ciuium & rationem aliquam si res ita tulerit pacis & federis.*

L. postliminium §. 2. D. de captiuis.

L. si quis in genuam. §. 2. eod. tit.

Philipp. 4.

II. Non autem statim respublica aut ciuitas esse desinit, si quid admittat iniustum, etiam communiter, nec cœtus piratarum aut latronum ciuitas est etiamsi forte æqualitatem quandam inter se seruent sine qua nullus cœtus posset consistere. Nam hi criminis causa sociantur: illi etsi interdum delicto non vacant iuris tamen fruendi causa sociati sunt, & exteris ius reddunt si non per omnia secundum ius naturæ quod multos apud populos ex parte quasi obliteratum alibi ostendimus. cette secundum pacta cum quibusque inita: Principale autẽ pro forma est in moralibus. Quare crude nimis dictum est à Cicerone de republica tertio, vbi iniustus est rex, vbi iniusti optimates, aut ipse populus, non iam vitiosam, sed nullam esse rempublicam. Corpus morbidum corpus tamen est: & ciuitas quanquam grauiter ægrota ciuitas est, quamdiu manent leges, manent iudicia & quæ alia necessaria sunt

vt ibi

vt ibi ius exteri consequi possint, non minus quam priuati inter se. Rectius Dion Chrysostomus, qui legem (eam præsertim quæ ius Gentium facit) dicit esse in ciuitate vt mentem in corpore humano: ea enim sublata ciuitatem non esse amplius. Exemplis rem illustremus. A latronibus captos capientium non fieri supra dicentem audiuimus Vlpianum. Idem captos à Germanis ait libertatem amittere. Atqui apud Germanos latrocinia nullam habebant infamiam, quæ verba sunt Cæsaris. De Venedis Germanorum populo Tacitus: *quicquid inter Peucinos Fennosque siluarum ac montium erigitur, latrocinijs pererrant.* Idem alibi Cattos nobilem Germaniæ populum latrocinia agitasse dicit. Apud eundem Garamantes latrociniis fœcunda gens, sed gens tamen. Illyrici sine discrimine mari prædas agere soliti, de iis tamen triumphus fuit: Pompeio de piratis non fuit. Tantum discrimen est inter populum quantumuis sceleratum, & inter eos qui cum populus non sint sceleris causa coeunt.

Delege.

Lib. VI.

De morib. Germ.

Annal. XII. Hist. IV App. III.

III. Potest tamen mutatio incidere, non in singulis tantum sicut Iephtes, Arsaces, Viriatus ex prædonum ducibus iusti duces facti sunt, sed etiam in cœtibus, vt qui prædones tantum fuerant aliud vitæ genus amplexi ciuitas fiant.

IV. Summum autem imperium qui habeant diximus supra, vnde intelligi & hoc potest si qui pro parte habeant, pro ea parte iustum bellum gerere: multoque magis eos qui non subditi, sed inæqualiter sunt federati, quomodo inter Romanos & eorum socios, quanq; federe inferiores, Volscos, Latinos, Hispanos, Poenos omnia iusti belli exercita ex historiis discimus.

Caiet. 2. 2. q. 40. art. 1.

V. Sed vt iustum hoc significatu bellum sit, non sufficit inter summas vtrinq; potestates geri: sed oportet,

tet, vt audiuimus, vt & publicè decretum sit, & quidem ita decretum publicè vt eius rei significatio ab altera partium alteri facta sit, vnde promulgata prælia dixit Ennius. Cicero Officiorum primo: *At belli quidem æquitas sanctissimè feciali populi Romani iure perscripta est: ex quo intelligi datur nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante sit & indictum.* Minus plene vetus scriptor apud Isidorum: *Iustum bellum est quod ex edicto geritur, rebus repetitis aut propulsandorum hominum causa.* Sic Liuius bellum palam & ex edicto gerere dixit in iusti belli descriptione.

Lib. 1.

VI. Quæ loca & alia de belli promulgatione agentia vt intelligantur, accuratè distinguenda sunt quę iure naturæ debentur, quæ natura non debentur sed honesta sunt, quæ iure gentium requiruntur ad effectus iuris gentium proprios, & quæ præterea ex peculiaribus populorum quorundam institutis veniunt. Naturali iure vbi aut vis illata arcetur aut ab eo ipso qui deliquit pœna deposcitur, nulla requiritur denuntiatio. Et hoc est quod Sthenelaidas ephorus dicit apud Thucydiden: *οὐ δίκαιος οὐδὲ λόγοις διακεῖσθαι μὴ λόγῳ καὶ ἔργοις βλαπτομένους: non est quod verbis & iudiciis disceptemus vltra verba læsi.* Et Latinus apud Halicarnassensem. *τὸν ἄρχοντα πολέμου πᾶς ὁ προπαθὼν ἀμύνεται: bellum inferentem is qui impetitur à se repellere solet.* Et Ælianus ex Platone ait quod ad propulsandam vim suscipitur bellum non à caduceatore sed à natura indici. Nec ob aliam causam Liuius Menippo præfecto Antiochi obijcit quod Romanos quosdam cecidisset nondum aut indicto bello, aut ita commisso vt strictos gladios aut sanguinem vsquam factum audissent: eo ipso ostendens ex his duobus alterum potuisse ad facti defensionem sufficere. Neque magis per naturæ ius indictio necessaria est si dominus rei suæ manum inijcere velit.

Lib. 1.

Lib. 1.

At

At quoties pro re vna res alia, aut pro debito res debitoris inuaditur, multoque magis si res eorum qui debitori subditi sunt occupare quis velit, interpellatio requiritur qua constet alio modo fieri nequire vt nostrum aut nobis debitum consequamur. Ius enim illud nō primarium est sed secundarium & surrogatum vt alibi explicauimus. Sic etiam antequam summam potestatem habens impetatur ex debito aut delicto subditi, interpellationem oportet intercedere, quæ illum in culpa constituat, ex qua aut damnum dare censeatur aut & ipse delinquere iuxta ea quæ à nobis supra tractata sunt. Verum etiam vbi ius naturæ non præcipit talem interpellationem fieri, honeste tamen & laudabiliter interponitur, puta vt ab offendēdo abstineatur aut delictum pœnitentia & satisfactione expietur, secundum ea quæ de tentandis rationibus belli vitandi diximus: quo & illud pertinet:

Extrema primo nemo tentauit loco.

Et præceptum quod Deus Hebræis dedit, vt ciuitatem oppugnandam prius ad pacem inuitarent: quod cùm specialiter illi populo datum sit male à nonnullis cum iure gentium confunditur. Neque enim erat illa qualiscumque pax, sed sub lege subiectionis, & tributi. Deut. XX. 11. Cæterum iure gentium ad effectus illos peculiares omnibus casibus requiritur denuntiatio, non vtrinque, sed ab altera partium.

VII. Sed hæc denuntiatio aut conditionata est aut pura. Conditionata vbi cum rerum repetitione coniungitur. Rerum autem repetitarum nomine ius feciale comprehendebat non tantum vindicationem ex iure dominij, sed & persecutionem eius quod ex causa ciuili aut criminis debetur vt recte explicat Seruius. Inde illud in formulis, *reddi, satisfieri, dedi*: vbi dedi, vt alibi diximus, intelligendum est ni punire sontem

tem malint ipsi qui conueniuntur. Hanc rerum repetitionem dictam esse clarigationem, testis est Plinius.

Lib. VIII. Lib. I. Annal. Conditionata est denuntiatio apud Liuium: *Eam se iniuriam nisi ab ipsis qui fecerint dematur, ipsos omni vi depulsuros esse.* & apud Tacitum: *in supplicium in malos præsumant, vsurum promiscua cæde:* & vetus eius exemplum in supplicibus Euripidis, vbi Theseus caduceatori hæc dat mandata ad Creontem Thebanum:

Vicina Theseus qui tenet regni sola
Humare poscit mortuos: quod si datur,
Sit amica faciet gens Erechtidûm tibi.
Hæc si probantur, tum refer retro pedem:
Sin nemo paret, verba sint hæc altera:
Iam mox vt arma pubis expectent meæ.

Papinius in eiusdem rei narratione:

Aut Danais educe rogos, aut prælia Thebis.

Lib. IV. Polybius hoc vocat ῥήσια καταγγέλειν: Romani veteres condicere. Pura denuntiatio est quæ specialiter indictio aut edictum, vbi aut bellum iam alter intulit, (& hoc est quod apud Isidorum dicitur bellum propulsandorum hominum causa) aut ea deliquit ipse quæ pœnam merentur. Interdum autem conditionatam pura subsequitur, quanquam id necesse non est, sed ex superabundanti; Hinc illa formula: *Testor populum illum iniustum esse neque ius reddere.* Et altera: *Quarum rerum, litium, causarum condixit Pater patratus populi Romani Quiritium Patri patrato populi Priscorum Latinorum, hominibusque Priscis Latinis, quas res nec soluerunt, nec dederunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri, solui oportuit, puro, pioq; duello quærendas censeo, consentio, conscisco que.* Et tertium carmen: *Quod populi Prisci Latini aduersus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod populus Romanus Quiritum bellum cum Priscis Latinis iussit esse, Senatusq; Romanus Quiritium censuit, consensit, conscisit; vt bellum cum Priscis Latinis fieret, ob eam*

rem

rem ego populusque Romanus populo Priscorum Latinorum bellum indico, facioque. Hoc autem casu ita vt dixi, non esse præcise necessariam denuntiationem ex eo quoque apparet quod ad proximum præsidium rite fieret, vt feciales in Philippi Macedonis & postea in Antiochi causa consulti responderunt, cum prima denuntiatio ipsi facienda esset qui bello petebatur. Imo & belli in Pyrrhum indictio facta est vni militum Pyrrhi, idque in circo Flaminio vbi is miles locum emere dicis causa iubebatur, vt Seruius narrat ad nonum Æneidos. Superuacuæ obseruationis & hoc argumentum est, quod bellum sæpe vtrinque indictum est, vt Peloponnesiacum à Corcyrensibus & Corinthiis, cum ab altera parte indictum esse sufficiat. *Liu. lib. XXXI. & XXXVI.*

VIII. A more autem & institutis quorundam populorum non à iure gentium sunt, caduceus apud Græcos, sigmina & hasta sanguinea apud Æquicolas primum & horum exemplo apud Romanos, renunciatio amicitiæ & societatis si qua interceßisset, post res repetitas triginta dies solennes, hastæ missio iterum, & alia id genus, quæ cum his quæ proprie iuris gentiū sunt confundi non oportet. Nam & horum magnam partem suo tempore vsu tpari desiisse docet nos Arnobius: imo iam Varronis æuo quædam omittebantur. Punicum bellum tertium simul indictum, simul illatum est. Et Mæcenas apud Dionem quadam horum vult propria esse status popularis. *Arnob. lib. II. contr. Gent. Varro lib IV. de lingua Latina.*

IX. Indictum autem bellum ei qui imperium in populo summum habet, simul indictum censetur omnibus eius non subditis tantum, sed & qui se socios adiuncturi sunt, vt qui accessio sint ipsius, & hoc est quod aiunt recentiores Iurisconsulti diffidato principe diffidatos eius adhærentes. nam indicere bellum vocant diffidare. quod intelligendum est de eo ipso *Bald. ad l. 2. C. de seruitu. 70.*

bello quod aduersus eum cui indictum est geritur, quomodo bellum Antiocho indictum cùm esset, Ætolis separatim indici non placuit, quod ipsi palam se Antiocho adiunxissent: *AEtolos vltro sibi bellum indixisse* respondebant feciales.

Liu. lib. XXXVI.

X. At eo bello absoluto, si ob auxilia suppeditata populus, aut rex alter bello impetendi sint, vt effectus iuris gentium consequantur, opus erit noua indictione. Iam enim non vt accessio spectatur, sed vt principale aliquid. Ac propterea recte dictum est non fuisse iustum iure gentium bellum aut Manlij in Gallogræcos, aut Cæsaris in Arioui stum, non enim iam vt accessio alieni belli sed principaliter impetebantur, quam ad rem sicut ex iure gentium indictio, ita ex iure Romano nouus populi Romani iussus desiderabatur. Ideo in rogatione contra Antiochum diserte dictum est: *vellent, iuberentque cum Antiocho rege quicque sectam eius secuti essent bellum iniri.* Idemque obseruatum in decreto aduersus regem Persea.

Liu. lib. XXXVI. Lib. XLII.

XI. Causa autem cur gentes ad bellum illud, quod iure gentium iustum diximus, denuntiationem requirerent, non ea fuit quam adferunt nonnulli, ne quid clam aut dolo agerent, id enim ad fortitudinis excessum magis quàm ad ius pertinet, sicut nationes quædam etiam prælij diem & locum condixisse leguntur: sed vt certo constaret non priuato ausu sed voluntate vtriusq; populi, aut populi capitum geri bellum: nam inde nati sunt effectus peculiares, qui neque in bello aduersus prædones, neque in eo quod rex gerit in subditos locum habent. Ideo Seneca distincte dixit: *Indicta bella finitimis aut gesta cum ciuibus.*

Albert. Gent. Lib. I. c. 2.

Lib. III. de ira. c. 2.

XII. Nam quod notant quidam & exemplis docent, etiam in bellis talibus capta fieri capientium, verum est, sed ex vna dumtaxat parte, idque ex iure naturali

Ayala lib. I. c. 5.

turali non ex iure voluntario gentium, vt quod gentibus tantum prospicit, non his qui sine gente sunt, aut pars gentis. Errant & in eo quod putant bellum tuendi aut rerum tuendarum ergo susceptum indictione non egere: nam eget omnino: non quidem simpliciter, sed ad eos quos dicere cœpimus & mox explicabimus effectus. *Alb. Gento d. lib. II. c. 8.*

XIII. Ne illud quidem verum, non statim atque indictum est inferri bellum posse, quod Cyrus in Armenios, Romani in Carthaginienses vt modo diximus fecerũt. Nam indictio nullum post se tempus iure gentium requirit. Potest tamen fieri, vt ex naturali iure tempus aliquod requiratur ex negotij qualitate, putà cum res repetitæ sunt, aut pœna in nocentem postulata, & id negatum non est. Tunc enim id dandum est tempus quo quod petitum est commode fieri possit.

XIV. Quod si ius etiam legationum violatum sit, non ideo tamen denuntiatione opus non erit ad eos quos dico effectus: sed sufficiet eam fieri quomodo fieri tuto potest, per literas scilicet: quomodo & citationes & denuntiationes alias fieri mos habet in locis minus tutis.

CAPVT IV. *Addatur Cap. XI. h. Lib.*

De iure interficiendi hostes in bello solenni, & alia vi in corpus.

I. *Belli solennis effectus generaliter exponuntur.*

II. *Vox licere distinguitur in id quod impune fit nec tamen sine vitio, & in id quod vitio caret, etiam si id non faceret virtutis sit alicuius: additis exemplis.*

III. *Effectus belli solennis in sua generalitate considerati referri ad licere impunitatis.*
IV. *Cur tales effectus introducti sint.*
V. *Testimonia de his effectibus.*
VI. *Ex hoc iure interfici & offendi omnes qui intra fines hostium sunt.*
VII. *Quid si eò ante bellum venerint?*
VIII. *Subditos hostium vbique offendi nisi lex alieni territorij obstet.*
IX. *Ius hoc offendendi etiam ad infantes & feminas porrigi.*
X. *Etiam ad captos & quouis tempore.*
XI. *Etiam ad eos qui se dedere volunt, nec recipiuntur:*
XII. *Etiam ad deditos sine conditione.*
XIII. *Perperam id ius ad causas alias referri, vt ad talionem, pertinaciam defensionis.*
XIV. *Porrigi & ad obsides.*
XV. *Iure Gentium vetitum veneno quenquam interimere:*
XVI. *Aut tela aut aquas aliquas veneno inficere:*
XVII. *Non & aquas aliter corrumpere.*
XVIII. *Percussoribus vti an contra ius Gentium sit, distinguitur.*
XIX. *Stupra an sint contra ius Gentium.*

AD illud Virgilij:

Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.

Seruius Honoratus cùm iuris fecialis originem ab Anco Martio & vlterius ab Æquicolis petiisset, sic ait: *Si quando homines aut animalia ab aliqua gente rapta essent populo Romano, cum fecialibus id est sacerdotibus qui faciendis præsunt federibus proficiscebatur etiam Pater patratus, & ante fines stans clara voce dicebat belli causam, & nolentibus res raptas restituere vel auctores iniuriæ tradere, iaciebat hastam quæ res erat pugnæ principium, & iam licebat more belli res rapere.* Ante autem dixerat: *Veteres lædere res rapere dicebant etiamsi rapina nullum crimen existeret: similiter satisfacere res reddere dicebant.*

Quibus

Quibus docemur belli inter duos populos eorumve capita indicti effectus quosdam esse proprios, qui bellum ex sola natura non sequuntur: quod cum iis optime conuenit quæ ex Iurisconsultis Romanis modo attulimus.

II. Sed quod dixit Virgilius *licebit* videamus quo pertineat. Interdum enim licere dicitur id quod rectũ ex omni parte piumque est: etiamsi fortè aliud quid fieri possit laudabilius, quale est illud Pauli Apostoli: πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει. *Omnia* (illius scilicet generis cuius sunt de quibus agere cœperat, & acturus erat) *licent mihi sed non omnia expediunt.* Sic licet matrimonium contrahere, sed laudabilior est ex pio proposito cælebs castitas vt ad Pollentium ex eodem Apostolo disserit Augustinus. Repetere quoque nuptias licet: sed laudabilius est vno contentum esse matrimonio, vt rectè hanc quæstionem explicat Clemens Alexandrinus. Christianus coniux paganam coniugem licitè relinquere potest, vt sensit Augustinus, (quod quibus circumstantiis verum sit, discutere non est huius loci) sed & potest retinere: itaque addit ille: *Vtrumque quidem pariter licitum est per iustitiam quæ coram Domino est: & ideo nihil horum prohibet Dominus: sed nõ vtrumque expedit.* Vlpianus de venditore cui post diem præstitutum vinum licet effundere: *Si tamen cum posset effundere, non effundit, laudandus est potius.* Alias vero licere aliquid dicitur, non quod salua pietate & officiorum regulis fieri possit, sed quod apud homines pœnæ non subjacet. Sic apud populos multos scortari licet: apud Lacedæmonios & Ægyptios etiam furari licebat. Est autem hæc vocis licere significatio minus propria, vt recte notat Cicero Tusculanarum quinta de Cinna loquens: *Mihi contra non solùm eò videtur miser, quod ea fecit, sed etiam quod ita se gesserit vt ea facere ei liceret: etsi peccare*

1. Cor. VI. 12.

Lib. 1. cap. 18.

Ad Pollentium lib. 1. c. 15.

L. 1. §. licet D. de peric. & com. rei vend.

nemini licet, sed sermonis errore labimur: id enim licere dicimus, quod cuique conceditur: Recepta tamen: vt cum idem Cicero pro Rabirio Posthumo iudices sic alloquitur: *Quid deceat vos, non quantum liceat vobis, spectare debetis: si enim quod liceat quæritis, potestis tollere è ciuitate quem vultis.* Sic regibus dicuntur omnia licere, quia sunt ἀνυπεύθυνοι, exemti à pœnis humanis, vt alibi diximus: At Regē siue Imperatorem informans Claudianus rectè ait:

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
Occurrat.

& Musonius castigat reges, μὴ τὸ καθήκει μοι λέγειν μεμαθηκότας, ἀλλὰ τὸ ἔξεστί μοι, *qui in more habent dicere hoc mihi licet, non hoc me decet.* Eoque sensu sæpe opponi videmus quod licet, & quod oportet vt à Seneca patre in controuersiis non semel. Ammianus Marcellinus: *Sunt aliqua quæ fieri non oportet, etiam si licet.* Plinius in epistolis: *Oportet quæ sunt inhonesta, non quasi illicita, sed quasi pudenda vitare.* Cicero ipse Oratione pro Balbo: *Est enim aliquid quod non oporteat, etiamsi licet.*

Decl. lib. III. & V.

Ammian. lib. XXX. Plin. lib. V.

III. Hoc ergò modo lædere hosti hostem licet & in persona & in rebus: id est non ei tantum qui ex iusta causa bellum gerit, quique lædit intra eum modum quem naturaliter concessum, initio huius libri diximus, sed ex vtraque parte & indistinctè: ita vt eam ob causam nec puniri possit in alio forte territorio deprehensus tanquam homicida, aut fur, nec bellum ipsi ab alio talis facti nomine inferri.

IV. Causa cur id gentibus placuerit, hæc fuit quod inter duos populos de iure belli pronuntiare velle periculosum fuerat aliis populis, qui ea ratione bello alieno implicarentur, sicut Massilienses in causa Cæsaris & Pompeii dicebant, neque sui iudicii neque suarum esse virium discernere vtra pars iustiorem haberet causam: deinde quod etiam in bello iusto vix satis cogno-

cognoſci poteſt ex indiciis externis, quis iuſtus ſit ſe tuendi, ſua recuperandi aut pœnas exigendi modus, ita vt omnino præſtiterit hæc religioni bellantium exigenda relinquere, quam ad aliena arbitria vocare. Præter hunc effectum licentiæ, id eſt impunitatis, eſt & alius, dominii ſcilicet, de quo poſterius agemus.

V. Illa autem quam nunc tractare cœpimus lædendi licẽtia primum ad perſonas porrigitur: de qua multa extant apud probos auctores teſtimonia. Græcum eſt prouerbium ex tragœdia Euripidis:

καθαρὸς ἅπας τοι πολεμίους ὃς ἂν κτάνῃ.

Purus profecto eſt quiſquis hoſtem occiderit.

Itaque more Græcorum antiquo cum his, qui extra bellum occidiſſent hominem, lauare, potum ſumere, multoque magis ſacra facere fas non erat, cum his qui in bello, fas erat. Et paſſim occidere, ius belli vocatur. Marcellus apud Liuium: *quicquid in hoſtibus feci, ius belli defendit.* Apud eundem Alcon ad Saguntinos: *Sed hæc patienda cenſeo potius, quam trucidari corpora veſtra, rapi trahique ante ora veſtra coniuges ac liberos belli iure ſinatis.* Idem alibi cum narraſſet, Aſtapenſes occiſos; addit factum iure belli. Cicero pro Deiotaro: *Tibi vero inimicus cur eſſet à quo cum vel interfici belli lege potuiſſet, regem ſe & filios ſuos conſtitutos eſſe meminiſſet?* Et pro M. Marcello: *Nam cum ipſius victoriæ conditione iure omnes occidiſſemus, clementiæ tuæ iudicio conſeruati ſumus.* Cæſar Hæduis ſignificat *ſuo beneficio conſeruatos quos iure belli interficere potuiſſet.* Ioſephus in bello Iudaico, καλὸν ἐν πολέμῳ θνήσκειν, ἀλλὰ πολέμου νόμῳ τοῦτ' ἔστιν ὑπὸ τῶν κρατούντων: *Pulchrum in bello occumbere, ſed belli iure id eſt vitam adimente victore.*

Liu. XXVI

Lib. XXI.

L. XXVIII

Comm. lib. VII.

Papinius:

Nec querimur cæſos, hæc bellica iura, vicesq;
Armorum.——

Iure autem belli cum dicunt hi scriptores, non tale intelligi quod actum culpa omni liberet, sed qualem di-

Annal. I. xi impunitatem ex aliis locis apparet. Tacitus dixit, *in pace causas & merita spectari, vbi bellum ingruat innocentes ac*

Hist. III. *noxios iuxta cadere.* Idem alibi: *Nec illis aut honorare eam eadem ius hominum aut vlcisci ratio belli permittebat.* Neque aliter sumēdum ius belli quod abstinuisse Achiuos Ænea & Antenore memorat Liuius, eo q; pacis auctores semper fuissent. Seneca in tragœdia Troadibus:

Quodcunque libuit facere, victori licet.

Ep. XCVI. Epist. II. Seneca: *Quæ commissa capite luerent tum quia paludati fecerunt laudamus.* & Cyprianus: *Homicidium cum admittunt singuli crimen est. virtus vocatur cum publicè geritur: impunitatem sceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, sed sæuitiæ magnitudo* Deinde: *Consensere iura peccatis & cœpit esse licitū quod*

IV. Inst. c. 9. Pharsal. I. *publicum est.* Sic Lactantius Romanos ait legitimè iniurias intulisse. Nec alio sensu Lucanus: *Iusq; datū sceleri.*

VI. Late autem patet hoc ius licentiæ. nam primum non eos tantum comprehendit, qui actu ipso arma gerunt, aut qui bellum mouentes subditi sunt, sed omnes etiam qui intra fines sunt hostiles: quod apertum fit ex

Libro XXXVII. & alibi passim. ipsa formula apud Liuium: *Hostis sit ille quique intra præsidia eius sunt.* Nimirum quia ab illis quoque damnum metui potest quod in bello continuo & vniuersali sufficit vt locum habeat ius de quo agimus: aliter quam in pignorationibus quæ, vt diximus, ad exemplum onerum impositorum ad luenda ciuitatis debita introductæ sunt: quare mirum non est si quod Baldus notat multo plus licentiæ sit in bello quam in pignorandi iure. Et hoc quidem quod dixi in peregrinis qui commisso cognitoq; bello intra fines hosticos veniunt dubitationem non habet.

Ad l. V. D. de Iustitia.

VII. At qui ante bellum eo iuerant videntur iure gentium pro hostibus haberi post modicum tempus intra

intra quod discedere potuerant. Nam sic Epidamnum obsessuri Corcyræi peregrinis primum discedendi faciebant copiam, denuntiantes alioqui pro hostibus futuros. *Thuc. libr. 1.*

VIII. Qui autem verè subditi sunt hostium, ex causa scilicet permanente, eos offendere vbique locorum iure hoc gentium licet, si ipsorum personam respicimus. Nam cum alicui bellum indicitur, simul indicitur eius populi hominibus, vt suprà ostendimus in formula indictionis; sic & in decreto: *Vellent iuberent Philippo regi Macedonibusq; qui sub regno eius essent bellum indici.* *Liu. lib. XXXI.* Hostis autem qui est vbique secundum ius gentium impeti potest. Euripides:

Νόμος γὰρ ἐχθρὸν ὅπου λάβῃς κακῶς.
Vbicunq; prensum iura lædi hostem sinunt.

Marcianus Iurisconsultus: *Transfugas licet vbicunq; inuenti fuerint, quasi hostes interfuere.* Interfici ergo possunt impunè in solo proprio, in solo hostili, in solo nullius, in mari. In territorio autem pacato quod eos interficere aut violare non licet, id ius non ex ipsorum venit persona, sed ex iure eius qui ibi imperium habet. Nam ciuiles societates constituere potuerunt in eos qui in aliquo sunt territorio nihil per vim agi nisi iudicio tentaro; sicut ex Euripide citauimus: *L. 3. in fine. D. ad l. Cornel. de sicar.*

Si crimen istis aliquod hospitibus struis
Ius impetrabis: vi quidem hinc non abstrahes.

Vbi autem iudicia vigent, ibi personarum spectantur merita, & cessat ius istud promiscuum nocendi quod inter hostes introductum dicimus.

IX. Cæterùm vt ad rem redeam quam latè licentia ista se protendat vel hinc intelligitur quod infantium quoque & feminarum cædes impune habetur & isto belli iure comprehenditur. Non huc adferam quod Hesbonitarum feminas & pueros Hebræi occiderũt, *Deut. II. 34.* *Deut. XX. 16.*

& quod idem fieri imperatur in Cananęos & quorum connexa cum Cananæis erat causa: Dei ista sunt opera, cuius in homines ius maius est quam hominum in bestias vt alibi disseruimus. Illud propius accedit ad testandum morem communem gentium, quod in Psalmo beatus dicitur fore qui Babyloniorum infantes petræ allidet, cui par est Homericum illud:

Psalm. CXXXVII. 9.

——— καὶ νήπια τέκνα
βαλλόμενα προτὶ ἄστυ ἐν αἰνῇ δηϊότητι.

Illisaque corpora terræ
Infantum, sæuus dum concutit omnia Mauors.

Romani capta Ilurgi vrbe Hispanię, ἔκτειναν ὁμαλῶς καὶ παιδία καὶ γυναῖκας, *sine discrimine interemerunt etiam mulieres & pueros*, quæ verba sunt Appiani. Germanicus Cæsar Tacito narratur vicos Marsorum (Germaniæ is populus) ferro flammisque peruastasse, additurque: *non sexus, non ætas miserationem attulit.* Titus Iudæorum etiam pueros & feminas in spectaculo feris laniãdos proposuit. Et tamen hi duo ingenio minime sæuo fuisse credũtur: adeo sæuitia illa in morem verterat. Quo minus mirum si & senes interficiuntur vt à Pyrrho Priamus.

Lib. Ann. 1.

Æn. II.

X. Ne captiui quidem ab hac licentia exemti. Pyrrhus apud Senecam ex recepto tunc more:

Troad.

Lex nulla capto parcit aut pœnam impedit.

In Ciri Virgiliana belli lex hæc dicitur etiam in feminas captiuas. Ita enim ibi Scylla:

At belli saltem captiuam lege necaßes.

Sed & illo Senecæ loco de femina, Polyxena nimirum, occidenda agebatur. Hinc illud Horatij:

Vendere cum poßis captiuum, occidere noli.

Ponit enim licere: & Donatus, seruos dictos qui seruati essent *quum eos occidi oporteret iure belli*: vbi illud oporteret, improprie pro liceret positum videtur. Sic quinque millia captiuorũ ab Annibale occisa, & à M. Bruto non

Adelph. act. 2. scen. 1. App. Annib. Dien. XLVII.

to non pauci. Apud Hirtium bello Africano Scipionem sic alloquitur centurio Cæsarianus. *Tibi gratias ago, quod mihi vitam incolumitatemq; belli iure capto polliceris.* Nec tempore vllo excluditur potestas occidendi tales seruos, id est bello captos, quantum ad ius gentium pertinet: etsi legibus ciuitatum hic magis, illic minus adstringitur.

XI. Quin & supplicum occisorum passim occurrunt exempla, vt ab Achille apud Homerum, apud Virgilium Magonis & Turni: quæ ita narrari videmus vt defendantur simul illo quod dixi belli iure. nam & Augustinus laudans Gothos qui supplicibus & in templa perfugientibus pepercerant: *Quod belli iure fieri licuisset,* ait, *illicitum sibi esse iudicarunt.* Nec qui se dedunt semper recipiuntur, vt apud Tacitum Vspenses veniã liberis corporibus orantes: *quod aspernati,* inquit, *sunt victores vt belli potius iure caderent.* Nota & hic belli ius.

1. de Ciuit. Dei. 2.

Ann. XII.

XII. Sed & acceptos in deditionem sine conditione vlla, legas interfici, vt à Sulla Samnites, à Cæsare Numidas, & ipsum Vercingentorigem: imò mos hic ferme perpetuus Romanorum in hostium duces siue captos, siue deditos, vt triumphi die occiderentur, quemadmodum Cicero nos docet quinta Verrina, Liuius tum alibi, tum libro XXVIII. Tacitus Annali XII. & alii multi.

Dion. XLV.

XIII. Solent interdum historici causam interfectorum hostium, captorum præsertim aut supplicum, referre aut ad talionem, aut ad pertinaciam in resistendo: sed hæ causæ vt alibi distinximus suasoriæ magis sunt, quam iustificæ. Nam talio iusta & proprie dicta in eandem personam quæ deliquit exercenda est, vt intelligi potest ex his quæ de pœnæ communicatione dicta sunt supra: Contra vero in bello plerunque id

quod

quod talio dicitur in malum redundat eorum quorum in eo quod accusatur nulla est culpa. Pertinax vero studium in partes nemo est qui supplicio dignum iudicet, vt apud Procopium Neapolitani Belisario respondent, quod tunc maxime obtinet cum partes illæ aut à natura assignatæ aut honesta ratione electæ sunt. Imo tantum abest vt in eo crimen sit, pro crimine habetur si quis præsidio decesserit, præsertim veteri iure militari Romano quod hic nullam ferme admittebat metus aut periculi excusationem. *Præsidio decedere apud Romanos capitale est*, ait Liuius. Ob vtilitatem ergo suam quisque summo illo rigore, vbi visum est, vtitur: defenditur autem rigor ille apud homines eo gentium iure de quo nunc agimus.

1. Goth.

Polyb. lib. VI.

Lib. XXIV.

XIV. Idem ius & in obsides vsurpatum, nec in eos tantum qui se obligauerant, quasi ex conuentione, sed & in eos qui ab aliis traditi. A Thessalis occisi olim ducenti quinquaginta, à Romanis Volsci Aurunci ad trecentos. Notandum autem solitos obsides dari etiam pueros vt à Parthis, quod & à Simone Maccabeorum vno factũ legimus, & feminas vt à Romanis Porsenæ temporibus & à Germanis narrante Tacito.

Plut. de Claris mulieribus.

Dionys. XVI.

Tac. Ann. XII.

1. Marc. XIII. 17.

IV. Hist.

XV. Sicut autem ius gentium permittit multa, eo permittendi modo quem iam explicauimus, quæ iure naturæ sunt vetita, ita quædam vetat permissa iure naturæ. Nam quem interficere liceat eum gladio an veneno interimas nihil interest, si ius naturæ respicias: ius inquam naturæ: nam generosius quidem est ita occidere vt qui occiditur sui defendendi habeat copiam: sed non debetur hoc cuiquam qui mori meruit. At ius gentium, si non omnium, certe meliorum iam olim est, ne hostem veneno interficere liceat: qui consensus ortus est ex respectu communis vtilitatis, ne pericula in bellis quæ crebra esse cœperant nimiũ

inten-

intenderentur. Et credibile est à regibus id profectum quorum vita ab armis ante alios defenditur, à veneno minus quam aliorum tuta est, nisi defendatur iuris aliqua religione & metu infamiæ. Clandestina scelera vocat Liuius de Perseo loquens: nefas Claudianus agens de insidiis in Pyrrhum à Fabricio reiectis, & Cicero scelus eandem historiam tangens. Communis exempli interesse ne tale quid admittatur aiunt Consules Romani in epistola ad Pyrrhum quam ex Cl. Quadrigario recitat Gellius. Quare qui licitum volunt hostem veneno occidere, vt ex Vegetio Baldus, respiciunt merum naturæ ius, illud autem quodà gentium voluntate ortum trahit præteruident. *Liu. lib. XLII. De bello Gild. Off. III. Lib. III. c. 1. II. Cons. 181.*

XVI. Distat à tali veneficio nonnihil & ad vim accedit propius, spicula veneno inficere & geminare mortis causas, quod de Getis tradit Ouidius, de Parthis Lucanus, de Afris quibusdam Silius, & nominatim de Æthiopibus Claudianus. Sed hoc quoque contra ius est gentium non vniuersale sed gentium Europæarum & si quæ ad Europæ melioris cultum accedunt. quod recte à Salisberiensi obseruatũ est, cuius hæc sunt verba: *Nec veneni licet videam ab infidelibus aliquando vsurpatã vllo vnquam iure indultam lego licentiam.* Nam & fontes veneno inficere, quod ipsum quoque aut non latet, aut non diu latet, Florus ait esse non tantum contra morem maiorum sed & contra fas Deum, sicut iura Gentium Diis asscribi auctoribus solere alibi quoque à nobis annotatum est. *Salisb. VIII. 20. Lib. 2.*

XVII. Cæterum non idem statuendum, de aquis sine veneno ita corrumpendis vt bibi nequeant, quod Solon & Amphictyones leguntur in barbaros iustum censuisse. Id enim perinde habetur quasi auertatur flumen aut fontis venæ intercipiantur, quod & natura & consensu licitum est. *Pauf. lib. vlt. Front. lib. III. Æsch. de male ob. leg.*

XVIII. An

XVIII. An vero hostem interficere immisso percussore per ius gentium liceat, quæri solet. Sed omnino discrimen adhibendum est, inter percussores qui fidē expressam vel tacitam violant, vt subditi in regem, vasalli in seniorem, milites in eum cui militant, recepti vt supplices aut aduenæ aut transfugæ in eos qui recepe-runt, an vero nulla teneántur fide, quomodo Pipinus Caroli magni pater vno comitatus satellite traiecto Rheno hostem in cubiculo interfecisse narratur: quod & à Theodoto Ætolo in Prolemæum Ægypti regem simili modo tentatum refert Polybius, οὐκ ἀνανδρον πόλεμον, virilem audaciam vocans. Talis & ille laudatus ab historicis Q. Mutii Scæuolæ conatus, quē ipse sic defendit, *hostis hostem occidere volui.* Porsena ipse in hoc facto, nihil nisi virtutem agnoscit. Nimirum hostem occidere vbiuis licet, non naturæ tantum sed & Gentium iure vt supra diximus: nec refert quot sint qui faciant, aut patiantur. Sexcenti Lacones castra hostilia ingressi recta tentorium regis petebant. Paucioribus idem licuit. Pauci erant qui Marcellum consulem ex insidiis circumuentum occiderunt: & qui Petilium Cerialem parum abfuit quin in lecto confoderent. Laudat Eleazarum Ambrosius quod elephantem supereminentem cæterisadortus est arbirratus ei insidere regem. Neque tantum qui hæc faciunt sed & qui aliis faciendi auctores sunt iure Gentium inculpati habentur. Scæuolæ ad audendum fuerunt auctores illi in bellis adeo sancti veteres Romani senatores. Neque mouere quenquam debet quod deprehensi tales exquisitis suppliciis affici solent: nam id ipsum non eo euenit quod in ius gentium deliquerint, sed quia eodem iure gentium in hostem quiduis licet: grauius autem aut leuius malum statuit quisque pro sua vtilitate. Nam sic & exploratores, quos mittere

Liu. lib. II.

Iustin. II. Liu. lib. XXVII. Tacit. Hist. V. D. Off. 1. c. 40.

Liu. lib. II.

iure

iure gentium haud dubie licet, quales misit Moses, qualis fuit ipse Iosue, deprehensi pessime tractari solent (ἔθος τοὺς κατασκόπους κτείνειν, *mos est exploratores interficere* ait Appianus) iuste interdum ab his qui manifeste iustam habent bellandi causam: ab aliis vero licentia illa quam dat belli ius. Quod si qui reperiuntur qui tali opera oblata vti noluerint, id ad animi celsitudinem & virium apertarum fiduciam, non ad iusti iniustive opinionem referẽdum est. At de his percussoribus quorum facto perfidia inest, aliter cẽsendum. neque enim ipsi tantum contra ius Gentium faciunt, sed & qui eorum vtuntur opera: quanquam enim in rebus aliis, qui malorum opera in hostem vtuntur peccare censeantur apud Deum, non autem apud homines, id est in gentium ius, quia ea in parte, Pun.

Mores leges perduxerunt in potestatem suam:

Et decipere, vt Plinius loquitur, *pro moribus temporum prudentia est*: tamen intra ius interficiendi constitit hæc consuetudo. Nam hic qui aliena vtitur perfidia violasse ius non naturæ tantum, sed & gentium creditur. Hoc docent illa Alexandri ad Darium: *Impia bella suscipitis, & cum hebeatis arma, licitamini hostium capita.* Eodem referendum illud de Perseo: *Non iustum apparare bellum regio animo, sed per omnia clandestina grassari scelera latrociniorum & veneficiorum.* Causa cur hic aliud quam in rebus cæteris placuerit, ea ipsa est quam de veneno supra attulimus, ne nimium intenderentur pericula eorũ maxime qui eminent. Negabat Eumenes credere *se quenquam ducum sic velle vincere, vt ipse in se exemplum peßimũ statueret.* Apud Curtium cum Bessus Dario manus intulisset, dicitur exempli & communis regum omnium esse causa: & Oedipus regis Laii cædem vindicaturus apud Sophoclem sic ait: Lib. VIII. Epist. Curt. lib. IV. Liu. lib. XLII. Iustin. lib. XIV.

Κείνω προσαρκῶν οὖν ἐμαυτὸν ὠφελῶ;

Et

Et apud Senecam in eiusdem argumenti tragœdia:

Regi tuenda est maxime regum salus.

In bello ergo solenni aut inter eos qui belli solennis indicendi ius habent id non licet: extra vero bellum solenne, habetur pro licito eodem Gentium iure. Sic in Gannascum defectorem structas insidias tales degeneres negat Tacitus. Sic & in latrones & piratas perfidia, vitio quidam non caret, sed apud gentes odio eorum in quos committitur impunita est.

Ann. XI.

XIX. Stupra in feminas in bellis passim legas & permissa & impermissa. Qui permiserunt spectarunt iniuriam solam in alienum corpus cui subiacere quicquid hostile est iuri armorum non incongruens iudicabant. Melius alii qui non solam iniuriam sed ipsum efferatæ libidinis actum hic considerarunt, & quod is neque ad securitatem pertineat neque ad pœnam, ac proinde non bello magis quam pace impunitus esse debeat, atque hoc posterius ius est gentium non omnium sed meliorum. Scipio apud Liuium, & sua & populi Romani interesse ait, *nequid quod vspiam sanctum esset apud ipsos violaretur.* vspiam id est apud moratiores populos: Ælianus cum narrasset à Sicyoniis victoribus feminarum ac virginum Pellenæarum pudicitiã prostitutam sic exclamat: ἀγριώτατα ταῦτα, ὦ θεοὶ Ἑλλήνιοι, καὶ οὐδὲ ἐν βαρβάροις καλὰ, κατάγε τὴν ἐμὴν μνείαν. *Crudelia hæc per Deos Græciæ, & quantum memoria complector, ne ipsis quidẽ barbaris probata.* Atq; id inter Christianos obseruari par est, non tantum vt disciplinæ militaris partem, sed & vt partem iuris Gentium: id est vt qui pudicitiam vi lęsit, quamuis in bello, vbique pœnæ sit obnoxius. Nam nec Hebræa lege impune quisquam id tulisset, vt intelligi potest ex ea parte quæ de captiua ducenda neque vendenda postea, constituit.

Lib. XXVI.

Lib. VI. var. hist.

Deut. XXI 10.

CAP.

CAPVT V. Conf. Cap. XII. huius Libri.

De rebus vastandis eripiendisque.

I. *Res hostium corrumpi & rapi posse.*
II. *Etiam sacras quod quomodo intelligendum.*
III. *Et religiosas, addita itidem cautione.*
IV. *Doli quatenus hic permissi.*

I. NON esse contra naturam spoliare eum quē honestum est necare, dixit Cicero. Quare mirum non est si ius gentium corrumpi ac rapi permiserit res hostium quos interficere permiserat. Polybius itaque historiarum quinto iure belli comprehendi ait vt munitiones hostium, portus, vrbes, viri, naues, fructus & si qua sunt similia aut eripiantur aut corrumpantur. Et apud Liuium legimus *esse quædam belli iura quæ vt facere ita pati sit fas: sata exuri, diruι tecta; prædas hominum pecorumque agi.* Ipsas vrbes totas dirutas aut mœnia solo æquata, populationes agrorum, incendia singulis ferme paginis apud historiarum scriptores inuenias. Et notandum licere hæc & in deditos. *Oppidani*, inquit Tacitus, *portis sponte patefactis se suaque Romanis permisere quod salutem ipsis tulit: Artaxatis ignis immissus.* *Off. III.* *Lib. XXVI.* *Ann. XIII.*

II. Neque ius gentium merum, seposita officiorum aliorum consideratione, de quibus dicemus infra, sacra excipit id est quæ Deo aut dijs dicata sunt. *Cum loca capta sunt ab hostibus omnia desinunt sacra esse*, ait Pomponius Iurisconsultus. *Sacra Syracusarum victoria profana fecerat*, ait Cicero Verrina quarta. Causa huius rei est, quod quæ sacra dicuntur reuera non eripiuntur humanis vsibus, sed publica sunt, sacra autem nominan- *L. cum loca D. de rerum diuis.*

tur à fine cui destinata sunt. Signum eius quod dico est quod cum quis populus alteri populo aut Regi se dedit, tum etiam ea dedit quæ diuina dicuntur vt ex formula apparet quam citauimus alibi ex Liuio, cui conuenit illud in Amphitruone Plauti:

Vrbem, agrum, aras, focos, seque vti dederent.

Deinde:

Deduntque se diuina humanaque omnia.

Et ideo Vlpianus publicum ius etiam in sacris ait consistere. Thucydides lib. IV. τὸν νόμον τοῖς Ἕλλησιν εἶναι, ὧν ἂν ᾖ τὸ κρατος τῆς γῆς ἑκάστη. ἢν τε πλέονος ἢν τε βραχυτέρας, τούτων καὶ τα ἱερα ἀεὶ γίγνεσθαι: *ius hoc apud Græcos esse vt qui imperium obtineant in terra aliqua magna aut parua eorum sint & templa.* Quare & populus ipse mutata voluntate potest ex sacro profanum facere, quod non obscure indicant Iurisconsulti Paulus & Venuleius: & temporum necessitate videmus res sacras ab his qui sacrauerant in belli vsus conuersas, vt à Pericle, Romanis bello Mithridatico, Sulla, Pompeio, Cæsare atque aliis factum legimus. Hoc ergo gentium iure vsus Germanicus in Marsos, narrante Tacito: *profana simul & sacra & celeberrimum illis gentibus templum quod Tanfanæ vocabant, solo æquantur.* Deorum donaria capi à victoribus solere notauit Pausanias: & Cicero belli legem id vocat de P. Seruilio loquens. *Signa*, inquit, *& ornamenta ex vrbe hostium vi & virtute capta belli lege atque imperatorio iure sustulit.* Sic Liuius templorum ornamenta quæ Syracusis Marcellus Romam aduexit *parta* ait *belli iure.* Illud tamen verum est, si quo in simulacro numen aliquod inesse credatur, id violari aut corrumpi nefas ab iis qui in ea persuasione conueniunt: & hoc sensu impietatis aut læsi etiam gentium iuris accusantur interdum qui talia commiserũt, nimirum ex talis opinionis positione. Aliud est si hostes non idem sentiant: sicut

L. inter stipulantem. §. sacrum, & l. continuus. §. cum quis D. de verb. oblig. Ann. 1.

Lib. VIII. Verr. III.

Lib. XXV.

Iudæis

Iudæis non permissum tantum sed & præceptum est gentium simulacra abolere. nam quod sibi accipere vetantur, id eam causam habet quo magis Hebræi superstitiones gentium detestarentur, impuritatis admoniti ipso contactus interdicto, non quasi alienis sacris parceretur, quomodo Iosephus exponit, Romanis haud dubie blandiens, sicut & in expositione præcepti alterius, de non nominandis gentium diis, quod ille ita explicat quasi illis obloqui vetarentur, cũ reuera honoris causa aut sine abominatione eos nominare lex non sineret. Sciebant quippe Hebræi Dei certissimo monitu in simulacris illis non habitare, aut Dei spiritum, aut bonos Angelos, aut vim astrorum, vt deceptæ gentes existimabant, sed prauos & humano generi infestos Dæmonas, ita vt recte dixerit Tacitus in Iudæorum institutis describendis *profana illic omnia quæ apud nos sacra.* Non mirum ergo est si templa profani cultus à Maccabæis incensa non semel legimus. Sic & Xerxes cum simulacra Græcorum corrupit, nihil fecit contra ius gentium, etsi multum id ad inuidiam exaggerant Græci scriptores. Nam Persæ non credebant in simulacris esse vila numina sed Deum esse Solem & portionem eius aliquam ignem. Lege Hebræa, vt idem Tacitus recte, *templi limine prætor sacerdotes arcebantur.* At Pompeius eodem auctore *templum iure victoriæ ingressus est:* aut vt Augustinus rem eandem narrans *non deuotione supplicis sed iure victoris:* bene ille quod templo pepercit: male quod ingressus est, quippe contemto vero Deo, quod & Chaldæis exprobrant Prophetę: quam etiam ob causam quidã factum arbitrantur singulari Dei prouidẽtia, vt is quem dixi Pompeius quasi inconspectu Iudææ trucidaretur, ad Cassium Ægypti promontorium. at si spectes opinionem Romanorum, nihil in eo factum contra ius gentium. Sic idem

Deut. VII. 5.

Hist. V.

1. Macc. V. & X.

Dan. V. 23.

Bell. Iud. lib. VI. c. 24. & 34.

Templum excidio datum à Tito Iosephus memorat, additque factum τῷ τοῦ πολέμου νόμῳ.

III. Quod de sacris diximus idem & de religiosis intelligi debet. nam hæc quoque non mortuorum sunt, sed viuẽtium, siue populi alicuius siue familiæ. Quare sicut sacra loca ab hostibus capta ita & religiosa talia esse desinere scripsit dicto loco Pomponius & Paulus Iurisconsultus: *Sepulchra hostium religiosa nobis non sunt, ideoque lapides inde sublatos in quemlibet vsum conuertere possumus*: quod ita tamen intelligẽdum ne ipsa mortuorum corpora male tractentur, quia id contra ius est hominum sepeliẽdorum, quod iure gentium introductum alibi demonstrauimus.

L. sepulchra D. de sepulchro violato.

IV. Illud hic breuiter repetã non vi sola res hostium hostibus eripi ex iure gentium, sed & dolos qui perfidia careant permissos censeri, imò & alienæ perfidiæ incitationem. Nimirum ad minora & frequentia hæc delicta ita conniuere cœpit ius gentium, sicut leges ciuiles ad meretricium & improba fœnera.

CAP. VI. Vide quoque Cap. XIII. 1. lib.

De iure acquirendi bello capta.

I. *Circa acquisitionem rerum bello captarũ quale ius naturæ.*
II. *Quale ius gentium: cuius testimonia adduntur.*
III. *Quando res mobilis capta censeatur ex Gentium iure:*
IV. *Quando agri.*
V. *Res quæ non sunt hostium non acquiri bello.*
VI. *Quid de rebus repertis in nauibus hostium?*
VII. *Iure Gẽtium nostra fieri quæ hostes nostri aliis bello eripuerant, quod testimoniis probatur.*
VIII. *Refellitur sententia statuens res captas ab hostibus omnino singu-*

singulorum capientium fieri.

IX. *Naturaliter & possessionem & dominium per aliū acquiri.*

X. *Distinctio actuum bellicorum in publicos & priuatos.*

XI. *Agros acquiri populo aut eius cuius est bellum.*

XII. *Res mobiles & se mouentes actu priuato captas singulorum capientium fieri.*

XIII. *Nisi lex ciuilis aliud statuat.*

XIV. *Captas actu publico fieri populi aut eius cuius est bellum.*

XV. *Arbitrium tamen in res tales aliquod solere imperatoribus concedi.*

XVI. *Qui aut eas referunt ad ærarium:*

XVII. *Aut diuidunt militi & quomodo:*

XVIII. *Aut direptionem permittunt:*

XIX. *Aut aliis concedunt:*

XX. *Aut factis partibus aliud atq; aliud statuunt: & quomodo.*

XXI. *Peculatum circa prædam committi.*

XXII. *Lege aut alio voluntatis actu de iure hoc communi aliquid immutari posse.*

XXIII. *Sic sociis prædam concedi:*

XXIV. *Sæpe & subditis: quod variis exemplis terrestribus & maritimis illustratur.*

XXV. *Vsus ante dictorum.*

XXVI. *An capta extra territorium vtriusque partis bellantium acquirantur belli iure.*

XXVII. *Ius hoc quod diximus quomodo belli solennis sit propriū.*

I. PRÆTER quorundam actuum inter homines impunitatem, de qua egimus hactenus, est & alius effectus bello solenni ex iure gentium proprius. Ac iure naturæ quidem bello iusto ea nobis acquiruntur quæ aut paria sunt ei quod cum nobis sit debitum aliter consequi non possumus, aut etiam quæ nocentium damnum inferunt intra æquum pœnæ modum, vt alibi dictum est. Hoc iure Abrahamus de

ſpolijs quæ à quinq; regibus acceperat decimam Deo dedit vt hiſtoriam quæ exſtat Gen. XIV. explicat diuinus ſcriptor ad Hebræos VII. 4. quo more Græci quoque Carthaginienſes & Romani dijs ſuis, vt Apollini, Herculi, Ioui Feretrio decimam de præda ſacrauerunt. Iacobus autem Ioſepho præ fratribus præcipuum relinquens legatum: *Do tibi*, inquit, *partem vnam ſupra fratres tuos, quam à manu Amorrhæi cepi gladio meo & arcu meo.* Gen. XLVIII. 22. Quo in loco illud *cepi* prophetico loquendi genere pro *certo capiam* ſumi videtur, & Iacobo attribui quod poſteri ab eius nomine dicti facturi erant quaſi eadem eſſet progenitoris & liberorum perſona. Id enim rectius, quam cum Hebræis verba hæc trahere ad illam expilationem Sicimorum quę iam ante à filijs Iacobi facta erat. nam eam vt cum perfidia coniunctam Iacobus pro ſua pietate ſemper improbauit, vt videre eſt Gen. XXXIV. 30. XLIX. 6. Probatum autem à Deo ius prædæ inter eos quos dixi naturales terminos alijs quoque locis apparet. Deus in lege ſua de ciuitate poſt pacem repudiatam expugnata loquens ſic ait: *Omnia eius ſpolia diripies tibi: & frueris præda hoſtium quam tibi Deus dederit.* Rubenitæ, Gaditæ & pars Manaſſitarum dicuntur viciſſe Ituræos & eorum vicinos, multamque prædam ab ijs abſtuliſſe, hac ratione addita, quod in bello Deum inuocaſſent & Deus eos propitius exaudijſſet: quomodo & rex pius Aſa narratur Deo inuocato de Æthiopibus iniuſto bello ſe laceſſentibus & victoriam & prædam reportaſſe: quod eo magis notandum quia arma illa non ex ſpeciali mandato ſed ex communi iure ſumebantur. Ioſue autem eoſdem quos dixi Rubenitas, Gaditas & Manaſſis partem ſecundis ominibus proſequens: *participes*, inquit, *ſitis præda hoſtium cum fratribus veſtris.* Et Dauid cum ad Senatores Hebræos mitteret parta de Ama-

Deut. XX. 14.

1. Par. V. 20. 21. 22. II. Par. XIV. 13.

Ioſue XXII. 8.

Amalecitis spolia pretium dixit muneri: *Ecce donum hoc esto vobis de præda hostium domini.* Nimirū vt Seneca dixit militaribus viris speciosissimum est diuitem aliquem spoliis hostilibus facere. Exstāt & diuinę leges de prę- da diuidenda, Num. xxxi. 27. Et Philo inter diras le- gis esse ait vt ager ab hostibus demetatur, vnde sequi λιμὸν μὲν φίλοις, ἐχθροῖς δὲ εὐθηνίαν *in suos famem, copiam hostibus.* *III. Benefic. 37.* *De diris.*

II. Cæterùm iure gentium non tantum is qui ex iusta causa bellum gerit, sed & quiuis in bello solenni & sine fine modoque dominus fit eorum quæ hosti e- ripit, eo sensu nimirum vt à gentibus omnibus & ipse & qui ab eo titulum habent in possessione rerum ta- lium tuendi sint. quod dominium quoad effectus ex- ternos licet appellare. Cyrus apud Xenophontem: νόμος οὐ πᾶσιν ἀνθρώποις ἀίδιος ὅστις ὅταν πολεμούντων πόλις ἁλῷ τοῦ ἑλόντος εἶναι τὰ χρήματα. *Lex est sempiterna inter homines, capta hostium vrbe eorumdem res atque pecunias victori cedere.* *Xenoph. V. de inst. Cyri.* Plato dixit: πάντα τοῦ νικωμένων ἀγαθὰ τοῦ νικώντων γίγνεσθαι, *bona quæ victus habuit omnia victoris fieri:* qui & alibi inter genera quasi naturalia acquisitionis statuit πολεμικὴν, quam & λῃστικὴν, ἀγρυπνιστικὴν & χειροπρακτικὴν vocat, assentiē- tem hac in re habens eum quem dixi Xenophontem apud quem Euthydemum Socrates interrogando eo perducit, vt spoliare non semper iniustum fateatur, vt si in hostem id fiat. Sed Aristotele quoque auctore ὁ νόμος ὁμολογία τις ὢν τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα τοῦ κρατύνντων εἶναί φασι: *Lex velut pactum quoddam commune est quo bello capta capientium fiunt.* Eodem respicit dictum illud Antiphanis: ἅπαξ πολεμίοις εὐχερὲς δεῖ πάντα πρᾶξαι χωρὶς ἀνδρείας· γίνεται γὰρ καὶ τοῦτο κἀπὸ τοῦ κρατεῖν. Op- tandū vt hostibus bona adsint sine virtute. *Sic enim fiunt illa nō eorum qui habēt, sed eorum qui capiunt.* Æschines: εἰ μὲν γὰρ ἡμᾶς πολεμοῦσι δικαίως πρὸς πόλιν εἶλες, κυρίως ἔχεις τοῦ τῶ *De legib. Sophist. Comm. IV. 1. Polit.*

De male obita legatione. II. contra Rullum. Off. 1.

πολέμου νόμῳ κτησάμενος: *Si bello in nos suscepto armis cepisti vrbem, iure eam possides belli lege.* Cicero Mitylenas ait populi Romani factas belli lege ac iure victoris. Idem priuata aliqua esse cœpisse ait aut occupatione vacuorum aut bello, eorum scilicet qui victoria potiti sunt. Etiam

Strom. 1.

Clemens Alexandrinus ait res hostium rapi & acquiri belli iure. *Quæ ex hostibus capiuntur iure gentium statim capientium fiunt* ait Caius Iurisconsultus. Naturalem hanc

L. naturalem, §. vlt. D. de acq. rer. dom. Tit. de rer. diuis. Arist. 1. de rep. c. 8. L. 1. §. 1. D. de acq. poss.

acquisitionem φυσικὴν κτῆσιν appellat Theophilus in Græcis institutionibus, sicut & Aristoteles dixerat πολεμικὴν φύσει κτητικὴν, *rem militarem secum ferre naturalem acquirendi modum.* nimirum quia non causa aliqua, sed ipsum nudum factũ spectatur & ex eo ius nascitur, sicut & Nerua filius, referente Paulo Iurisconsulto, dominium rerum ex naturali possessione cœpisse aiebat, eiusq; rei vestigium remanere de his quæ terra, mari, cæloque capiuntur, itẽ in bello captis, quæ omnia protinus eorũ fiunt qui primi possessionẽ apprehẽderũt.

III. Cæterum in hac belli quæstione placuit gentibus vt cepisse rem is intelligatur qui ita detinet vt recuperandi spem probabilem alter amiserit, vt res persecutionem effugerit, vt loquitur in simili quæstione

L. Pomponius. D. de acq. rer. dõ. L. postliminium, §. postliminio. D. de captiu. l. vlt. ib. l. Postliminii, §. in bello d. tit. Consulatus Maris c. 287. Const. Gallicæ lib. XX. tit. 13. art. 24.

Pomponius: Hoc autem in rebus mobilibus ita procedit vt capta dicantur vbi intra fines id est præsidia hostium perducta fuerint. Eodem enim modo res amittitur quo postliminio redit. Redit autem vbi intra fines imperii esse cœpit, quod alibi explicatur intra præsidia. Cui consequens esse videtur vt in mari naues & res aliæ captæ censeantur tum demum cum in naualia aut portus aut ad eum locum vbi tota classis se tenet perducta sunt. nam tunc desperari incipit recuperatio. sed recentiori iure gentium inter Europæos populos introductum videmus vt talia capta censeantur vbi per horas viginti quatuor in potestate hostium fuerint.

IV. At

IV. At agri non statim capti intelliguntur simul t-que insessi sunt. nam quanquam verum est eam agri partem quam cum magna vi ingressus est exercitus ab eo interim possideri, vt à Celso notatum est, tamen ad eum quem tractamus effectum non sufficit qualiscũque possessio, sed firma requiritur. Itaque Romani agrum extra portam quem Annibal castris insidebat adeo non amissum iudicabant vt eo ipso tempore nihilo minoris venierit quam ante venisset. Is ergo demum ager captus censebitur qui mansuris munitionibus ita includitur vt nisi iis expugnatis parti alteri palam aditus non sit. Et hæc non minus probabilis videtur nominis territorii origo à terrendis hostibus à Siculo Flacco allata, quam illa Varronis à terendo, aut Frontini à terra, aut Pomponij Iurisconsulti à terrendi iure quod habent magistratus. Sic Xenophon libro de Vectigalibus agri possessionem belli tempore ait retineri per munimenta quæ τείχη καὶ ἐρύματα ipse appellat.

Corn. de Lapide in Gen. c. XIV. Molina disp. 118. L. quod meo. D. de acq. vel amitt. poss. Liu. lib. XXVI.

V. Liquet & hoc vt res aliqua nostra belli iure fiat requiri vt hostium fuerit: nam quæ res apud hostes quidem sunt, puta in oppidis eorum aut intra pręsidia, sed quorum domini nec hostium sint subditi nec hostilis animi, eæ bello acquiri non possunt, vt inter cætera Æschinis dicto iam loco ostenditur Amphipolim, quæ vrbs esset Atheniensium, Philippi bello in Amphipolitanos ipsius Philippi non potuisse fieri. Nam & ratio deficit, & ius hoc mutandi per vim dominii odiosius est quam vt produci debeat.

VI. Quare quod dici solet hostiles censeri res in hostium nauibus repertas non ita accipi debet quasi certa sit iuris gentium lex, sed vt præsumptionem quandam indicet quæ tamen validis in contrarium probationibus possit elidi. Atque ita in Hollandia nostra

iam olim anno ſcilicet C I Ɔ C C C X X X V III. flagrante cum Anſiaticis bello frequenti ſenatu iudicatum & ex iudicato in legem tranſiiſſe comperi.

VII. Illud vero extra controuerſiam eſt ſi ius gentium reſpicimus, quæ hoſtibus per nos erepta ſunt, ea non poſſe vindicari ab his qui ante hoſtes noſtros ea poſſederant & bello amiſerant: quia ius gentium hoſtes primum dominos fecit dominio externo, deinde nos: quo iure inter alia tuetur ſe Iephthes contra Ammonitas, quia ager ille quem Ammonitæ vindicabant belli iure ab Ammonitis, vt & pars alia à Moabitis ad Amoræos, ab Amoræis ad Hebræos tranſiſſet. Sic & Dauid quod ipſe Amalecitis, Amalecitæ antea Palæſtinis eripuerant pro ſuo habet ac diuidit. Titus Largius apud Dionyſium Halicarnaſſenſem in Senatu Romano cum Volſci olim poſſeſſa repeterent ſententiam ſic dixit: ὅτι ῥωμαῖοι καλλίστας ὑπολαμβάνομεν κτήσεις εἶναι καὶ δικαιοτάτας, ἃς κατάσχωμεν πολέμῳ λαβόντες καὶ νόμῳ καὶ οὐκ ἂν ὑπομείναιμεν μωρίᾳ τὴν ἀρετὴν ἀφανίσαι. κοινωνητέον τε πᾶσι καὶ τοῖς ἐκ τούτων γενομένοις καταλιπεῖν ἀγωνιούμεθα· νῦν δὲ ὑπαρχόντων ἤδη στερησόμεθα καὶ ἑαυτοὺς, ὅσα πολεμίους βλάψομεν: *Romani nos honeſtiſſimas eas atque iuſtiſſimas credimus poſſeſſiones quas belli lege captas habemus, neque verò induci poſſumus, vt ſtulta facilitate deleamus virtutis monumenta, ſi eas illis reddamus quibus ſemel perierunt. Imo vero tales poſſeſſiones non tãtum cum his qui nunc viuunt ciuibus noſtris communicandas, ſed & poſteris relinquendas cenſemus: tantum abeſt vt parta relinquendo in nos ipſos ea conſtituamus quæ in hoſtes conſtitui ſolent.* & in reſponſo Romanorum Auruncis dato, ἡμεῖς οἱ ῥωμαῖοι δικαιοῦμεν ὅσα κτᾶται τις ἀρετῇ πολεμίους ἀφελόμενος ταῦτα τοῖς ἐγγόνοις ὡς οἰκεῖα παραδιδόναι: *nos Romani ita arbitramur, quæ quis hoſtibus erepta virtute quæſiuit, vt optimo iure propria ad poſteros tranſmitti.* Alibi in reſponſo ad Volſcos ſic Romani: ἡμεῖς δὲ κρατίστας ἡγούμεθα

Iud. XI. 23. 24. 27. I. Sam. XXX. 20. Lib. VI.

Lib. VIII.

κτήσεις

κτήσει· ἃς ἂν πολέμῳ κεκτήσαντες λάβωμεν· ἢ τοῦτο καταπαμύνειν μὲν τινὲς, ὅτι αὐτὸν ἀνθρώπων ἡγούμεν' εἶναι μᾶλλον ἢ ἐχι θεῶν, ἄπαιτά τε καὶ Ἕλλησι καὶ βαρβάροις εἰδότες ἀπροφασίστως ὑμῖν ἀνεξείημεν ὑμῖν μαλακὸν οὐδὲν, οὐδ' ἂν ἀποσαίνεσθαι τῶν ἀρίστων κτημάτων· πολὺ γὰρ ἂν εἴη κάκιστον, εἴ τις ἀμετὰ ἀρετῆς καὶ ἀνδρείας ἐκτήσατο, ταῦτα ὑπὸ δειλίας τε καὶ μαλακίας ἀφαιρεθείη: *Nos autem optimum iudicamus possessionis genus quod belli iure captum quæsitumq; est. Cumq; non à nobis hoc ius sit institutum, sed à Diis verius quam ab hominibus profectum, omniumq; gentium tam Græcarum quàm barbararum vsu probatum, nihil vobis per ignauiam concedemus, nec bello partis absistemus. Maximum enim id probrum foret quæ virtute ac fortitudine quæsita sunt ea per inertiam aut formidinem amittere.* Sic & in responso Samnitū: πολέμῳ κεκτησάντων ἡμῶν ὃ πέρ ἐστι νόμος κτήσεως δικαιότατος. *Cum armis hæc quæsierimus, quæ lex acquirendi iustissima est.* Hoc iure à Romanis retētam Syriam Appianus notat, nec redditam Antiocho Pio, cui eam eripuerat Tigranes hostis Romanorum; sed & eas Galliæ partes quas Gallis eripuerāt Cimbri. *In exc. legat.* *Mithrid. Cusil. 1.*

VIII. Grauior disputatio est, cui in bello publico ac solenni res hostium acquiratur ipsi ne populo, an singulis qui de populo aut in populo sunt. Valde enim hic variant recentiores iuris interpretes, quorum plerique cum in iure Romano legissent capta capientium fieri, in Canonum autem corpore distribui prædam publico arbitrio, alij post alios, vt fieri solet, dixerunt primo ac iure ipso fieri capta singulorum qui manu capiunt, attamen duci assignanda qui inter milites distribuat: quæ sententia cum recepta non minus quam falsa sit, hoc accuratius à nobis refutanda est, vt specimen sit quam parum tuto in hoc controuersiarum genere tali auctoritati credatur. Enimuero dubitandum non est quin gentium consensu vtrumuis potuerit constitui, aut vt capta populo bellum gerenti, aut *Bart. ad l. si quid bello. D. de capt. Alex. & Iason. l. 1. D. de acq. poss. Ang. Inst. de rer. d. nis. § Item quæ ex hostibus. Pan. ad c. sicut: de iureiur. n. 7. Th. Gram. decis. Neap. 71. num. 17. Mart. Laud. de bello q. 4.*

aut vt cuiuis qui manu caperet in dominiũ cederent. Sed quid voluerint quærimus, & dicimus gentibus placuisse vt res hostium hostibus essent non alio loco quam quo sunt res nullius, vt ex Neruæ filii dicto iam antea apertum fecimus.

IX. At res quæ nullius sunt fiunt quidem capientium, sed tam eorum qui per alios quam qui per se capiunt. Ita non serui tantum aut filii, sed & liberi homines qui in piscando, aucupando, venando, margaritas legendo operam suam addixerunt aliis, statim quod acceperunt acquirunt ipsis quibus operam nauant. Modestinus Iurisconsultus recte dixit: *quod naturaliter acquiritur, sicuti est possessio, per quemlibet volentibus nobis possidere acquirimus:* & Paulus receptis: *Possessionem acquirimus animo & corpore: animo vtique nostro: corpore vel nostro vel alieno.* Idem ad edictum: *Per procuratorem, tutorem curatoremve possessio nobis acquiritur*, quod explicat si id ea mente faciant vt operã nobis accommodent. Sic apud Græcos qui in Olympiis certabant præmia acquirebant iis à quibus mittebantur. Ratio est, quia naturaliter homo hominis alterius volens volentis instrumentũ est, vt & alibi diximus. Quare discrimen q̃ traditur inter liberas personas & seruiles circa acquisitiones, iuris est ciuilis & ad ciuiles acquisitiones proprie pertinet vt ex dicto Modestini loco apparet: & tamen has ipsas Seuerus Imperator postea ad naturalium exemplum admouit propius, non vtilitatis tantum, vt ipse profitetur ratione sed & iurisprudentiæ. Semoto ergo ciuili iure, locum habet quod dicitur per alium facere quem posse quod per se ipsum potest & perinde esse per se quis faciat an per alium.

L. ea quæ D. de acq. dom.

Lib. V. tit. 2. L. 1. § per procur. D. de acq. poss.

L. quæcunq; D. de oblig. l. stipulatio, §. alteri, de verb. signif. L. I. C. per quas pers. e. potest & c. qui facit. de Reg. iuris.

X. Distinguendum ergo in nostro negotio inter actus vere publicos belli & inter actus priuatos qui fiunt occasione belli publici: per hos actus priuatis res quæ-

quæritur primo ac directe: per illos actus populo. Ex hoc gentium iure Scipio agit cum Masinissa apud Liuium: *Syphax populi Romani auspiciis victus captusq; est. Itaq; ipse, coniux, regnum, ager, oppida, homines qui incolunt, quicquid deniq; Syphacis fuit, præda populi Romani est.* *Liu. XXX.*

XI. Res soli nisi publico actu, inducto exercitu, impositis præsidiis capi non solent: ideò vt respondit Pomponius, *publicatur ager, qui ex hostibus captus sit*: id est vt ibidem exponit *prædæ non cedit*; prædæ nomine strictè accepto. Salomo prætorii præfectus apud Procopiũ: ὡς τὰ μὲν ἀνδράποδα καὶ τὰ ἄλλα πάντα χρήματα τοῖς στρατιώταις εἰς λάφυρα ἰέναι οὐκ ἀπεικὸς εἶναι. Γῆν μὲν τοι αὐτὴν βασιλεῖ τε καὶ τῇ ῥωμαίων ἀρχῇ προσήκειν. *Captiuos sane & res alias militibus prædæ loco cedere ratione non caret:* (accipiendum hoc vt fiat publico concessu, quemadmodum infrà exponemus) *agros autem ad Principem & Imperium Romanum pertinere.* Sic apud Hebræos & Lacedæmonios ager manu captus sortito diuisus est. Sic Romani captos agros aut locandos retinuerunt, interdum modico veteri possessori honoris gratia relicto, aut distraxerunt, aut assignarunt colonis, aut fecerunt vectigales, quarum rerum passim in legibus, historiis & agrimensorum commentariis testimonia exstant. Appianus libro primo belli ciuilis, ῥωμαῖοι τὴν ἰταλίαν πολέμῳ χειρούμενοι γῆς μέρος ἐλάμβανον: *Romani cum Italiam armis subegissent victos parte agri mulctarunt.* & secundo libro: τῶν δὲ πολεμίων ὅτε κρατήσαιεν οὐδὲ τούτων ἅπασαν τὴν γῆν ἀπηροῦντο ἀλλ' ἐμερίζοντο. *Etiam victis hostibus terram non omnem adimebant, sed partiebantur.* *L. Luc. Titius. D. de euictionib. L. item si verb. §. 1. de rei vind.*

XII. At res mobiles & se mouentes aut in ministerio publico capiuntur, aut extra illud. Si extra ministerium publicum, fiunt singulorum capientium: Et huc referendum est Celsi illud: *quæ res hostiles apud nos sunt, nõ publicæ sed occupantium fiunt.* Quæ apud nos sunt, id est *L. transfugam. §. 1. D. de acquir. rer. dom.*

bello

bello orto apud nos deprehenduntur. Nam idem & in hominibus obseruabatur, quo tempore homines hac in parte rebus capris accensebantur. Insignis est in eam rem Tryphonini locus. *Verum in pace qui peruenerunt ad alteros, si bellum subito exarsisset, eorum serui efficiuntur apud quos iam hostes fato fato* (ita legendum non facto aut pacto vt habent libri) *deprehenduntur.* Fato hoc asscribit iurisconsultus, quia nullo suo merito in seruitutem deueniunt: nam talia fato asscribere tralatitium est. Tale illud Nævij: *Fato fiunt Romæ Metelli consules*, id est sine suo merito. Inde idem venit quod si quid milites capiunt non in procinctu aut in eo quod facere iubentur, sed in eo quod promiscuo iure aut solo permissu faciunt id statim sibi acquirunt: capiunt enim non vt ministri. Talia sunt spolia quæ detrahuntur hosti in dimicatione singularitalia etiam quæ procul ab exercitu (extra decem millia passuum dicebant Romani, vt mox videbimus) in liberis & iniussis excursibus capiunt quod genus prædæ Itali hodie corrariam vocant, & à butino distinguunt.

L. in bello D. de capt. & postl.

Salic. in l. ab hostibus, C. de cap. Thom. Grã. Decis. Neap. 71. n. 18.

XIII. Sed quod diximus iure gentium talia singulis directè acquiri intelligendum est vt id iuris gentium sit ante omnem ea de re legem ciuilem. nam populus quisque inter suos aliter potest constituere, & dominium singulorum anteuertere, sicut multis in locis de feris & auibus factum videmus. Sic enim introduci etiam lege potest vt quæ apud nos reperiuntur hostiũ res publicæ fiant.

XIV. At de his quæ quis actu bellico capit alia est ratio. Ibi enim singuli reipublicæ personam sustinent, eiusque vice funguntur, ac proinde per eas populus, si lex ciuilis aliud non statuat, vt possessionem ita & dominium nanciscitur, & id in quos vult transfert. Quod quia directè pugnat cũ vulgari opinione, probationes

bationes nobis video solito largius admetiẽdas ex nobilium populorum exemplis. Incipiam à Græcis, quorum morem Homerus non vno loco describit:

ἀλλὰ τὰ μὲν πολίων ἐξεπράθομεν, τὰ δέδασται.

Omnia iam diuisa quibus spoliauimus vrbes.

Apud eundem Poetam Achilles de vrbibus agẽs quas ipse expugnauerat,

τάων ἐκ πάσεων κειμήλια πολλὰ καὶ ἐσθλὰ
ἐξελόμην, καὶ πάντα φέρων ἀγαμέμνονι δόσκον
ἀτρείδῃ. ὁ δ' ὄπισθε μένων πρὰν νηυσὶ θόησι
δεξάμενος δὴ παῦρα δασάσκετο, πολλὰ δ' ἔχεσκε.

Omnibus his ingens pretio numeroque supellex
Nostra rapta manu: regi sed victor Atridæ
Cuncta tuli, celeres residens qui pone carinas,
Diuideret cum pauca aliis, sibi multa tenebat.

Spectandus enim hic Agamemnon, partim vt totius Græciæ eo tempore princeps, atque ita populi gerens vicem: quo iure ipse sed cum senatu prædam diuidebat: partim vt munere fungens imperatorio ac proinde de communi partem cæteris maiorem ferens. Eum ipsum Agamemnonem sic alloquitur idem Achilles:

οὐ γὰρ σοί ποτε ἶσον ἔχω γέρας, ὁππότ' ἀχαιοὶ
τρώων ἐκπέρσωσ' εὖ ναιόμενον πτολίεθρον:

Nam neque me tecum prædæ pars æqua sequetur,
Si Danaûm virtus Troianam euerterit vrbem.

Troia iam capta, Virgilio narrante,

Custodes lecti Phœnix & dirus Vlysses
Prædam asseruabant: huc vndique Troia gaza
Incensis erepta adytis, mensæque Deorum,
Crateresque auro solidi, captiuaque vestis
Congeritur.

Sic posterioribus temporibus prædam Marathoniam asseruat Aristides. Post prælium ad Platæas seuere edictum ne quis de præda priuatim quicquam tolleret: *Plut. Aristide. Herod. lib. IX.*

deinde

deinde præda pro populorũ meritis distributa. Athenis postea deuictis in publicum relata à Lysandro pręda. Si ad Asiam venimus, Troiani soliti, vt docet nos Virgilius, *prædæ ducere sortem*, vt in rebus communibus diuidendis fieri solet. Alias arbitrium eius diuidendæ penes imperatorem, quo iure Hector Doloni id expresse stipulanti promittit equos Achillis, vt intelligas ius acquirendi dominii in captura sola non fuisse. Ad Cyrum Asiæ victorem, nec minus ad Alexandrum postea, perlata præda. Si Africam respicimus, idem mos occurrit. Sic quæ Agrigenti capta, quæque in pugna Cannensi & alibi, Carthaginem missa. Apud Francos veteres, vt ex Gregorii Turonensis historia apparet, quæ capta erant sorte diuidebantur: neque rex ipse aliud habebat de præda quam quod sors ipsi addixisset. Sed quanto re militari Romani cæteris pręstiterunt, tanto sunt digniores quorum exemplis immoremur. Dionysius Halicarnassensis morum Romanorum diligentissimus obseruator ita nos hac de re edocet: τὰ ἐκ τῶν πολεμίων λάφυρα, ὅσον ἂν ἡμῖν ὑπαρχῇ τυχεῖν δι' ἀρετὴν, δημόσια εἶναι κελεύει ὁ νόμος, καὶ τοῦτο οὐχ ὅπως τις ἰδιώτης γίνεται κύριος, ἀλλ' οὐδὲ αὐτὸς ὁ τῆς δυνάμεως ἡγεμών. ὁ δὲ ταμίας αὐτὰ παραλαβὼν ἀπεμπολεῖ καὶ εἰς δημόσιον ἀναφέρει: *Quæcunque ex hostibus per virtutem capta sunt, ea lex iubet publica esse, ita vt non modo priuati eorum domini non fiant, sed ne ipse quidem imperator exercitus. verum quæstor illa accipit & vendita in publicum refert*. Verba hæc sunt eorum qui Coriolanum incusant, nonnihil ad inuidiam composita.

Plut. Lysandro.

Homer. Il. X.

Eurip. Rheso.

Plin. lib. XXIII. c. 3.

Plut. Alex.

Curtius.

Diod. lib. XVII. Strabo lib. XV.

Diod. lib. XIII. Liu. libr. XXIII.

Greg. Tur. lib. II. c. 17.

XV. Nam populum dominum esse prædæ verum erat: sed illud non minus verum eius dispensandæ arbitrium imperatoribus libera republica permissum fuisse, sed tale vt actus sui rationem populo deberent. L. Æmilius apud Liuium: *captas non deditas diripi vrbes, &*

ro XXVII.

in his

in his tamen arbitrium esse imperatoris non militum. Sed hoc arbitrium quod mos deferebat imperatoribus ipsi interdum, quo longius ab omni suspicione essent, reiiciebant ad Senatum vt Camillus: & qui retinebant prout religioni, famæ, ambitioni seruiebant diuerso modo vsi reperiuntur. *Liu. libe V.*

XVI. Qui sanctissimi esse aut credi volebant, prædam non attingebant omnino, sed siue pecunia erat in præda, eam iubebant à quæstore populi Romani percipi, siue res aliæ, eas per quæstorem sub hasta venumdari: vnde redactam pecuniam manubiarum nomine significatam Fauorinus apud Gellium sensit. Hæc pecunia per quæstorem in ærarium deferebatur, prius tamen, si res triumphi esset, ostentata publicè. Ita fecit Pompeius de quo hæc sunt Velleii verba: *Pecunia Tigranis, sicut Pompeio moris erat, redacta in quæstoris potestatem ac publicis descripta literis.* Ita & M. Tullius qui sic de se ipse in literis ad Sallustium. *De præda mea præter quæstores vrbanos, id est populum Romanum, teruntium nec attigit: nec tactum est quisquam.* Atque id antiquis & melioribus temporibus fuit maxime vsitatum, quo Plautus respiciens sic ait: *Lib. XIII. c. 23.* *Lib. II.* *Lib. II. Epist. 17.*

Nunc hanc prædam omnem iam ad quæstorem deferam.

Et de hominibus captiuis similiter:

——*quos emi de præda de quæstoribus.*

Sed alii sine quæstore ipsi prædam vendebant & referebant in ærarium, quod & ex Halicarnassensi sequentibus verbis colligere est. Sic à Tarquinio rege iam olim victis Sabinis prædam & captiuos Romam missos legimus. Sic Romulius & Veturius consules narrantur prædam vendidisse ob ærarii penuriam ægre id ferente exercitu. Sed cum passim id occurrat, quantum ducum quisque ex triumphis Italicis, Africanis, Asiaticis, Gallicis, Hispanicis in ærarium per se aut *Liu. lib. I.* *Liu. lib. III.*

quæstorem retulerit, exempla congerere nihil est opus. Illud magis notandum datam prædam aut eius partem interdum diis, interdum militibus, interdum & aliis. Diis aut res ipsæ datæ vt spolia quæ Romulus Ioui Feretrio suspendit, aut redacta inde pecunia, vt ex Pometinis manubiis Superbus templum Iouis in monte Tarpeio statuit.

Dion. Halic. lib. II.
Liu. lib. 1.

XVII. Militibus prædam dare priscis Romanis ambitiosum videbatur: vti Sextus Tarquinii Superbi filius, sed Gabiis profugus, prædam militi dilargitus dicitur, vt eo modo potentiam sibi conciliaret. Appius Claudius in senatu similem largitionem arguit vt nouam, prodigam, inconsultam. Præda autem militi cõcessa aut diuiditur, aut diripitur. Diuidi potest aut ratione stipendiorum, aut ratione meritorum. Stipendiorum ratione diuidi prædam Appius Claudius volebat, si illud obtinere non posset vt redacta inde pecunia in ærarium deferretur. Totum autem diuidendi ordinem accuratè explicat Polybius: nempe in dies aut vigilias partem exercitus alteram aut minorem ad comportandam prædam mitti solitam: & quod quisque reperisset id iussum in castra perferre, vt per tribunos æqualiter diuideretur, vocatis ad partem etiam his qui castra seruarant (quod & apud Hebræos regi Dauidi placuisse, & inde in legem transiisse legimus,) quique per valetudinem aut delegata ministeria aberant. Interdum non ipsa præda, sed redacta inde pecunia prædæ loco militibus donata, quod sæpè in triumpho fiebat. Proportionem hanc inuenio, simplex pediti, duplex centurioni, triplex equiti datam. Interdum simplex pediti, equiti duplex. Alias simplex pediti, duplex centurioni, tribuno & equiti quadruplex. Meritorum etiam sæpè habita ratio, sicut Marcius quod fortiter fecisset ex præda Coriolana donatus est à Postu-

Liu. d. lib.
Liu. lib. V.
Dicto loco.
Lib. X.
1. Sam. XXX. 24.
Liu. lib. XLV.
Ibid.
Ibid.
Suet. Cæsc. 38. & App. 11. Ciuil.
Liu. d. lib.

à Postumio. Vtrouis modo fieret diuisio licebat imperatori, ἐξαίρετον, hoc est præcipuum sibi accipere quantum vellet; id est quantum æquum arbitraretur: quod & aliis interdum virtutis ergo concessum. Euripides Troadibus de nobilioribus feminis Troianis agens, ait:

τοῖς πρώτοισιν ἐξηρημέναι στρατοῦ
——— *quæ principibus eximiæ datæ*
Erant Achiuis.

Et de Andromacha:

καὶ τὴν δ' Ἀχιλλέως ἔλαχε παῖς ἐξαίρετον:
Accepit illam Pyrrhus eximiam sibi.

Ascanius de equo apud Virgilium:

Ipsum illum, clypeum cristasq; rubentes
Excipiam sorti.

Sic Ocrisiam Corniculanam præcipuam accepit rex Tullius. Fabricius apud Halicarnassensem in oratione ad Pyrrhum: ἐκείνων δορυκτήτων ἐξὸν μοι λαβεῖν ὁπόσα βουλοίμην; *ex his quæ bello erant capta, licebat mihi quantum vellem excipere.* Isidorus huc respiciens vbi de iure agit militari: *Prædæ*, ait, *decisio & pro personarum qualitatibus ac laboribus iusta diuisio, ac principis portio.* Tarquinius Superbus, vt apud Liuium est, & ipse ditari volebat, & delinire præda populariũ animos. Seruilius in oratione pro L. Paulo ait eum præda partienda locupletem se facere potuisse. Et hanc imperatoris portionem sunt qui potius significatam volunt manubiarum nomine, quos interest Asconius Pedianus. Sed laudatiores illi qui ius suum remittentes nihil sibi de præda ceperunt, qualis is quem dixi Fabricius, τὸν ἐκ δικαίου πλοῦτον ὑπεριδὼν ἕνεκα δόξης, *etiam iuste partas diuitias præ gloria cõtemnens:* quod ipse se facere aiebat Valerii Publicolę & aliorum paucorum exemplo: quos M. Porcius Cato imitatus est in Hispaniensi victoria, negans quicquã ad se peruentu-

Lib. IV.
Lib. I.
Liu. lib. XLV.
II. Verr.
Plut. M. Catone.

rum è bello captis, præter ea quæ in cibo ac potu insumsisset: addens tamen non à se culpari imperatores qui concessas vtilitates sumerent, sed malle se de virtute cum optimis, quam de pecunia cum ditissimis certare. Proximè ad hanc laudem accedunt qui prædam modicè delibarunt, vt Pompeius apud Lucanum à Catone laudatur qui

——plura retentis
Intulit.——

Liu. lib IV. Idem lib. III.

in diuisione interdum & absentium habita ratio, vt capto Anxure constituit Fabius Ambustus: interdum ob causam quorundam quamuis præsentium non habita vt Minutiani exercitus dictatore Cincinnato. Quod autem ius vetere republica imperatores habuerant, id post occupatam rempublicam ad magistros militum translatum ex Codice Iustinianeo apparet, vbi à gestorum insinuatione absoluuntur donationes rerum mobilium vel se mouentium, quas magistri militum militibus præstant ex spoliis hostium, siue in ipsa bellorum occupatione siue in quibuscunque locis degere noscerentur. Sed hæc diuisio iam olim sæpè in calumniam patuit, quasi duces ea ratione priuatam gratiam captarent, quo nomine accusati Seruilius, Coriolanus, Camillus quasi amicis & clientibus de publico largientes. Ipsi contra se tuebantur publico bono ἵνα οἱ σωφρόνως πρὸς ἔργου τὴν τῶν πόνων καρπὸν κομισάμενοι προθύμως ὅτι τὰς ἄλλας στρατιὰς ἀπαντήσοιν, *vt qui operi adfuerant, fructu laboris percepto ad alias expeditiones fierent promtiores.* quæ Halicarnassensis in hanc rem verba sunt.

L. Si quis in redemt. §. simili etiam modo C. de donat Dion. lib. VI & VII. Liu. lib. V.

Dion. Halic. lubr. VII.

XVIII. Venio ad direptionem. ea militi concessa aut in populatione aut post prælium oppidive expugnationem vt signo dato discurreretur: quod antiquis sæculis rarius, nec tamen exemplis caruit. Nam Suessam

Dionys. lib. IV.

sam Tarquinius militi diripiendam dedit: Castra Æquorum Q. Seruilius Dictator: Veios vrbem Camillus: castra Volscorum consul Seruilius. Permisit & direptionem L. Valerius in agro Æquorum, Q. Fabius fusis Volscis, captaque Ecetra, mox alii sæpè. Victo Perseo Paulus Consul spolia iacentis exercitus peditibus, equitibus prædam circumiacentis agri concessit. Lucullus victo Tigrane militem à spoliis legendis diu inhibuit, mox certa iam victoria ius spoliandi hostes indulsit. Qui morem hunc improbant, aiunt auidas in direptiones manus præripere fortium bellatorum præmia, cum ita ferme eueniat, vt qui segnior sit prædetur, at fortissimus quisque laboris periculique præcipuam partem petere soleat, quæ sunt verba Appii apud Liuium. Sed contra dicitur, gratius id fore lætiusque quod sua quisque manu ex hoste captum domum retulisset, quam si multiplex accepisset alterius arbitrio. Interdum quoque concessa direptio quod impediri non posset. In expugnatione Cortuosæ Hetruscorum oppidi, narrante Liuio, *publicari prædam tribunis placebat, sed imperium quam consilium segnius fuit. iam militum præda erat, nec nisi per inuidiam adimi poterat.* Sic & Gallogræcorum castra à C. Heluii agmine direpta legimus contra ducis voluntatem.

Liu. lib. IV. *Dionys. lib. IV. VI. IX.* *App. Mithr.* *Lib. VI.* *Ibid.* *Lib. VI.* *Liu. lib. XXXVIII.*

XIX. Quod dixi aliis interdum extra milites prædam aut pecuniam è præda redactam concedi solere, id fermè ita contigit vt his qui tributum ad bellū contulerant tantundem redderetur. Ludos quoq; ex manubiis interdum instructos notes.

Dion. Halic. lib. V.

XX. Neque verò diuersis tantum bellis aliter atq; aliter vsurpatum, sed eodem bello eadem præda sæpè in vsus diuersos impensa aut partibus diuisis aut rerū generibus distinctis. Sic Camillus decimam ex præda Apollini Pythio dedit Græcorum exemplo, sed

Liu. lib. V.

quod primitus ab Hebræis venerat: Quo tempore sub decima prædæ vota non res mouentes tantum sed & vrbem & agros venire à pontificibus iudicatum est. Eodem victore prædæ de Falisci pars maxima ad quæstorem redacta est, haud ita multum militi datum.

Ibid. Lib. XXXVIII. Sic & L. Manlius *prædam aut vendidit quod eius in publicum redigendum erat, aut cum cura vt quam æquissima esset per milites diuisit.* quæ Liuij verba sunt. Genera in quæ præda diuidi potest sunt hæc: homines captiui, armenta & greges, quæ Græci, cum propriè loquuntur λείαν vocant, pecunia, res mobiles aliæ pretiosæ aut viliores.

Dionys. lib. VIII. Q. Fabius Volscis deuictis λείαν & spolia per quæstorem vendi iubet: argentum ipse defert. Idem Volscis & Æquis deuictis captiuos extra Tusculanos militi donat, & in agro Ecetrano homines ac pecora diripienda concedit. L. Cornelius Antio capto aurum, argentum, æs in ærarium defert: captiuos & prædam per quæstorem vendit: militi ea permittit, quæ ad victum & vestem pertinebant. Nec dissimile huic Cincinnati institutum, qui Corbione Æquorum oppido accepto pretiosiora prædæ Romam misit: cætera centuriatim diuisit. Camillus captis Veijs præter pecuniam ex venditione captiuorum nihil in publicum redegit. Hetruscis deuictis, captiuisque venditis ex ea pecunia aurum matronis quod contulerant persoluit, pateras tres aureas in Capitolio posuit. Cosso Dictatore, ex Volscis præda omnis præter libera corpora militi concessa est. Fabricius superatis Lucanis, Brutiis, Samnitibus militem ditauit, tributa ciuibus reddidit, quadringenta talenta in ærarium retulit. Q. Fuluius & Appius Claudius cum Hannonis capta essent castra, prædam vendiderunt, diuiseruntque, donatis quorum opera fuerat singularis. Scipio capta Carthagine quæ in vrbe erant dedit diripienda militi, excepto

Idem lib. X. Ibid. *Liu. lib. X.* *Liu. lib. V.* *Dionys. fragm. Lib. VI.* *Liu. liu. XXXVII.* *Liu. lib. XXV.*

excepto auro, argento donariis. Acilius capta Lamia partim diuisit, partim vendidit prædam. Cn. Manlius victis Gallogræcis, concrematis ex Romana superstitione hostium armis, cæteram prædam cōferre omnes iussit, & aut vendidit, quod eius in publicum redigendum erat, aut cum curâ, vt quam æquissima esset, in milites diuisit. App. Pun. Liu. lib. XXXVII. Idem lib. XXXVIII.

XXI. Ex his quæ diximus apparet, non minus apud Romanos quam apud alias gentes pleraſque prædam fuisse populi Romani, sed eius dispensandæ arbitrium aliquod imperatoribus concessum, ita tamen vt quod ante diximus, rationem actus sui populo deberent, quod inter alia docet exemplum L. Scipionis, qui damnatus est peculatus iudicio vt loquitur Valerius Maximus, quadringenta octoginta argenti plus accepisse quam in ærarium retulisset: & aliorum quos ante retulimus. M. Cato in oratione quam de præda scripsit, vehementibus atque illustribus verbis, vt ait Gellius, de impunitate peculatus atque licentiæ conquestus est: ex qua oratione hoc exstat fragmentum: *Fures priuatorum furtorum in nexo atque compedibus ætatem agunt. Fures publici in auro atque purpura.* Idem alibi dixerat, *miran se audere quenquam capta bello signa pro supellectile domi statuere.* Ita & Verri peculatus inuidiam auget Cicero, quod signum sustulisset & quidem captum de præda hostium. Nec imperatores tantum, sed & milites peculatus prædæ nomine tenebantur, si nempè eam in publicum non detulissent: adigebantur enim omnes sacramento, vt ait Polybius, περὶ τοῦ μηδένα νοσφίζεσθαι μηδὲν ἀπὸ τῆς διαρπαγῆς, ἀλλὰ τηρεῖν τὴν πίστιν κατὰ τὸν ὅρκον: *nihil quenquam expræda interuersurum, sed fidem seruaturos ex religione sacramenti.* Quo fortè referri potest formula iurisiurandi apud Gellium, qua militi imperatur nequid tollat in exercitu decemque millia passuum propè, Lib. V. c. 3. & Liu. lib. XLV. Lib. II. c. 18. Prisc. lib. VII. Verr. VI. Lib. XVI. c. 4.

quod pluris sit nummi argentei, aut si sustulerit ad Consulem proferat, aut triduo proximo profiteatur. Hinc intelligi potest quid sit quod Modestinus dicit, *Is qui prædam ab hostibus surripuit peculatus tenetur:* quod vel vnum satis esse debuit vt iuris interpretes moneret ne ex hostibus capta singulis acquiri crederent, cum constet peculatum non esse nisi in re publica, sacra aut religiosa. Hæc omnia eo pertinent vt appareat, quod supra diximus, semota lege ciuili & primo, in bellicis actibus capta populi aut regis bellum gerentis fieri.

L. penult. ad l. Iul. pecul.

L. 1. eod. tit.

XXII. Addidimus semota lege ciuili & primo siue directe; illud quia de rebus non dum actu quæsitis lex ad vtilitatem publicam potest imperare, siue lex illa lex populi est vt apud Romanos, siue regis vt apud Hebræos & alibi. Sub legis autem nomine etiam consuetudinem recte introductam volumus comprehendi. Alterum illud eo pertinet, vt sciamus sicut res alias ita & prædam posse à populo aliis concedi, nec tantum post acquisitionem, sed & ante eam, ita vt subsecuta captura coniungantur actiones breui manu vt loquuntur Iurisconsulti: nec tantum ea concessio nominatim fieri potest, sed & in genere vt viduis senibus & egentibus pupillis pars prædæ data est temporibus Maccabaïcis, aut etiam personis incertis ad exemplum missilium quæ Romani Consules capientium faciebant. Neque vero hæc iuris translatio quæ lege aut cõcessu fit semper mera donatio est, sed interdum contractus, interdum aut solutio eius quod debetur, aut renumeratio, ob damna quę quis passus est, aut ob id quod ipse bello impendit, siue sumptu siue opera, vt cum socii aut subditi nullo stipendio militant, aut non tali quod operæ respondeat. Nam ex his causis prædam aut omnem aut eius partem concedi solitam videmus.

II. Mac. VIII. 28. 30.

XXIII. Et

XXIII. Et illud quidem tacita consuetudine vbique ferme inductum Iurisconsulti nostri notant, vt sua faciant quæ capiunt aut socii aut subditi qui sine stipendio & suo sumtu suoque periculo bellum gerunt. Ratio in sociis est euidens, quia naturaliter socius socio tenetur ad reparationem damnorum quæ ob negotium commune aut publicum eueniũt. Addę quod opera quoque gratis præstari vix solet. *Sic medicis*, ait Seneca, *pretium operæ solui, quod deseruiunt, quod à rebus suis auocati nobis vacant.* In oratoribus idem æquum iudicat Quintilianus, quia hæc ipsa opera tempusque omne alienis negotiis datum facultatem aliter acquirendi recidunt. Credibilę ergo est, nisi causa alia appareat, puta aut beneficentia mera aut cõtractus antecedens, spem ex hostibus lucrandi spectatam in damni & operæ compensationem.

Caldę cons. 85. Iob. Lupus de bello, § si bene aduertas. Iaſ. in l. quod apud hoſtes: de Legatis 1. Franc. à Ripa in l. 1. de acq poſſ. n. 5. Conar. ad c. peccatum. p. 2. §. 11. Bonfin. lib. IV. dec. 5. vt. de Benef. 15.

XXIV. In subditis id non æque euidenter procedit: quia hi operam ciuitati suæ debent: sed contra occurrit quod vbi non omnes sed aliqui militant, his ipsis à corpore ciuitatis retributio debetur eius quod plus cæteris operę aut sumptus impendunt, multoque magis damnorum, in cuius retributionis certæ locum spes prædæ totius aut partis incertæ facile, nec sine ratione conceditur. Sic Poëta

Prop.

Prædia sit hæc illis quorum meruere labores.

De sociis exemplum est in fedęre Romano quo Latini in prædæ partem æquam admittuntur in iis bellis quæ populi Romani auspiciis gerebantur. Sic in bello quod Ætoli gerebant adiutoribus Romanis, Ætolis quidem vrbes & agri, Romanis autem captiui & res mobiles cedebant. Ambrosius historiam tractans Abrahami moris huius æquitatem ostendit: *Sane his qui secum fuissent in adiumentum fortasse sociati, partem emolumenti tribuendã asserit, tanquã mercedem laboris.* De subditis

Liu. lib. IV. & XXIV. Dionyſ. lib. VI. Polyb. lib. XI. Liu. lib. XXXIII. Lib. 1. de Abrah. c. 3.

Num. XXII. 27.47. 1. Sam. XXX.22.& deinceps. 11. Macc. VIII.28.30.

exemplum est in populo Hebræo apud quem pars prædæ dimidia cedebat his qui in procinctu fuerant. Sic & Alexandri miles prædam priuatis ereptam suam faciebat, nisi quod eximia quædam solitus esset ad regem referre: vnde accusatos eos videmus qui ad Arbela conspirasse dicebantur de præda omni ita sibi vindicanda, vt nihil in ærarium deferrent. At quæ publica hostium aut regis fuerant exemta erant huic licentiæ. Ita legimus Macedonas cum Darii castra ad Piramum amnem irrupissent ingens auri argentique pondus diripuisse, nec quicquam reliquisse intactum, præter regis tabernaculum: *tradito more*, inquit Curtius, *vt victorem victi regis tabernaculo exciperent*: vnde non

Plut. Apoph.

II. Sam. XII.30.

abit mos Hebræorum qui victi regis coronam regi imponebant victori: & quod in rebus gestis Caroli magni legimus cum is Hungaros vicisset priuatas opes militi regias ærario cessisse. At apud Græcos quos alii quidam populi imitantur λαφυρα erant publica vt ante ostendimus, σκυλα singulorum. Vocant autē σκυλα ea qua durante certamine eripiūtur hosti, λαφυρα quæ post certamen: quod discrimen & aliis gentibus nonnullis placuit. At apud Romanos veteri quidem republica non tantum fuisse concessum militibus satis apparet ex his quæ supra diximus. Plusculum indulgeri cœpit militi in bellis ciuilibus. Ita à Sullano milite Æquulanum direptum legas. Et Cæsar post pugnam Pharsalicam castra Pompeiana militi dat diripienda cum hoc dicto apud Lucanum,

Arius de bello nu 162 Bellin p.2. tit.18.n.3. Donell.lib. IV.Com. c.21.Silu.in verbo Bellum 1. in pr. ex Rosell. Wesemb. ad §. item ex Inst. de rer.diuis. App.ciuil.1 Lib.VII.

——*supereſt pro ſanguine merces*
Quam monſtrare meum eſt, nec enim donare vocabo
Quod ſibi quiſque dabit.

App. ciuil. IV.

Bruti & Cassii castra diripuerunt Octauiani & Antoniani milites. Bello ciuili alio Flauiani ad Cremonam ducti, quāquam instabat nox, coloniam diuitem festinant

nant impetu capere; veriti alioqui ne opes Cremonẽsium in sinu præfectorum legatorumque essent, gnari scilicet, vt Tacitus loquitur, *expugnatæ vrbis prædam ad militem, deditæ ad ducem pertinere.* Atque id langvescente disciplina eo libentius concessum militi ne manente periculo omissis hostibus præda manus impediret, quod plurimas sæpe victorias corrupit. Cum castellũ Volandum in Armenia Corbulo expugnasset: *Imbelle vulgus*, narrante Tacito, *sub corona venditum, reliqua præda victoribus cessit.* Apud eundem scriptorem in prælio Britannico Suetonius suos hortatur vt cædem continuent, prædæ immemores: addens parta victoria cuncta ipsis cessura: qualia & alibi passim inuenias. Adde quod ex Procopio iam modo attulimus. Sunt autem quædam tam exigua vt publicari digna non sint. Hæc vbique solent capientes sequi populi concessu. Talia erant vetere Romana republica, hasta, hastile, ligna, pabulum, vter, follis, facula & si quid minoris esset nũmi argentei. Nam has exceptiones sacramento militari additas apud Gellium legimus. Cui non dissimile est quod nautis etiam stipendio militantibus conceditur: Galli despoliationem aut pilagium vocant & eo comprehendunt vestem, aurum quoque & argentum intra decem scutatos. Alibi pars aliquota prædæ militibus datur, vt in Hispania modo quinta, modo tertia, alias dimidia penes regem manet: & septima, interdum decima penes ducem exercitus: cætera sunt capientium exceptis nauibus bellicis quæ totæ regi cedunt. Est & vbi operæ periculi sumtuumque habita ratione partitio instituitur, vt apud Italos captæ nauis pars tertia cedit domino nauis victricis, tantundem ferunt quorum merces in naui erant, tantundem hi qui pugnauerunt. Nec non & illud accidit vt qui suo periculo ac sumtu bellum ministrant non totam

Tac. hist. III.

Tac. Ann. XIII.

Ann. XIV.

Lib. XVI. cap. IV.

Const. Gall. lib. XX. tit. XIII. art. 10. & 16.

Leg. Hisp. lib. IV. tit. XXVI. p. 2.

Consulatus Mauis C. CCLxxxv.

totam prædam auferant sed partẽ debeant publico aut ei qui ex publico ius suum trahit. Sic apud Hispanos si in bello naues priuatis sumtibus instruantur, de præda pars regi, pars & maris præfecto debetur. Galliæ moribus decimam fert maris præfectus: sic & apud Hollandos: sed hic quinta prius prædę pars à republica deducitur.

Lib. XIX. tit. XXVI. p. 2. l. 14. Const. Gall. lib. XX. tit. 24. art. 1. instruct. rei marit. 6. XXII.

XXV. Hæc autem eo pertinent vt sciamus si apud populum bello non permixtum controuersia oriatur de re bello capta, addicendam rem ei cui fauent leges aut mores populi à cuius partibus res capta est: quod si eius nihil probetur, ex iure gentium communi rem ipsi populo adiudicandam, si modo ea res in actu bellico capta est.

XXVI. Quæ vero res hostium non sunt, etsi apud hostes reperiantur, capientium non fiunt: id enim nec naturali iuri congruit, nec iure gentium introductum est. Sic Romani Prusiæ dicunt: *Si is ager Antiochi non fuisset, eo ne populi quidem Romani factũ apparere.* Si quod tamen in illis rebus ius habuit hostis quod possessioni connectatur, puta pignoris, retentionis, seruitutis, id quominus capientibus acquiratur nihil obstat. Solet & hoc quæri, an extra territorium vtriusque partis bellum gerentis capta fiant capientium: quod & de rebus & de personis solet in controuersiam vocari. Si ius solum gentium respicimus, puto locum hic non considerari, sicut & hostem vbique recte interfici diximus. Sed qui in eo loco imperium habet potest lege sua prohibere ne id fiat, & si contra legem factum sit, de eo tanquam de delicto poscere potest vt sibi satisfiat. Simile est quod in agro alieno capta fera dicitur capientium fieri, sed à domino agri prohiberi posse accessum.

Liu. lib. IV.

L. quod enim D. de acq. rer. dõ.

XXVII. Ius autem hoc externũ acquirendi res bello captas

captas ita proprium est belli solennis ex iure gentium, vt in aliis bellis locum non habeat. nam in bellis alijs inter exteros res non acquiritur in belli sed in compensationem debiti quod aliter obtineri non potest: In bellis autem inter ciues siue magna ea siue parua sint, nulla fit dominij mutatio nisi auctoritate iudicis.

L. Diuus Pius D. de seruit. præd. rust.

Silu. in verb. bellū, p. 1. §. 3. & §. 11. vers. ectano.

CAP. VII. Referri iure m. meretur Cap. XIV. h. Lib.

De iure in captiuos.

I. *Omnes captos bello solenni iure gentium seruos fieri.*
II. *Et eorum posteros.*
III. *In eos quiduis impune fieri.*
IV. *Res captorum, etiam incorporales, dominum sequi.*
V. *Causæ cur id constitutum.*
VI. *An ita captis licitum sit fugere:*
VII. *An & domino resistere.*
VIII. *Ius hoc non apud omnes gentes semper obtinuisse:*
IX. *Nec nunc obtinere inter Christianos & quid ei sit surrogatum.*

I. SERVI natura quidem, id est citra factum humanum aut primęuo naturæ statu, hominū nulli sunt, vt & alibi diximus: quo sensu recte accipi potest quod à Iurisconsultis dictum est contra naturam esse hanc seruitutem: vt tamen facto hominis, id est pactione aut delicto seruitus originem acciperet, iustitiæ naturali non repugnat, vt alibi quoque ostendimus. At eo de quo nunc agimus gentium iure aliquanto latius patet seruitus, tum quoad personas tum quoad effecta. Nam personas si spectamus, non soli qui se dedunt

L. libertus. §. I. D. de statu hominum.

dedunt aut seruitutem promittunt pro seruis habentur, sed omnes omnino bello solenni publico capti, ex quo scilicet intra præsidia perducti sunt: vt ait Pomponius. Neque delictum requiritur; sed par omnium sors est etiam eorum qui fato suo, vt diximus; cum bellum repentè exortum esset intra hostium fines deprehenduntur. Polybius historiarum secundo: τί δ' ἂν παθόντες οὗτοι δίκην δόξαιεν ἁρμόζουσαν δεδωκέναι? τυχὸν ἴσως εἴποιτις ἂν πραθέντες μετὰ τέκνων καὶ γυναικῶν ἐπεὶ κατεπολεμήθησαν. ἀλλὰ τοῦτό γε καὶ τοῖς μηδὲν ἀσεβὲς ἐπιτελεσαμένοις κατὰ τοὺς τοῦ πολέμου νόμους ὑπόκειται παθεῖν. *Quid*, inquit, *patiendum his est, vt iusta supplicia pendant? Dicat fortè aliquis vendendos cum liberis & vxoribus quando armis victi sunt. At hæc belli lege etiam illis ferenda sunt qui nihil impii commiserunt.* Atque eo fit id quod Philo notat his verbis: πολλοὶ πολλάκις καιροῖς ἀβουλήτοις τῶν σφόδρ' ἀστείων τὴν ἐκ γένους ἀπέβαλον ἐλευθερίαν: *Multi viri boni variis casibus natiuam amiserunt libertatem.*

L. postliminii §. 1. D. de captiuis.

L. in bello, D. de capt.

Libro: omnē virum bonū esse liberum.

II. Neque verò ipsi tantum serui fiunt, sed & posteri in perpetuum, nempe qui ex matre serua post seruitutem nascuntur. Et hoc est quod iure gentium seruos nostros fieri dixit Martianus, qui ex ancillis nostris nascuntur. Seruitio subiectum vterum dixit Tacitus, agens de Germani ducis vxore.

L. & seruorum. § 1. D. de statu hominum. Ann. 1.

III. Effecta verò iuris huius infinita sunt, ita vt in seruum domino nihil non licere dixerit pater Seneca. Nulla perpessio est quæ non impunè illis imponatur; nulla actio quæ non quouis modo imperetur aut extorqueatur: ita vt etiam sæuitia dominorum in seruiles personas impunita sit, nisi quatenus lex ciuilis sæuitiæ modum pœnamq; ponit. *Apud omnes peræquè gentes*, ait Caius, *animaduertere possumus dominis in seruos vitæ necisq; potestatem fuisse.* Addit deinde fines huic potestati positos ex lege Romana in solo scilicet Romano.

X. Contr. 5.

L. 1. D. de his qui sui sunt iuris. Inst. de his qui sui vel al. iuris sunt.

Huc

Huc pertinet illud Donati ad Terentium. *Quid non iustum domino in seruum?* Sed & res omnes quæ captæ fuerant cum persona acquirũtur domino. Ipse seruus qui in potestate alterius est ait Iustinianus, nihil suum potest habere. *Andria actu 1. scen. 1.* *Inst. per quas pers. cuique acq. §. item vobis.*

IV. Vnde refellitur aut certè restringitur eorum sententia qui dicunt incorporalia belli iure non acquiri. Nam verum est non primo ac per se acquiri, sed media persona cuius ea fuerunt. Excipienda tamen sunt ea quæ ex singulari personæ proprietate fluunt ac proinde inalienabilia sunt vt ius patrium. Hęc enim si manere possunt manent penes personam: si non, extinguuntur.

V. Atque hæc omnia iure gentium de quo agimus non aliam ob causam introducta sunt quam vt tot commodis deliniti captores libenter abstinerent à summo illo rigore, quo captos & statim & post moram interficere poterant, vt ante diximus. *Seruorum appellatio,* inquit Pomponius, *ex eo fluxit, quod imperatores captiuos vendere ac per hoc seruare nec occidere solent.* Dixi vt libenter abstinerent: neq; enim quasi pactio est vt abstinere cogãtur, si ius hoc gentium spectes, sed modus persuadendi ab eo quod est vtilius. Eademque ex causa hoc ius etiam in alios transscribitur, perinde vt rerũ dominium. Ad natos autem dominium hoc porrigi ideo placuit, quia alioqui si summo iure captores vtentur illi ipsi nascituri non erant: Cui consequens est vt nati ante calamitatem, nisi ipsi capiantur, serui non fiant. Ideo autem natos maternæ esse conditionis placuit gentibus, quia seruiles concubitus nec lege nec certa custodia erant constricti, ita vt nulla sufficiens præsumtio patrem indicaret. Atque ita capiendum Vlpiani illud, *Lex naturæ hæc est vt qui nascitur sine legitimo matrimonio matrẽ sequatur,* id est lex consuetudinis *L. Pupillus, D. de V. S.* *L. lex naturæ, D. de statu hominũ.*

genera-

generalis ab aliqua ducta ratione naturali, quomodo iuris naturalis vocem abusione quadam interdum sumi alibi quoque demonstrauimus. Non frustra autem à gentibus introducta hæc iura exemplo bellorum ciuilium intelligi potest, in quibus plerumque videmus captos interfectos quia in seruitutem redigi non poterant. Cæterum populine an singulorum fiant qui capiuntur, ex his quæ de præda diximus definiendum est. nam homines hac in re ius gentium rebus æquauit. Caius Iurisconsultus libro 11. rerum quotidianarum: *Item quæ ex hostibus capiuntur iure gentium statim capientium fiunt, adeo quidem vt & liberi homines in seruitutem deducantur.*

L. naturalem & l. adeo: D. de acq. rer. dom.

VI. Quod tamen Theologi nonnulli sentiunt, qui bello iniusto capti sunt, aut ex captis nati, ijs fas non esse fugere nisi ad suos; in eo eos falli non dubito. Id quidem interest, quod si ad suos fugiant bello manente libertatem consequuntur ex postliminij iure: si ad alios aut etiam pace facta ad suos, vindicanti domino reddendi sunt. Sed non ideo sequitur animo quoque inijci religionis vinculum: cum multa sint iura quæ tantum exterius iudicium spectat, qualia sunt hæc belli iura quæ nunc exponimus. Nec est quod obijciat aliquis ex dominij natura talem in animo obligationem sequi. Respondebo enim cum multæ sint dominij species posse & dominium dari, quod tantum in iudicio humano & quidem coactiuo valeat. quod & in alijs iuris generibus occurrit. Tale enim aliquatenus & ius est testamenta nulla dicendi ob deliquium solennitatis alicuius quam iura ciuilia præscribant. Probabilior enim sententia est etiam quod tali testamento relictum est retineri salua pietate posse, saltem quamdiu ei non contradicitur. Nec longe abit dominium eius qui secundum leges ciuiles mala fide præscripsit: nam & hunc ciuilia iudicia vt dominum tuentur. In nostra vero

Less. lib. 1. c. 5. dub. 5.

Soto de iust. & iure lib. IV. q. 4. art. 3. Less. lib. 2. c. 14. dub. 3.

vero quæstione nulla causa fingi potest cur gẽtes aliud spectauerint quam externum illud. nam facultas vindicandi seruum, & cogendi, imo & vinciendi & res eius habendi sufficiebat vt captis captores vellent parcere: aut si tam feri essent vt istis vtilitatibus non mouerentur, certè nec moturum eos fuerat vinculum aliquod animis iniectum, quod ipsum tamen si omnino sibi necessarium crederent, poterant exigere fidem aut iusiurandum. Neque verò temerè in lege quæ non ex æquitate naturali sed maioris mali vitandi causa lata est ea sumenda est interpretatio quæ peccato obnoxium faciat actum cæteroqui licitum. Florentinus Iurisconsultus: *nihil interest, quomodo captiuus reuersus est: vtrũ dimissus an vi vel fallacia potestatem hostium euaserit.* Nimirũ quia hoc ius captiuitatis ita ius est vt alio sensu plerumque & iniuria sit, quo nomine & à Paulo Iurisconsulto nominatur: ius quoad effectus quosdam: iniuria si id quod rei intrinsecum est spectetur. Vnde & hoc apparet siquis bello iniusto captus in potestatem hostium venerit, ab eo non attaminari furti crimine animum si res suas subducat aut laboris sui mercedem, si quam supra alimenta præstari æquum est: modo ipse neque suo neque publico nomine quicquam debeat domino aut ei cuius ius dominus acceperit. Nec refert quod fuga talis & subductio deprehensa grauiter puniri soleant. Nam & hæc & alia multa faciunt potentiores, non quia æqua sunt sed quia ipsis expedit. Quod verò prohibent canones nonnulli suadere seruo ministerium domini sui destituere, si ad seruos referas qui pœnam iustam ferunt, aut voluntaria pactione se addixerunt præceptum est iustitiæ, sin ad eos qui bello iniusto capti sunt, aut ex captis nati ostendit Christianos Christianis auctores potius patientiæ esse debere quam rei talis, quæ quamuis

L. Nihil, D. de capt.

L. postliminium est ius in princ. eod. tit.

Banner 2.2. quæst. 40.

c. si quis seruum. 17. q. 4. & c. seq.

licita, animos tamen à Christianismo alienos aut alioqui infirmos posset offendere. Similemque in modum accipi possunt Apostolorum ad seruos monita, nisi quod illa magis videntur obedientiam à seruis exigere dum seruiunt, quod naturali æquitati consentaneum est. nam alimenta & operæ sibi mutuo respondent.

VII. Cæterum ab iisdem, quos indicare cœpi Theologis, illud dictum rectè arbitror, seruum domino ius illud externum exsequenti resistere illæso iustitiæ officio non posse. Est enim inter hoc & ea quæ diximus manifesta discrepantia. Externum ius, quod quidem non sola agendi impunitate, sed & iudiciorum tutela constat, inane erit si ex aduerso resistendi ius maneat. nam si domino vi resistere licet, licebit & magistratui dominum tuenti, cum tamen magistratus ex iure gentium dominum in illo dominio, eiusque vsu defendere debeat. Est ergo hoc ius simile ei quod summis in quaque ciuitate potestatibus alibi tributum est à nobis, vt vi illis resistere licitum piumque non sit. Ideo & Augustinus vtrumque coniunxit, cùm dixit: *Ita à plebibus principes & à seruis domini ferendi sunt, vt sub exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia, & sperentur æterna.*

VIII. Sed & hoc sciendum est ius istud gentium de captiuis nec semper receptum fuisse nec apud gentes omnes: quanquam Romani Iurisconsulti vniuersaliter loquuntur, partem notiorem indigetantes totius nomine. Sic apud Hebræos, qui specialibus institutis ab aliorum populorum communitate segregabantur, perfugium erat seruis, nimirum vt rectè notant interpretes his qui nulla sua culpa in eam calamitatem deuenerant: quali ex causa videri potest ortum ius quod in solo Francorum seruis datur proclamandi in

Deuter. XXIII. 15.

Bodin de rep. lib. c. 15.

di in libertatem, quanquam id nunc quidem non tantum bello captis, sed & aliis qualibuslibet seruis videmus dari.

IX. Sed & Christianis in vniuersum placuit bello inter ipsos orto captos seruos non fieri, ita vt vendi possint, ad operas vrgeri, & alia pati quæ seruorū sunt: merito sane; quia ab omnis caritatis commendatore rectius instituti erant aut esse debebant, quam vt à miseris hominibus interficiendis abduci nequirent, nisi minoris sæuitiæ concessione. Atque hoc à maioribus ad posteros pridem transiisse inter eos qui eandem religionem profiterentur scripsit Gregoras, nec eorum fuisse proprium qui sub Romano imperio viuerent, sed commune cum Thessalis, Illyriis, Triballis & Bulgaris. Atque ita hoc saltem, quanquam exiguum est, perfecit reuerentia Christianæ legis quod cùm Græcis inter se seruandum olim diceret Socrates, nihil impetrauerat. Manſit tamē etiam inter Christianos mos captos custodiendi donec persolutum sit pretium, cuius æstimatio in arbitrio est victoris: nisi certi aliquid conuenerit. Ius autem hoc captos seruandi solet concedi singulis qui ceperunt, extra personas eximiæ dignitatis: in has enim reipublicæ aut eius capiti ius dant plerarumque gentium mores.

Bart. in l. hostes, D. de capt. Couar. in c. peccatum, p. 11. §. 11. num. 6. Vict. de iure belli, num. 42. Boer. decis. 178. Silu. in verbo, bellum, 1. num. 1. Lib. IV.

Plat. V. de repub.

Bart in l. nam & seruum. D. de negot. gest. Boer. decis. 178. Constit. reg. Hisp. lib. VIII. tit. 26. par. 2.

CAP. VIII. *Videsis etiam Cap. XV. inf.*

De imperio in victos.

I. *Acquiri bello & imperium ciuile, tum vt est in rege, tum vt est in populo & eius acquisitionis effecta.*

II. *Acquiri & imperium herile in populum qui tum ciuitas esse desinit:*

III. *Interdum hæc miſceri.*

IV. *Acquiri & reſpopuli, etiam incorporales, vbi tractatur quæſtio de chirographo Theſſalorum.*

I. QVI ſibi ſingulos ſubiicere poteſt ſeruitute perſonali, nihil mirum eſt ſi & vniuerſos, ſiue illi ciuitas fuerunt, ſiue ciuitatis pars, ſubiicere ſibi poteſt, ſubiectione ſiue merè ciuili ſiue merè herili ſiue mixta. Itaque imperia armis quæri, victoriis propagari dixit Tertullianus. Alexander apud Curtium leges à victoribus dici, accipi à victis. Minio in oratione ad Romanos: *Cur Syracuſas atque in alias Siciliæ Græcas vrbes prætorem quotannis cum imperio & virgis & ſecuribus mittitis? Nihil aliud profecto dicatis, quam armis ſuperatis vos iis has leges impoſuiſſe.* Arioviſtus apud Cæſarem ius eſſe belli ait, vt qui viciſſent iis quos viciſſent quemadmodum vellet imperarent: Item populum Romanum victis non ad alterius præſcriptum, ſed ad ſuum arbitrium imperare conſueſſe. Narrat Iuſtinus ex Trogo qui ante Ninum bella geſſerant nō imperium ſibi, ſed gloriam quæſiiſſe & contentos victoria abſtinuiſſe imperio: Ninum primum fuiſſe qui fines imperii proferret, alios q; populos bello ſubigeret: Et ex eo id abiiſſe in morem. Bocchus apud Salluſtium: *ob regnum tutandum arma ſe cepiſſe: nam Numidiæ partem, vnde Iugurtham expulerit, iure belli ſuam factam.* Poteſt autem imperium victori acquiri vel tantum vt eſt in rege aut alio imperante, & tunc in eius duntaxat ius ſucceditur, non vltra, vel etiam vt in populo eſt, quo caſu victor imperium habet ita vt & alienare poſſit, ſicut populus poterat. Et ſic factum vt regna quædam in patrimonio eſſent diximus alibi.

Apoleg.

Liu. lib. XXXV.

De bello Gallico.

Lib. I.

De bello Iug.

II. Poteſt & amplius fieri, nempe vt quæ ciuitas fuit ciuitas eſſe deſinat, ſiue vt acceſſio fiat alterius ciuitatis, vt

tis, vt Romanæ prouinciæ, siue vt nulli ciuitati adhæreat, vt si Rex suo sumtu bellum gerens populum sibi ita subiiciat vt eum regi velit non ad populi, sed ad regentis præcipuè vtilitatem, quod herilis est imperii non ciuilis. Aristoteles lib. VII. de republica: ἔστι δὲ ἀρχὴ ἡ μὲν τοῦ ἄρχοντος χάριν, ἡ δὲ τοῦ ἀρχομένου. τούτων δὲ τὴν μὲν δεσποτικὴν εἶναι φαμεν, τὴν δὲ τῶν ἐλευθέρων: *Imperium aliud est ob vtilitatem regentis, aliud ob vtilitatem eius qui regitur: hoc inter liberos locum habet, illud inter dominos & seruos.* Qui ergo tali tenetur imperio populus in posterum non ciuitas erit, sed magna familia: Bene enim dictum ab Anaxandrida:

οὔκ ἐστι δούλων ὠγαθ' οὐδαμοῦ πόλις,

Vir bone seruorum nulla est vsquam ciuitas.

Et Tacitus hæc inter se sic opponit: *non dominationem & seruos, sed rectorem & ciues cogitaret.* Ann. XII.

III. Atque hinc intelligi potest quale sit mixtum illud imperium quod dixi ex ciuili & herili, nempe vbi seruitus miscetur cum aliqua personali libertate. Sic populis legimus arma ademta, imperatum ne ferri quid haberent extra quam ad agriculturam, alios coactos sermonem & vitæ genus mutare.

IV. Sicut autem res quæ singulorum fuerant iure belli iis acquiruntur qui eos sibi subiiciunt, sic & res vniuersitatis eorum fiunt qui sibi subiiciunt vniuersitatem si ipsi velint. Nam quod de deditis dixit Liuius: *vbi omnia ei qui armis plus potest dedita sunt, quæ ex iis habere victor, quibus mulctari eos velit, ipsius ius atque arbitrium est:* idem in bello solenni victis locum habet. Nam deditio sponte permittit, quod alioqui vis esset ereptura. Annibal in oratione ad milites apud Liuium: *quicquid Romani tot triumphis partum congestumq; possidēt, id omne nostrum cum ipsis dominis futurum est.* Antiochus apud eundem: *quo victo cum omnia quæ illius fuissent iure belli Seleuci* Lib. XXI. Lib. XLIII

Dionys. III. facta sint, existimare suæ ditionis esse. Ergo & incorporalia iura quæ vniuersitatis fuerant fient victoris quatenus velit. Sic Alba victa quæ Albanorum iura fuerant sibi vindicarunt Romani. Vnde sequitur omnino liberatos Thessalos obligatione centum talentorum quam summam cùm ipsi Thebanis deberēt, Alexander Magnus Thebarum dominus factus iure victoriæ ipsis donauerat. Nam qui dominus est personarum idem & rerum est & iuris omnis quod personis competit. Qui possidetur non possidet sibi, nec in potestate habet qui non est suæ potestatis. Imo etiam si quis populo victo ius ciuitatis relinquat, potest quædam quę ciuitatis fuerant sibi sumere. In ipsius enim arbitrio est quem velit esse sui beneficij modum. Imitatus fuit factum Alexandri Cæsar donato Dyrrachinis ære alieno quod nescio cui aduersarum partiū debuerant. Sed hic obijci poterat bellum Cæsaris non ex eo esse genere de quo ius hoc gentium constitutum est.

L. Qui in seruitute est de reg. iur. L. sic euenit D. ad l. Iul. de adult.

Cic. Epist. ad Brutum. 6.

CAPVT IX.

De postliminio.

I. *Origo vocis postliminij.*
II. *Quibus in locis postliminium sit.*
III. *Postliminio quædam reuerti, quædam recipi.*
IV. *Ius postliminij esse in pace & in bello, & quid si nihil in pace dictum sit?*
V. *Liber homo bello manente quando postliminio redeat:*
VI. *Quæ iura recipiat, quæ non recipiat.*
VII. *Iura & in ipsum restitui.*
VIII. *Cur qui se dedunt ius postliminij non habeant.*
IX. *Populus quando postliminij ius habeat.*

X. Quæ

X. *Quæ in his qui postliminio redeunt sint iuris ciuilis.*
XI. *Serui postliminio quomodo recipiantur, etiam transfugæ: quomodo qui redemti sunt.*
XII. *An subditi postliminio recipiantur.*
XIII. *Agros postliminio recipi.*
XIV. *Circa res mobiles quod discrimen olim obseruatum.*
XV. *Quid circa res mobiles hodie iuris?*
XVI. *Quæ res recipiantur ita vt postliminij non egeant.*
XVII. *Mutationes ex lege ciuili, quoad subditos suos.*
XVIII. *Postliminium quomodo obseruatum inter eos qui hostes non erant:*
XIX. *Quando id hodieque locum habere possit.*

I. SICVT de his quæ ex hostibus capiuntur, ita & de postliminij iure nihil fermè sani prodiderunt hi qui retro actis sæculis iuris cognitionem professi sunt. Accuratius hæc res à veteribus Romanis tractata est, sed sæpè confusè nimis, ita vt quæ iuris gentium quæque ciuilis Romani esse vellent lector nequiret distinguere. De voce postliminij reijcienda Seruij sententia qui partem eius posteriorem productione putat esse verbi sine significatu: sequendus Scæuola qui iunctum docebat esse verbum à post quod reditum notat & limine. Nam limen & limes exitu & flexionis modo differunt, cum alioqui origine & primitiua notione idem sint, sicut materia & materies, pauus & pauo, contagio & contages, cucumis & cucumer, quàquam vsu seriore factum est vt limen magis ad priuata, limes ad publica referretur. Sic veteres eliminare dicebat è finibus eijcere & exsilium nominabant eliminium. *Cicero Top. & ibidem Boëtius.* *L. postliminij. §. 1. D. de capt.*

II. Est ergo postliminium ius quod nascitur ex reditu in limen id est fines publicos. Sic Pomponius reuersum postliminio ait qui intra præsidia nostra esse cœpit: Paulus cum in fines nostros intrauerit. Sed ex *L. postliminium. §. postliminio. ib.*

paritate rationis consensus gentium rem eo perduxit, vt postliminium locum haberet, etiam si quis homo, aut res eius generis in quo postliminium esse placuerat peruenisset ad amicos nostros, vt loquitur dicto loco Pomponius, aut vt Paulus exempli causa explicat, ad regem socium vel amicum. Quibus in locis amici aut socij intelligendi sunt non simpliciter quibuscum pax est, sed qui partes in bello easdem sequũtur: ad quos qui venerunt, vt Paulus loquitur, nomine publico tuti esse incipiunt: Nihil enim interest homo an res ad hos aut ad suos peruenerit. Apud eos verò qui amici sunt sed non earundem partium, bello capti statum non mutant, nisi ex speciali pacto, quomodo in secundo federe icto inter Romanos & Carthaginienses conuenerat, vt qui à Carthaginiensibus capti à populis amicis Romanorum in portus Romanis subditos venissent in libertatem vindicari possent: vtque Carthaginiensium amicis par ius esset.

Polyb. III.

III. Vetus Romanorum locutio receptos postliminio etiam homines liberos dicebat. *Postliminio receptum* (ita enim legendum est) *Gallus Aelius in libro primo significationum quæ ad ius pertinent, ait esse eum qui liber è qua ciuitate in aliam ciuitatem abierat, in eandem ciuitatem redit eo iure quod constitutum est de postliminiis. Item qui seruus à nobis in hostium potestatem peruenit, postea ad nos redit in eius potestatẽ, cuius antea fuit, iure postliminij. Equi & muli & nauis eadem ratio est in postliminij receptu* (ita tria hæc verba quæ delẽda cẽset vir incomparabilis in Romani iuris studio Iacobus Cuiacius leui mutatione retineri posse arbitror) *quæ serui. quæ genera rerum ab hostibus ad nos postliminio redeunt, eadem genera rerum à nobis ad hostes redire possunt.* Sed posteriores Romani Iurisconsulti discretè magis duas statuerunt species postliminij vt aut nos reuertamur, aut aliquid recipiamus.

Festus Pomp.

L. eum dua D de capt. & postlim. reu.

L. in bello D. eod. tit. d. l. postliminij.

IV. Reti-

IV. Retinendum & illud Tryphonini, qui postliminij ius competere ait in bello aut in pace: sensu paulo alio quam quo idem dixerat Pomponius. In pace postliminium nisi aliter conuenerit est his qui non virtute bellica superati, sed fato suo deprehensi sunt, vt qui cum bellum subito exarsit apud hostes reperiuntur. Aliis autem captiuis in pace postliminium non est, nisi id pactis erat comprehensum, vt optime eum Tryphonini locum emendat doctissimus Petrus Faber, non improbante Cuiacio. nam hoc & subiecta ratio & oppositum membrum apertè euincunt. *Pacem fecerat captiuis dimissis, ita enim conuenerat.* inquit Zonaras. Et Pomponius: *si captiuus de quo in pace cautum fuerat vt rediret, sua voluntate apud hostes mansit, non est ei postea postliminium.* Paulus: *Si in bello captus pace demum facta refugit, postliminio redit ad eum à quo priore bello captus erat: si modo non conuenerit in pace vt captiui redderentur.* Causam cur de his qui bellica virtute capti sunt id placuerit ex Seruio hanc affert Tryphoninus, *quia spē reuertendi ciuibus in virtute bellica magis quam in pace Romani esse voluerunt*, nimirū vt Liuius loquitur, ab antiquo minimè indulgens in captiuos ciuitas. Sed hæc ratio Romanorum propria non potuit constituere ius gentium: potuit tamen inter causas esse cur Romani illud ius ab aliis gentibus introductum & ipsi amplecterentur. Verior hęc est ratio quod reges aut populi qui bellum suscipiunt credi volunt iustas sibi fuisse causas cur id facerent. Contrà autem iniuriam facere eos qui aduersum se arma ferrent: quod cum vtraque pars credi vellet, nec tutum esset pacem seruare cupientibus huic se controuersiæ interponere, nihil melius facere potuerunt populi pacati, quam vt id quod euenisset pro iure acciperent: atque ita captos in actu repugnādi haberent quasi ex iusta causa captos. At de his qui bello exorto deprehensi

Sem. lib. I. c. 7.

Tom. III.

L. si captiuus D. de capt.

L. si quid bello d. tit.

erant, dici idem non poterat. nam in illis nullum iniuriæ consilium fingi poterat. Tamen ad minuendas hostium vires retineri eos manente bello non iniquum videbatur: bello autem compositio nihil obtendi poterat quominus dimitterentur. Itaque consensum in hoc est vt tales in pace semper libertatem obtinerent, vt confessione partium innocentes: in cæteros vero vt quisque vsurparet quod vellet credi ius esse, nisi quatenus pacta certi aliquid præscriberent. Atque eandē ob causam nec serui nec res bello captæ pace reddūtur nisi pactis expressū id sit: quia victor credi vult ius sibi fuisse ista quærendi: cui contradicere, id vero fuerat bella ex bellis serere. Diximus de pace. In bello redeunt postliminio homines qui antequam caperentur liberi fuerant: recipiuntur serui & alia quædam.

V. Liber homo ita demum postliminio redit si hoc animo ad suos venerit vt eorū res sequeretur, vt à Tryphonino proditum est: nimirum quia vt quis seruus liber fiat, se debet vt ita dicam acquirere, quod non est nisi volentis. Cæterum an vi bellica receptus sit ab hostibus an dolo profugerit, nihil refert vt à Florentino notatum est. Tantundem erit si ab hostibus sponte sit traditus.

d. l. in bello. §. manumittendo, & l. postliminii §. captiuus, D. de capt. l. nihil. D. de capt. l. eum non redemtum, C. de postl.

VI. Liber autem homo, postquam ad suos rediit, non se tantum sibi acquirit sed & res omnes quas habuerat apud populos pacatos, siue corporales, siue incorporales: Quia populi pacati sicut factum pro iure secuti erant in capto, ita & in liberato, vt se æquos præbeant vtrique parti. Ergo dominium quod habuerat in res eius is qui belli iure eum possidebat non erat sine omni conditione: cessare enim poterat ipso inuito, si captus qui fuerat ad suos peruenisset. Has ergo res sic ille perdit, quomodo hominem cuius erant accessio. Quid si tamen alienasset: an qui titulū habet ab eo qui

qui belli iure eo tempore erat dominus tutus erit gentium iure, an & hæc recuperabuntur? De his loquor q̃ apud populum belli medium exstabant. Distinguendum videtur inter res quæ eius sunt generis vt postliminio redeant, & quæ extra id genus sunt, quod discrimen iam mox explicabimus, vt illa videantur alienata cum sua causa & sub conditione: ista vero simpliciter. Alienata autem intelligo etiam quæ donata aut acceptilata sunt.

VII. At sicut ad postliminio redeuntem iura redeunt, ita & iura in ipsum restituuntur, ac pro eo habẽtur vt Tryphoninus loquitur ac si nunquam ille hostium potitus fuisset. *L. in bello. §. cætera, l. mulier D. de capt. L. postliminio d. tit.*

VIII. Huic regulæ de liberis hominibus exceptionem hanc rectè asscribit Paulus: *Postliminio carent qui armis victi hostibus se dederant*, nimirum quia pactiones cum hostibus factæ valent iure gentium vt alibi dicemus, nec aduersus eas est postliminium. Vnde & inducia- *L. postliminium §. inducia D. de capt. L. eos qui d. tit.* rum tempore non esse postliminium recte à Paulo notatum est. At hos qui hostibus deduntur sine vlla scilicet pactione, postliminio reuerti respondit Modestinus

IX. Quod de singulis personis diximus idẽ & in populis locũ habere arbitror, vt qui liberi fuerunt suã recipiant libertatẽ si forte eos vis sociorũ eximat hostili imperio. At si ipsa multitudo, quæ ciuitatẽ cõstituerat, dissoluta sit, verius puto non eundem populum censeri, nec postliminio res restitui ipso gentium iure, quia populus, vt nauis, partium dissolutione plane interit, eo q̃ tota eius natura in illa perpetua cõiunctione cõsistit. Non ergo quæ fuerat Sagunti ciuitas eadẽ exstitit cum veteribus cultoribus ea sedes octauo post ãno restituta est. neq; Thebæ cum iã Thebani in seruitutẽ ab Alexandro veniissent. Hinc apparet q̃ Thessali Thebanis

banis debuerant non esse Thebanis postliminio restitutum: idque duplici de causa: tum quod nouus erat populus: tum quod Alexander quo tempore dominus erat hoc ius alienare potuerat & alienauerat: & quia creditum non in eorum est numero quæ postliminio redeunt. Ei quod de ciuitate diximus haud multum dissimile est quod veteri illo Romano iure quo dissolubilia erant coniugia, matrimonium non censebatur postliminio restitui, sed nouo consensu redintegrari.

L. non vt l. cum dua. §. 1. D. de capt.

X. Et ex his quidem intelligi potest quale sit iure gentium postliminium in liberis hominibus. Cæterum iure ciuili idipsum ius quod ea attinet quæ intra ciuitatem aguntur, & adstringi additis exceptionibus aut conditionibus & produci ad alia commoda potest. Sic iure ciuili Romano de numero eorum qui postliminio redeunt exempti sunt transfugæ: etiam filij familias in quos patri videtur salua esse debuisse potestas illa patria quæ propria erat Quiritium. Sed hoc ideo placuisse ait Paulus quia disciplina castrorum antiquior fuit parentibus Romanis quam caritas liberorum: cui congruit quod de Manlio ait Cicero suo dolore sanciuisse eum militaris imperii disciplinam, vt saluti prospiceret ciuium qua intelligebat contineri suam. Detrahit & hoc aliquid de iure postliminii, quod legibus Atticis primum, deinde Romanis constitutum est vt qui redemtus est ab hostibus redemtori seruiat donec pretium reddiderit: Sed hoc ipsum fauore libertatis introductum apparet ne ademta spe recuperandæ pecuniæ multi in hostium manu relinquerentur. Et illa ipsa seruitus iisdem Romanis legibus multis modis mitigatur & postrema lege Iustiniani finitur operis quinquennii: morte quoque redemti ius repetendæ pecuniæ exstinguitur: sicut & contracto inter redimentem & redemtum matrimonio remis-

d. l. postliminium. §. transfugæ, & §. filius quoque.

De finibus 1.

C. de postl. l. vlt. L. si patre D. de capt. L. si is qui se, C. de postlim. l. fœdissima eod. tit.

remissum censetur: & redemtæ mulieris prostitutione amittitur, multaque alia iure Romano in fauorem redimentium & in pœnam proximorum qui suos non redimunt constituta sunt. Rursum auctum est postliminii ius lege ciuili eo quod non ea tantũ quæ in postliminio sunt iure gentium, sed res omnes, iura omnia perinde habentur, ac si is qui rediit nunquam hostium potitus esset: Imo & quæ per vsucapionem aut liberationem ex bonis subtracta, vel non vtendo finita esse videbantur, actione rescissoria restituuntur. nam in edicto de maioribus in integrum restituendis is comprehenditur qui in hostium est potestate. Et hoc quidem venit ex iure Romano antiquo. At lex Cornelia etiam hæredibus consuluit eorum qui capti apud hostes decessissent: bona eorum cõseruans perinde quasi qui non redit iam eo tempore quo captus est decessisset. Quæ iura ciuilia si tollas, haud dubie statim vt quis ab hostibus captus esset bona eius futura fuissent occupantium, quia qui apud hostes est pro nullo habetur. Quod si qui captus fuerat rediret, nihil reciperet præter ea quæ iure gentium postliminium habent. Quod vero captiuorum bona fisco cedunt, si hæres nullus sit, ex iure speciali est Romano. Vidimus de his qui redeunt: videamus de his quæ recipiuntur.

L. ab hostibus C. de postliminio.

L. 1. §. 1. D. quib. ex caus. maiores.

L. Diuus D. de iure fisci. l. bona. §. apparet. D. de capt.

XI. Inter hæc sunt primum serui & ancillæ etiã sæpè alienati, etiam ab hoste manumissi: quia hostium iure manumissio obesse ciui nostro serui domino non potuit: vt bene notat Tryphoninus. Sed vt seruus recipiatur necesse est vt aut reuera habeatur à vetere domino, aut haberi facile possit. Quare cum in rebus aliis sufficiat eas intra fines esse perductas, ad postliminii ius in seruo id non erit satis, nisi & cognoscatur. nam qui in vrbe Roma est ita vt lateat, nondum receptus Paulo videtur. Ac sicut hac in parte à rebus inani-

L. in bello. §. manumittendo.

L. vlt. D. de cap.

inanimis distat seruus, ita vicissim à libero homine in eo distat, quod vt postliminio recipiatur non requiritur vt animo res nostras sequendi venerit. Id enim in eo requiritur qui se recepturus est, non in eo qui ab altero sit recipiendus, & vt Sabinus scripsit *de sua qua ciuitate cuique constituendi facultas libera est, non de dominii iure.* Non excepit ab hoc gentiũ iure seruos transfugas lex Romana. nam & in his dominus pristinum ius recipit, vt Paulus nos docet: ne contrarium ius non tam ipsi iniuriosum sit, qui seruus semper permanet quam domino damnosum. Generaliter de seruis qui virtute militum recuperantur dictum est ab Imperatoribus illud quod ad res omnes male à nonnullis trahitur: *Receptos eos non captos iudicare debemus, & militem nostrum defensorem eorum decet esse, non dominum.* Qui ab hostibus redemti sunt serui protinus Romano iure fiunt redimentis, sed oblato demum pretio postliminio recipi intelliguntur. Verum hæc subtilius explicare iuris ciuilis interpretum est.

§. manumittendo.

d. l. postliminiũ. §. si vero seruus.

l. ab hostibus, C. de postl.

XII. Illa quæstio magis ad nos pertinet, an & populi qui subiecti alieno imperio fuerunt in veterem causam recidant: quod tractari potest si non is cuius imperium fuerat, sed sociorum aliquis eos hosti eripuisset. Puto hic idem dicendum quod in seruis, nisi sociali fœdere aliter conuenerit.

XIII. Inter res primum occurrunt agri, qui in postliminio sunt. *Verum est*, ait Pomponius, *expulsis hostibus ex agris quos ceperint dominia eorum ad priores dominos redire.* Expulsi autem hostes intelligi debẽt ex quo apertè eo accedere amplius non possunt, vt alibi explicauimus. Sic agros ex Gothis & Vandalis recuperatos veterum possessorum hæredibus reddiderunt Iustinianus aliiq; Imperatores. Quod de agris ius est idem esse arbitror de omni iure quod solo adhæret. Nam & loca capta ab

l. si captiuus. §. verum est, D. de capt.

Nou. XXXVI.

hostibus

hostibus quæ religiosa vel sacra fuerant, si ab hac calamitate fuerint liberata, quasi quodam postliminio reuersa pristino statui restitui scripsit Pomponius: & Marcianus cum postliminij iure comparat ius illud quo solum ædificio occupatum eo collapso littori redditur. Quare & vsumfructum agri recepti restitui dicendum erit ad exemplum eius quod de agro inundato Pomponius respondit. Sic Hispanis lege cautum est vt comitatus & aliæ iurisdictiones hæreditariæ postliminio redeant, maiores omnino, minores si intra quadriennium à receptione vindicentur, nisi quod arcem bello amissam & quomodocunque recuperatam retinendi ius rex habet.

L. cum loca, D. de religios. *L. in tantũ, De diuis. rer.* *L. si ager. D. quib. mod. vsusf. amitt.* *Reg. Const. lib. X. tit. 29. p. 2.*

XIV. De mobilibus generalis in contrarium regula est, vt postliminio non redeant: sed in pręda sint vt hęc opponit Labeo. Quare & commercio parata, vbicunque reperiuntur, manent eius qui emit: nec apud pacatos reperta aut intra fines perducta vindicandi ius est veteri domino. Sed ab hac regula videmus olim excepta quæ in bello vsum habent: quod ideo placuisse gentibus videtur vt recuperãdi spes ad ea comparanda alacriores homines redderet. Plurimarum enim ciuitatum instituta eo tempore ad rem bellicam referebantur. quare facile in hoc consensum est. Vsum autem in bello hæc habere censentur quæ modo ex Gallo Ælio attulimus, sed quæ distinctius exposita extant tum apud Ciceronem in Topicis, tum apud Modestinum: Naues scilicet longæ atque onerariæ, non item lusoriæ, aut actuariæ voluptatis causa paratæ: muli, sed clitellarij: equi & equæ, sed fræni patientes. Et hæ res sunt quas & legari rectè voluerunt Romani & in præstationes familiæ herciscundæ venire. Arma & vestis vsum quidem in bello habent, sed postliminio non redibant, quia minimè fauorabiles erant qui

L. 2. & 4. D. de capt. *L. id quod apud hostes. D. de leg. 1.* *L. item Labeo cum l. seq. D. de fam. herc.*

qui in bello arma aut vestem amitterent: imo id flagitii loco habebatur, vt passim in historiis apparet. Atque in hoc notãtur arma ab equo distare quod equus sine culpa equitis proripere se potuit. Et hoc quidem rerum mobilium discrimen videtur vsum habuisse ad Boëtii vsque tempora. Is enim Ciceronis Topica explicans ita videtur de hoc iure loqui quasi quod ad eum diem vim suam obtineret.

XV. At posterioribus temporibus, si non ante, sublata videtur hæc differentia. Passim enim tradunt morum periti res mobiles postliminio non redire & id de nauibus constitutum multis in locis videmus.

Bart. in l. si quid bello, D. de capt. Ang. & Sabic. in l. ab hostibus. C. de capt. Const. Gall. lib. XX. tit. 23. art. 24. Consul. mar. c. 287. L. hostes, & l. latrones, D. de capt. l. postliminium §. à piratis eod. tit. Demost. de Halonesso.

XVI. Eæ vero res quæ intra præsidia perductę nondum sunt, quanquam ab hostibus occupatę, ideo postliminii non egent, quia dominum nondum mutarunt ex gentium iure. Et quæ piratæ aut latrones nobis eripuerunt non opus habent postliminio, vt Vlpianus & Iauolenus responderunt: quia ius gentium illis non concessit vt ius dominii mutare possent: quo innixi Athenienses quas res ipsis prædones, prædonibus Philippus eripuerat, vt redditas à Philippo, non vt donatas volebant accipere. Itaque res ab illis captæ vbicunq; reperiuntur vindicari possunt, nisi quod ex naturali iure alibi censuimus ei qui suo sumptu possessionem rei adeptus est tantum esse reddendum quantum dominus ipse ad rem recuperandam libenter impensurus fuerat.

Lib. XXXI. tit. 29. p. 2. Couar. adc. peccatum, p. 11. §. 11. n. 8

XVII. Potest tamen lege ciuili aliud constitui: sicut lege Hispanica naues à piratis captæ eorum fiunt qui eas eripiunt piratis: neque enim iniquum est vt priuata res publicæ vtilitati cedat, præsertim in tanta recuperandi difficultate. Sed lex talis non obstabit exteris quominus res suas vindicent.

XVIII. Illud magis mirandum quod testantur Romanæ

manæ leges postliminii ius locum habuisse non tantum inter hostes, sed & inter Romanos & populos externos. Sed alibi diximus reliquias has esse sæculi Nomadum, quo sensum naturalis societatis, quæ est inter homines, mores exsurdauerant. Itaque apud gentes, etiam quæ bellum publicum non gererent, erat quædam belli inter priuatos quasi ipsis moribus indicti licentia. ac ne ea licentia ad interficiendos homines prosiliret, placuit captiuitatis iura inter eos introduci, cui consequens fuit vt & postliminio locus esset, aliter quam cum latronibus ac piratis; quia illa vis rem perducebat ad æquas pactiones quæ à latronibus & piratis contemni solent. Iuris olim controuersi videtur fuisse an qui apud nos seruiunt ex populo federato si domum reuenissent postliminio redeant. ita enim hanc quæstionem proponit Cicero primo de Oratore. Et Gallus quidem Ælius sic ait: *Cum populis liberis & cum federatis & cum regibus postliminium nobis est ita vti cum hostibus.* Contra Proculus: *Non dubito quin federati & liberi nobis externi sint: non inter nos atque eos postliminium esse.* Ego arbitror distinguendum inter federa, vt si qua essent quæ belli duntaxat publici componendi aut cauendi causa essent inita ea nec captiuitati in posterum, nec postliminio obstarent. at si qua id continerent vt tuti essent publico nomine qui ab his ad illos veniissent, vt tunc captiuitate sublata cessaret & postliminium. Et hoc mihi indicare videtur Pomponius cum ait, *si cum gente aliqua neque amicitiam neque hospitium neque fedus amicitiæ causa factum habemus, hi hostes quidem non sunt: quod autem ex nostro ad eos peruenit illorum fit, & liber homo noster ab eis captus seruus fit & eorum: Idemque est si ab illis ad nos aliquid perueniat. hoc quoque igitur casu postliminium datum est.* Cum dixit fedus amicitiæ causa, ostendit & alia esse posse federa quibus nec hospitii nec amicitiæ ius

L. non dubito, D. de capt.

D. l. postliminii. §. in pace.

insit. Proculus quoque eos à se populos federatos intelligi qui amicitiam aut hospitium tutum promisissent, satis significat cum subijcit: *Etenim quid inter nos atque eos postliminii opus est cum & illi apud nos & libertatem suã & dominium rerum suarum æquè atque apud se retineant & eadem nobis apud eos cõtingant?* Quare quod apud Gallum Ælium sequitur, *quæ nationes in ditione nostra sunt cum his postliminium non est*, vt rectè legit Cuiacius, hoc additamento supplendum erit, nec cum his quibuscum fedus amicitiæ causa habemus.

Obs. IX. c. 23.

XIX. At nostris temporibus non inter Christianos tantum, sed & apud plerosque Mahumetistas, ius vt captiuitatis extra bellum ita & postliminij euanuit, sublata vtriusque necessitate ob restitutam vim eius cognationis quam inter homines natura esse voluit. Habere tamen locum poterit vetus illud ius gentium, si res sit cum gente tam barbara vt sine indictione aut causa omnes externos & res eorum hostiliter tractare pro iure habeat. Atque eam in partem dum hæc scribo iudicatum est in summo Auditorio Parisiensi, cœtus principe Nicolao Verdunio: bona quæ Francorum ciuium fuerant ab Algerienſibus, populo prædationibus maritimis in omnes alios grassari solito, capta belli iure mutasse dominum: ac proinde cum recepta ab alijs essent, facta eorum qui recepissent. In eadem cognitione & hoc iudicatum est quod modo diximus, naues hodie inter ea non esse quæ postliminio recipiuntur.

Bod. lib. 1. de rep. c. 7.

CAP.

CAPVT X.

Monita de his quæ fiunt in bello iniusto.

I. Quo sensu pudor vetare dicatur quod lex permittit:
II. Aptatū hoc ad ea quæ iure Gentiū permissa diximus.
III. Interna iniustitia iniustū esse quod ex bello iniusto fit.
IV. Qui hinc, & quatenus ad restitutionem obligentur.
V. An res captæ bello iniusto reddendæ sint ab eo qui cepit:
VI. An & ab eo qui detinet.

I. LEGENDA mihi retro vestigia & eripienda bellum gerentibus penè omnia quæ largitus videri possum, nec tamen largitus sum. nam cum primum hanc iuris gentium partem explicare sum aggressus, testatus sum iuris esse aut licere multa dici eo quod impunè fiant, partim etiam quod iudicia coactiua suam illis auctoritatem accommodent, quæ tamen aut exorbitent à recti regula, siue illa in iure strictè dicto siue in aliarum virtutum præcepto posita est, aut certè omittantur sanctius & cum maiori apud bonos laude. In Troadibus Senecæ dicenti Pyrrho *Lib. III. c. 4.*

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit,

regerit Agamemnon,

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

Quo in loco pudor non tam hominum & famæ quam æqui & boni aut certè eius quod æquius meliusque est respectum significat. Atque eo sensu sæpè videas iustitiam cum pudore coniungi. Ouidius:

Nondum Iustitiam facinus mortale fugarat:
Vltima de Superis illa reliquit humum:
Proque metu populum sine vi Pudor ipse regebat.

Operibus. Hesiodus:

——— Δίκη δ' ἐν χερσὶ καὶ αἰδὼς
οὐκ ἔσται· βλάψει δ' ὁ κακὸς τὸν ἀρείονα φῶτα.
——— *nusquam Pudor: aurea nusquam*
Iustitia: insultant praui melioribus vltro.

Plato lib. XII. de legibus: παρθένος γὰρ αἰδοῦς Δίκη λέγεται τε καὶ ὄντως εἴρηται. Emendem πάρεδρος: vt sensus sit: *Comes pudoris iustitia vocatur & merito quidem.* Nam & alibi idē Plato sic loquitur: θεὸς δείσας περὶ τῷ γένει ἀνθρώπων μὴ ἀπόλοιτο πᾶν, δωρᾶται ἀνθρώποις αἰδῶ τε καὶ δίκην ἵν' εἶεν πόλεων κόσμοι τε καὶ δέσμοι φιλίας συνάγωγοι. *Deus metuens ne plane interiret genus humanum, dedit hominibus Iustitiam ac Pudorem ornamenta ciuitatum & ad amicitiam colligandam vincula.* & Plutarchus simili modo δίκην vocat ἔνοικον αἰδοῦς, *Iustitiam pudoris cohabitatricem.* Apud Dionysium Halicarnassénsem simul nominātur αἰδὼς κόσμος καὶ δίκη, pudor decorum & honestū. Sic & αἰδῶ & ἐπιεικείαν copulat Iosephus Pudorē & Æquitatem: Paulus quoque Iurisconsultus coniungit naturale ius & pudorem. Cicero autem inter iustitiam & verecundiam ita fines regit, vt iustitiæ partes statuat non violare homines, verecundiæ non offendere. Cum eo quem ex Seneca adduximus versu bene conuenit dictum eiusdē in scriptis philosophicis. *Quam angusta innocentia est ad legem bonum esse? Quanto latius officiorum patet quam iuris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt? quæ omnia extra publicas tabulas sunt.* Vbi vides ius à iustitia distingui, quia ius accipit id quod in iudiciis externis viget. Idem id alibi explicat egregiè exemplo iuris herilis in seruos. *In mancipio cogitandum est, non quātum illud impunè pati possit, sed quantum tibi permittat æqui boniq; natura, quæ parcere etiam captiuis & pretio paratis iubet.* Deinde: *Cum in seruum omnia liceant, est aliquid quod in hominem licere commune ius animantium vetet.* quo in loco notan-

Protagora.

Ad ineruditum præsidem.

Lib. VI.

Lib. XIII. antiq. c. 19. Ad optimum, D. de ritu nupt.

Off. I.

Lib. II. de Ira, c. 27.

Lib. 1. de Clem. c. 18.

notanda iterum vocis licere diuersa acceptio, altera exterior, altera interior.

II. Eundem habet sensum illa Marcelli in Senatu Romano distinctio: *non quid ego fecerim in disquisitionem venit, quem quicquid in hostibus feci ius belli defendit, sed quid isti pati debuerint*, ex æquo & bono scilicet. Idem discrimen Aristoteles innuit disputans an iusta dicenda sit quæ ex bello oritur seruitus: ὅλως δ' ἀντεχόμενοι τινες, ὡς οἴονται δικαίόν τινος (ὁ γὰρ νόμος δικαιόν τι) τὴν κατὰ πόλεμον δουλείαν πρᾶξαι δίκαιαν. ὅλως δ' οὐ φασι· τὴν γὰρ ἀρχὴν οὐ δέχεται μὴ δικαίαν εἶναι τὴν πολέμων. *Quidam respicientes iusti aliquid (nam & lex iustum quid est) iustam esse aiunt seruitutem ex bello: at omnino iustam esse negant, quando accidere potest vt iniusta fuerit bellandi causa.* Sic & ipsi Iurisconsulti Romani, quod sæpe ius captiuitatis vocant alibi iniuriam appellant & æquitati opponunt naturali, & Seneca serui nomen ex iniuria natum, id quod sæpe accidit respiciens.

Liu. lib. XXVI.

Pol. l. 1. c. 6.

L. postlim. in pr. D. de capt.

Epist. XXXI.

III. Primum ergo dicimus, si belli causa iniusta sit, etiamsi bellum solenni modo susceptum sit, iniustos esse interna iniustitia omnes actus qui inde nascuntur: ita vt qui scientes tales actus operantur aut ad eos cooperantur habendi sint in eorum numero qui ad regnum cœleste sine pœnitentia peruenire non possunt. Vera autem pœnitentia, si tempus & copia suppetat, omnino requirit vt is qui damnum dedit siue interficiendo siue res corrumpendo, siue prædas agendo, id ipsum resarciat. Ideo Deus negat grata sibi esse ieiunia eorum qui non iure captos detinebant: & Niniuitis rex indicens iusticium præcipit vt rapina manus vacuefaciant, naturæ ductu agnoscens sine tali restitutione pœnitentiam fictam & inanem fore. Atque ita videmus sentire non Iudæos tantum & Christianos sed & Mahumetistas.

1. Cor. VI. 10.

Ion. III. 10.

Silu. in verbo bellum, p. 1. nu. 10. & 11. & 12 Couarr. d. §. 11. n. 8.

IV. Ad restitutionem autem tenentur secundũ ea quæ generaliter à nobis alibi explicata sunt belli auctores, siue potestatis iure, siue consilio, de his scilicet omnibus quæ bellum consequi solent: etiam de insolitis, si quid tale iusserunt aut suaserunt aut cum impedire possent non impedierunt. Sic & duces tenentur de his quæ suo ductu facta sunt: & milites in solidum omnes qui ad actum aliquem communem, puta vrbis incendium concurrerunt: in actibus diuiduis pro damno quisque cuius ipse causa vnica, aut certe inter causas fuit.

Less. lib. 11. c. 13. dub. 4. Adde l. vulgaris § si duo. D. de furtis.

Silu. d. loco, num. 10.

V. Neque admittendam putem exceptionem quã nonnulli adferunt de his qui aliis operam nauant: si modo in ipsis aliquid hæreat culpæ. Ad restitutionem enim sine dolo culpa sufficit. Sunt qui videntur existimare res bello captas, etiam si iusta belli causa non adfuerit, reddendas non esse eo quod bellantes inter se cum bellum inierunt ista capientibus donasse intelligantur. Sed nemo suum iactare temere præsumitur: & bellum per se longe abest à contractuum natura. Vt vero pacati populi certi quid haberent quod sequerẽtur, nec bello implicarẽtur inuiti, sufficiebat introductio externi de quo diximus dominii, q̃ cum interna obligatione restitutionis potest cõsistere. Atque id illi ipsi auctores videtur statuere in iure captiuitatis personarum. Ideo Samnites apud Liuium, *res hostium in præda captas quæ belli iure nostræ videbantur remisimus.* Videbantur ait, quia iniustum id bellum fuerat vt iam ante agnouerant Samnites. Non dissimile est quod ex contractu sine dolo inito cui inest inæqualitas, iure gẽtiũ nascitur facultas quædam cogendi eum qui contraxit ad implenda pacta: nec eo tamen minus qui plus æquo stipulatus est rem ad æqualitatem reducere ex probi ac pii hominis officio tenetur.

Vasq. lib. 1. contra Ill. c. 9. num. 17. Molina disp. 118. §. vt vero.

Lib. IX. Lib. VIII.

Vide supra lib. II. c. 11.

VI. Sed

VI. Sed & qui damnum ipse non dedit, aut sine omni culpa dedit, sed rem bello iniusto captam ab alio penes se habet, tenetur eam reddere, quia cur alter ea carere debeat nulla causa subest naturaliter iusta, non consensus ipsius, non malum meritum, non compensatio. Non aliena ab hac re historia est apud Valerium Maximum: *Populus*, inquit, *Romanus cum P. Claudius Camerinos ductu atque auspiciis suis captos sub hasta vendidisset, etsi ærariũ pecunia, fines agris auctos animaduertebat, tamen quia parum liquida fide id gestum ab imperatore videbatur, maxima cura conquisitos redemit & prædia restituit.* Similiter Phocẽsibus Romanorum decreto reddita libertas etiam illa publica, & qui erepti erant agri. Poterit tamen si quid sumtus aut operę impendit is qui rem tenet, deducere tantum quantum domino valebat adipisci desperatam possessionem secundum ea quæ alibi explicata sunt. Quod si rei possessor culpæ exsors eam consumserit aut alienauerit, non tenebitur nisi in quantum censeri potest locupletior factus.

Vide supra lib. II. c. 9.

Lib. VI. c. 1.

Liu. lib. XXVIII.

CAPVT XI.

Temperamentum circa ius interficiẽdi in bello iusto.

I. *In bello iusto actus quosdam interna iustitia carere: quod exponitur.*
II. *Interfici qui possint secundum iustitiam internam.*
III. *Ob infortunium neminem rectè interfici, vt qui coacti partes sequuntur:*
IV. *Nec ob culpam mediam inter infortunium & dolum: cuius natura explicatur.*
V. *Distinguendos auctores belli ab his qui sequuntur.*

VI. In ipsis auctoribus distinguendas causas probabiles ab improbabilibus.

VII. Etiam mortem meritis hostibus sæpè pœnam rectè condonari.

VIII. Cauendum quantum fieri potest ne innocentes etiam præter propositum, occidantur.

IX. Pueris semper parcendum: feminis nisi quid grauius admiserint.

X. Parcendum & his qui sacra aut literas tantum curant:

XI. Et agricolis:

XII. Et mercatoribus ac similibus:

XIII. Et captis.

XIV. Recipiendos qui dedere se volunt sub æquis conditionibus.

XV. Parcendum & his qui sine conditione se dediderunt.

XVI. Hæc ita vera nisi graue delictum antecesserit: quod quomodo accipiendum.

XVII. Delinquentibus ob multitudinem rectè parci.

XVIII. Non occidendos obsides nisi ipsi deliquerint.

XIX. Abstinendum ab omni dimicatione inutili.

I. SED nec in bello iusto admittendum est quod dicitur

Lucanus. Off. 1. *Omnia dat qui iusta negat.*

Off. II. Melius Cicero. *Sunt quædam officia etiam aduersus eos seruanda à quibus iniuriam acceperis. Est enim vlciscendi & puniendi modus.* Idem laudat vetera Romanorum tempora cum exitus bellorum erant aut mites aut necessarij. Crudeles vocat Seneca, qui *puniendi causam habent, modum non habent.* Aristides Leuctrica prima: ἔστι γὰρ ἔστι καὶ ἀμυνομένους ἀμέτρως ἀδικεῖν. κἀν τις οἷς τὰς τιμωρίας ἀναπληροῖ, πρὸς τ' ἀδικήματα τούτοις ὑπερβῇ δεύτερος, ἄρχει πάλιν. *Possunt sane possunt etiam qui se vindicant iniusti esse si modum excedant. Nam & qui in puniendo progreditur ad id quod iniquũ est, secũdus est iniuriæ auctor.* Sic Ouidio iudice quidã:

II. de Clem. cap. 4.

cæde

——cæde nocentum
Se nimis vlciscens exstitit ipse nocens.

Platæenses in Isocratea oratione quærunt, εἰ δίκαιόν ἐστιν ὑπὲρ τηλικούτων ἐγκλημάτων οὕτως ἀνόμους καὶ δεινὰς ποιεῖσθαι τὰς τιμωρίας: an æquum sit ob tantilla peccata tam graues & iniquas pœnas exigere?

II. Quando autem iusta sit interfectio (inde enim nobis incipiendum est) in bello iusto, secundum iustitiam internam, quando non sit, ex iis intelligi potest quæ capite primo huius libri à nobis explicata sunt. Interfici enim aliquem contingit ex proposito, aut citra propositum. Ex proposito iuste interfici nemo potest nisi aut in pœnam iustam aut quatenus absque eo vitam & res nostras tueri non possumus: quanquam illud ipsum ob res caducas hominem occidere, etiamsi à iustitia strictè dicta non abeat, à caritatis tamen lege discedit. Pœna vero iusta vt sit opus est vt ipse qui interficitur deliquerit, & quidem tantum quod apud æquũ iudicem mortis supplicio possit vindicari. qua de re eo nunc minus disseremus quia quicquid eius sciri oportet satis explicatum arbitramur capite de pœnis. *Vict. de iure belli, n. 36. & 45.*

III. Supra cum de supplicibus ageremus (sunt autem vt in pace ita & in bello supplices) discreuimus ἀτύχημα καὶ ἀδίκημα infortunium & iniuriam. Gylippus eo quem ibi citare cœpimus Diodori Siculi loco quærit vtra in classe Athenienses poni debeant, infortunatorum an iniustorum: & pro infortunatis habendos negat qui vltro nulla lacessiti iniuria Syracusanis bellum intulissent: vnde infert cum sponte bellum susceperint, ferenda quoque ab ipsis belli mala. Infortunatorum exemplum sunt illi qui non hostili animo apud hostes sunt, quales Athenienses temporibus Mithridaticis, de quibus sic loquitur Velleius Paterculus. *Si* *Lib. II.*

quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnatæ à Sulla sunt imputat Atheniensibus, nimium veri vetustatisq; ignarus est. adeo enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, vt semper & in omni re, quicquid sincera fide gereretur id Romam Attica fieri prædicarent. Cæterùm tum oppressi Mithridatis armis homines miserrimæ conditionis cum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis, & animos extra mœnia, corpora necessitati seruientes, intra muros habebant. Nimirũ, vt ait Cicero, *omnes quorum in alterius manu vita posita est, sæpius cogitant quid possit is, cuius in ditione ac potestate sunt, quam quid debeat facere.*

Pro Quinctio.

Atque hoc secutus est Iulianus in causa Aquileiensiũ, teste Ammiano, qui cum paucorum supplicium narrasset, adiicit: *Residui omnes abierunt innoxii, quos in certaminum rabiem necessitas egerat, non voluntas.* Ad Thucydidis locum de Corcyrensium captiuis venditis verus commentator: τὸ ἥμερον τὸ Ἑλληνικὸν πρόπτα δηλοῖ καὶ ὡς ἀπίστως μετὰ μάχην τοὺς ἁλωκότας θανατοῦσιν ἄλλως τε καὶ δούλους τοὺς μὴ κατὰ γνώμην οἰκείαν πολεμοῦντας. *Ostendit clementiam dignam Græcorum ingeniis: durum enim post pugnam captos occidere, seruos præsertim, qui non sua voluntate bellum gerunt.* Platæenses in dicta oratione apud Isocratem: οὐ γὰρ ἑκόντες ἀλλ' ἀναγκαζόντες αὐτοῖς ἐδουλεύομεν: *non volentes, sed coacti illis* (Lacedæmoniis) *seruiuimus.* Idem de Græcis aliis: τοῖς σώμασι μὲν ὑπ' ἐκείνων ἠκολουθοῦν ἀναγκάζοντο, ταῖς δὲ εὐνοίαις μεθ' ὑμῶν ἦσαν: *illorum* (Lacedæmoniorum) *partes corpore sequi cogebantur, animo vobiscum erant.*

Lib. XXI.

Lib. I.

IV. Sed notandum est inter plenam iniuriam & merum infortunium medium sæpè aliquid intercedere, quod ex vtroque quasi conflatum sit, ita vt actio neque merè scientis & volentis neque merè aut ignorantis aut inuiti dici possit. Aristoteles huic generi nomen posuit ἁμάρτημα: Latinè culpam aliquam liceat dicere. Sic enim ille Moralium libro quinto capite decimo: *Eorum quæ sponte facimus alia facimus deliberato, alia*

alia non deliberato. Deliberato fieri dicuntur quæ præeunte consultatione quadã animi fiunt: quæ verò aliter, indeliberato. Cùm ergo damni datio tribus modis in hominum societate contingat, ea quæ ab ignorantia procedit infortunium dicitur, vt si quis egerit quippiam non in quem existimabat, aut non quod putabat, aut non quo putabat modo, aut non tali fine: vt si quis se ferire non hoc instrumento, non hunc hominem, aut non huius rei causa credidit: sed euenit quod ipse non proposuerat sibi: puta velicare voluit non vulnerare, aut non hunc, non hoc modo. Ergo si ita præter id quod exspectari potuit damnum detur, erit infortunium. At si ita vt expectari ac præuideri aliquo modo potuerit, sed non improbo animo, culpa erit aliqua: nam culpæ affinis est qui in se habet agendi principium: qui verò extra, infelix. At quoties quis id quod facit sciens facit, non tamen deliberato, fatendum est adesse iniuriam: vt quæ facere homines solent per iracundiam & perturbationes similes aut naturales aut necessarias. nã qui ita commoti lædunt & culpam admittunt ab iniuria non vacant: neque tamen iniusti aut improbi dicuntur: at si quis idem consulto admittat, is verò improbus & iniustus rectè nominabitur. Merito igitur quæ per iram fiunt censentur nõ ex prouiso fieri. non enim incipit is qui ex ira quid facit, sed is qui iram prouocauit: atq; eo fit vt sæpè in iudiciis rerum eiusmodi non facti, sed legitima fiat quæstio. nascitur enim ira ex eo quod quis iniuriose factum existimat. Non ergo sicut in contractibus, an hoc factum sit disputant: ibi enim nisi quæ interceſſerit obliuio, omnino altera partium improba est, quæ fidem non implet: sed an iustè factum sit quod factum est, exquiri volunt. At qui prior struxit insidias nihil ignorans fecit: quare nõ mirum si alter sibi iniuriam factam putat, alter non putat. Est tamen vt & qui tali ex causa lædit iniustus censeri debeat, si nempè æqualitatis aut proportionis normam excedat quod reponitur. Sic iustus est qui deliberato iustè agit: alioqui iustè agere potest aliquis sponte tantũ, non & deliberato. Cæterum eorum quæ non sponte fiunt alia venia digna sunt, alia minus. Venia digna quæ non ab ignorãtibus modo sed & ob

ignoran-

ignorantiam fiunt: At si qua ab ignorantibus admittantur, nec tamen per ignorantiam, sed tali animi morbo qui communes humanæ naturæ fines excedat, non digna sunt quibus ignoscas. Locum sane egregiũ & vsus maximi integrum Latinè posui quia minus rectè verti ideoq; nec satis intelligi solet. Michael Ephesius eum locum interpretans eius quod exspectari nõ potuit exemplum ponit, in eo qui fores aperiẽs patrem lęsit, aut in loco solitario iaculando se exercẽs aliquem vulnerauit. Eius quod præuideri potuit, sed sine dolo, in eo qui iaculatus est in via publica. Idem scriptor necessitatis exemplum ponit in eo qui fame, aut siti adigitur vt quid faciat: perturbationum naturalium, in amore, dolore, metu. Per ignorantiam fieri ait vbi factum ignoratur, vt si quis mulierem nesciat nuptam. Ab ignorante non per ignorantiam, vbi ius ignoratur. Ius autem ignorari interdum excusabiliter, interdum inexcusabiliter: quæ cum Iurisconsultorum dictis optimè congruunt. Est eiusdem Aristotelis locus huic non dissimilis libro de arte oratoria. *AEquitas imperat ne pari loco habeamus iniurias & culpas, neque item culpas & infortunia. Infortunia autem sunt quæ nec prouideri potuerunt nec improbo animo admittuntur: culpæ quæ prouideri potuerunt, non tamen improbo animo fiunt: iniuriæ quæ & destinato & animo improbo.* Similis est diuisio apud Marcianum: *delinquitur aut proposito, aut casu. proposito delinquunt latrones qui factionem habent: impetu autem cum per ebrietatem ad manus aut ad ferrum venitur: Casu verò cum in venando telum in feram missum hominem interfecit.* Philo in legum specialium explicatione ait ἡμίεργον τὴν πρᾶξιν εἶναι τῆς διανοίας μὴ προκατεσχημένης ἐκ μακροῦ τοῖς μιάσμασι: *dimidiatum esse facinus vbi non anteceßit longa animi deliberatio.* Cuius generis ea præcipuè sunt quæ necessitas si non defendit tamen excusat. Thucydides libro quarto: πᾶν δ' εἰκὸς εἶναι τῷ πολέμῳ καὶ δεινῷ τινι κατειργόμενον ξύγγνω-

VII. Nic. II.

D. & C. de iuris & facti ign.

Lib. I.

L. perspiciẽdum, D. de pœnis.

ξυγγνωμόν τι γίγνεσθαι καὶ πρὸς τοῦ θεοῦ· καὶ γὰρ τῶν ἀκουσίων ἁμαρτημάτων καταφυγὴν εἶναι τοὺς βωμοὺς· παρανομίαν τε ἐπὶ τοῖς μὴ ἀνάγκῃ κακοῖς ὀνομασθῆναι καὶ οὐκ ἐπὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ξυμφορῶν τι τολμήσασι. *Credibile esse apud Deum quoque paratam esse veniam his qui bello aut qua simili necessitate coacti aliquid admittunt. nam & Deorum altaria perfugium patere culpis nō voluntariis: & iniustitiam iis ascribi qui vltro mali sunt, non his quos ad audendum res extremæ impellunt.* Talis & ille apud Aristotelem ἡμιπονηρὸς καὶ οὐκ ἄδικος· οὐ γὰρ ἐπίβουλος. *semiprauus, non iniustus, non insidiator.* Discrimina hęc ad argumenti nostri vsum sic aptat Themistius in laudib⁹ Valentis Imperatoris: καὶ διεκρίνας τὸ ἀδίκημα καὶ ἁμάρτημα, καὶ ἀτύχημα· Ὁ γὰρ εἰ μὴ τὰ Πλάτωνος ἀποστοματίζοις μηδὲ τὰ Ἀριστοτέλους μεταχειρίζῃ, ἀλλὰ τάγε ἐκείνοις δοκοῦντα τοῖς ἔργοις βεβαιοῖς· οὐ γὰρ τῆς ἴσης τιμωρίας ἀξίους ᾠήθης τοὺς τε ἐξ ἀρχῆς βουλεύσαντας τὴν ἐπανάστασιν καὶ τοὺς ὑπὸ τῶν ὅπλων παρασυρέντας, καὶ τοὺς ἤδη τῷ δοκοῦντι κρατεῖν ὑποκύψαντας· ἀλλὰ τῶν μὲν κατέγνως, τοὺς δὲ ἐμέμψω, τοῖς δὲ συνήλγησας. *Distinxisti inter iniuriam & culpam & infortunium. Quanquam nec Platonis verba ediscis, nec Aristotelem tractas, ipsorum tamen placita facto exsequeris. Non enim pari pœna dignos existimasti qui ab initio bellum suaserant, & qui postea abrepti sunt armorum impetu, & qui succubuerunt ei qui iam rerum potiri videbatur. Sed illos damnasti, hos castigasti, postremos miseratus es.* Idem alibi adolescentem Imperatorem vult discere, τί διενήνοχεν ἀτύχημα καὶ ἁμάρτημα καὶ ἀδίκημα. καὶ ὅτι προσήκει τὸν βασιλέα τὸ μὲν οἰκτείρειν, τὸ δὲ ἐπανορθοῦν, μόνον δὲ τὸ ἔσχατον τιμωρεῖσθαι. *quid distet infortunium, culpæ aliquid & iniuria: & quomodo regē deceat istius misereri, hanc corrigere, postremam verò solam vltione prosequi.* Sic apud Iosephum Titus vnum criminis ducem punit μέχρις ἔργου, reipsa, multitudinem μέχρι λόγου, sola verborum increpatione. Mera infortunia nec pœnam merentur, nec ad restitutionem damni obligant. Iniustæ actiones ad vtrum-

Lib. V. bello Iud.

vrumque. Culpa media vt restitutioni obnoxia est, ita pœnam sæpe non meretur, præsertim capitalem.

V. Quod monet Themistius distinguendos qui auctores belli fuerunt ab his qui alios ducentes secuti sunt, eius passim exempla in historiis exstant. Valerius Lib. XXVI. Leuinus narrante Liuio, *Agrigento capto, qui capita rerum erant, virgis cæsos securi percussit: cæteros prædamque vendidit.* Idem alibi: *Atella Calasiaque in deditionem accepta: ibi quoque in eos qui capita rerum erant, animaduersum.* Rursum alibi: *Quoniam defectionis auctores meritas pœnas à Dijs immortalibus & à vobis habent P. C. quid placet de innoxia multitudine fieri? Tandem ignotum est illis & ciuitas data.* Laudatur apud Euripidem Eteoclus Argiuus quia

Culpam ferebat semper illo iudice
Reus ipse: non vrbs patria, quæ passim mali
Rectoris ergo sustinet calumniam.

VI. Sed in ipsis quoque belli auctoribus distinguendæ causæ: sunt enim quædam non iustæ quidem, sed tamen tales vt non improbis possint imponere. Sapiens Senecæ, *hostes dimittet sa'uos, aliquando etiam laudatos, si honestis causis pro fide, pro federe, pro libertate in bellum accincti sint.* Apud Liuium petunt errori veniam Cærites quod fuerint auxilio consanguineis Phocensibus. Chalcidensibus & aliis qui ex federe Antiochum iuuerant data à Romanis venia. Cicero de officiis primo conseruandos eos dicit qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt: tum bella quibus imperii gloria proposita est, minus acerbe gerenda esse. Seuerus apud Herodianũ: *Cum bellum aduersus nigrum gessimus non ita sane speciosas inimicitiarum causas habebamus. nã positum in medio principatum atque adhuc in disceptatione versantem pari ambitu vterque nostrũ ad se trahebat.* Sæpe habet locum ϕ de bello Cæsaris & Pompeii est apud Ciceronem: *Erat*

Vict. de iure belli, n. 59.

Lib. II. de Clem. c. 7.

Lib. VII.

App. Syr.

Lib. III.

obscuritas

obscuritas quadam: erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant quid optimum esset. Et quod idem alibi: *etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, à scelere certè liberati sumus.* Quod de bellis ciuilibus Brutus scripserat putē nō male ad pleraque bella alia referri posse: *acrius esse prohibenda, quam in superatos iracundiam exercendam.* *Cic. Epist. ad Brutum. 23. Pro Ligario.*

VII. Etiam vbi iustitia hoc non exigit, sæpe tamē conuenit bonitati, conuenit modestiæ, conuenit animo excelso. *Ignoscendo auxisse populi Romani magnitudinem* ait Sallustius. Taciti est: *quanta peruicacia in hostem, tanta beneficentia aduersus supplices vtendum:* At Seneca: *Ferarum, nec generosarum quidem permordere & vrgere abiectos. Elephantes leonesque transeunt quæ impulerunt.* Est in eam rem insignis locus in libro quarto ad Herennium: *Bene maiores nostri hoc comparauerunt, vt neminem regem quem armis cepissent vita priuarent. Quid ita? quia, quam nobis facultatem fortuna dedisset, iniquum erat in eorum supplicio cōsumere, quos eadem fortuna paulo ante in amplissimo statu collocarat. Quid quod exercitum contra duxit? desino meminisse. Quid ita? Quia viri fortis est, qui de victoria contendant, eos hostes putare: qui victi sunt, eos homines iudicare, vt possit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas agere. At ille, si vicisset, num idem fecisset? Quid igitur ei parcis? quia talem stultitiam contemnere, non imitari consueui.* Si de Romanis hoc accipias (incertum enim hoc, cū & peregrinis & fictis argumentis vtatur is scriptor) aduersa fronte pugnat cum eo quod habemus in panegyrico qui dictus est Constantino Constantii filio: *Cautior licet sit qui deuinctos habet per veniam perduelles, fortior tamen est qui calcat iratos. Renouasti Imperator veterem illam Romani Imperii fiduciam qui de captis hostium ducibus vindictam morte sumebat. Tunc enim captiui reges cum à portis vsque ad forum triumphantium currus honestassent, simulatq; in Capitolium currum flectere cœperat Imperator, abrepti in carcerem necabantur. vnus pro se ipso Paulo qui sedentem se acceperat* *Ann. XII.* *De Clem. ts cap. 5.*

depre-

Vide Plut. Paulo Æmilio.

deprecante (lege: *vnus Perseus ipso Paulo qui dedentem se accēperat deprecante*) *legem illius seueritatis euasit: ceteri in vinculis luce priuati aliis regibus dedere documentum, vt mallent amicitiam colere Romanorum quam exasperare iustitiam.* Sed & hic nimis laxe. Dicit quidem Iosephus idem de seueritate Romanorum in historia interfecti Simonis Bariorę: sed de ducibus loquitur qualis Pontius Samnis, non de his quibus regium esset nomen. Verborum sensus Latine sic habet. *Finis triumphi erat postquam ad Capitolium Iouis ædem erat peruentum: nam ibi exspectare imperatores mos antiquus patriæ iubebat donec nuntiata esset mors hostium ducis. Is erat Simon Iorę filius qui inter captiuos in triumpho ducebatur: is tum iniecto laqueo in forum trahitur verberantibus insuper ipsum custodibus. Nam eo in loco mos est Romanis supplicium sumere de damnatis ob noxas capitales. Hic vbi vitam finiisse nuntiatus est, secuta sunt fausta omina, deinde sacrificia.* De ducibus passim exempla exstant: de regibus aliqua vt de Aristonico, Iugurtha, Artabasdo: sed tamen præter Persea Syphax, Gentius, Iuba tale supplicium euaserunt, vt appareat & belli causas & gerendi modum spectata à Romanis quos tamen æquo asperiores in victoria fuisse Cicero atque alii agnoscunt: Hostis ergo qui non id quod humanæ leges permittunt, sed quod sui est officii, quod fas & pium est volet respicere, parcet etiam hostili sanguini: neminique mortem irrogabit nisi quo mortem mortiue simile quid euitet, aut ob peccata personæ propria quæ ad capitalem mensuram deuenerint: Et tamen quibusdam id meritis aut omnem aut mortis pœnam condonabit, siue humanitatis intuitu siue ob alias probabiles causas.

VIII. De nece autem eorum qui casu non destinato occiduntur, tenendum quod supra diximus, si non iustitiæ, misericordiæ tamen esse non nisi magnis & ad multorum salutem peruenturis causis tale quid aggredi vn-

di vnde innocentibus imminere pernities possit. Idem nobiscum sensit Polybius qui libro v. sic loquitur: οὐ γὰρ ἐπ' ἀπωλείᾳ δεῖ καὶ ἀφανισμῷ τῆς ἀγωνίσασι πολεμεῖν τοὺς ἀναθοὺς ἄνδρας ἀλλ' ὅπῃ διορθώσει καὶ μεταθέσει τὸν ἡμαρτημένον δεῖ σωσαιρεῖν τὰ μηδὲν ἀδικοῦντα τοῖς ἠδικηκόσι· ἀλλὰ συνσώζειν καὶ συνεξαιρεῖσθαι τοῖς ἀναιτίοις (male editur ἐναιτίοις) τοὺς δοκοῦντας ἀδικεῖν. *Bonorum virorum est etiam cum minus probis non internecinum gerere bellum sed hactenus vt delicta sarciantur atque emendentur: neque insontes cum sontibus vna pœna inuoluere sed in sontium causa etiam sontibus parcere.*

IX. His cognitis de his quæ magis specialia sunt non difficilis erit definitio. *Puerum ætas excuset, feminam sexus,* ait Seneca libris quibus iræ irascitur. Deus ipse in bello à se decreto etiam post pacem oblatam & repudiatam parci vult feminis & infantibus: extra paucas gentes speciali iure exceptas. Et cum mulieres Madianitidas vellet occidi ob proprium ipsarum crimen, excepit virgines intactas. Imò cum Niniuitis ob grauissima peccata internecionem seuere admodum minatus esset, retrahi se passus est miseratione multorũ millium eius ætatis quæ honesti & inhonesti discrimina ignoraret. Cui similis est apud Senecam sententia: *Nũquis irascitur pueris, quorum ætas nondum nouit rerum discrimina?* Si hæc Deus fecit ac statuit, qui quosuis homines cuiuscunque sexus aut ætatis sine vlla causa non iniustè potest occidere, vtpote vitæ dator ac dominus, quid homines facere æquum est quibus ille nullũ ius tribuit in homines, quod non ad hominum salutem ac societatem conseruandam esset necessarium? Accedit primum de pueris iudicium eorum populorum ac tẽporum quibus fas maxime valuit. *Arma habemus* (ait apud Liuium Camillus) *non aduersus eam ætatem cui etiam captis vrbibus parcitur: sed aduersus armatos.* Addit hoc esse inter belli iura, naturalia scilicet. Plutarchus de eadẽ re

Lib. III. 24.

Deut. XX. 14.

Num. XXXI. 18. Ionæ IV. 2.

Deira II. cap. 9.

Vict. de iure belli, n. 36.

Vita Camil.

agens: *Sunt* inquit, *apud bonos etiam belli quædam leges.* Vbi nota illlud apud bonos, vt hocius ab eo quod in moribus & impunitate positum est discrimines. Sic Florus negat aliter fieri potuisse salua integritate. Quod autem in pueris rationis vsum non adeptis semper, id in feminis plerunque obtinet, id est nisi aliquid peculiariter vindicandum admiserint, aut virilia officia & ipsæ vsurpent. Est enim, vt Statius loquitur *sexus rudis insciusq; ferri.* Neroni hostem vocanti Octauiam in tragœdia reponit præfectus

Lib. 1.

Octauia.

——— *Fœmina hoc nomen capit?*

Lib. V. Alexander apud Curtium: *Cum captiuis & feminis gerere bellum non soleo; armatus sit oportet quem oderim.*

X. Idem statuendum vniuersaliter de maribus quorum vitæ genus ab armis abhorret. *Iure belli in armatos repugnantesq; cædes*, vt ait Liuius, id est eo iure quod naturæ congruit. Sic Iosephus æquum ait vt in pugna pœnas dent qui arma ceperunt, insontibus non nocendum. Camillus Veiis expugnatis edixit, vt ab inermi abstineretur. In hac classe primum ponendi sunt hi qui sacra curant. nam vt hi ab armis abstinerent mos ab antiquo fuit gentium omnium: atque ideo vicissim vi in illos temperabatur. Sic Philisthæi hostes Iudæorum non nocebant collegio Prophetarũ quod erat Gabæ, vt videre est 1. Sam. x. 5. & 10. Et sic ad aliũ locum, vbi simile erat collegium tanquam sepositum ab omni armorum iniuria cum Samuele confugit Dauid 1. Sam. xix. 18. Sacerdotibus merito hac in parte æquantur qui vitæ genus simile elegerunt, vt monachi & conuersi, id est pœnitẽtes, quibus proinde æque vt sacerdotibus parci volũt canones naturalem æquitatem secuti. Addas his merito eos qui studiis literarum honestis & humano generi vtilibus operam nauant.

Vict. d. loco. L. XXVIII.

Antiq. XII c. 3.

Liu. lib. V.

c. 2. de treug. & pace.

XI. De-

XI. Deinde agricolas quos & canones assc̃ribunt. Diodorus Siculus de Indis cum laude refert: ἀμφότεροι δὲ οἱ πολεμοῦντες ἀλλήλους μὲν ἀποκτείνουσιν ἐν ταῖς μάχαις, τὰς δὲ περὶ τὴν χώραν οὔσας ἐάσουσιν ἀβλαβεῖς, ὡς κοινοὺς ὄντας ἁπάντων εὐεργέτας. *In prœliis quidem hostes alii alios interficiunt: at agricolas relinquunt intactos tanquam in commune vtiles.* De Belisario Suidas: εἰς δὲ τοὺς ἀγροίκους τοσαύτη φειδώ τε καὶ προνοία ἐχρῆτο, ὥστε βιασθῆναι μὲν αὐτοὺς οὐδὲν πώποτε στρατηγοῦντος Βελισαρίου πεῖραν. *Agricolis ita parcebat, ac tantam pro illis curam gerebat, vt eo duce nulli vnquam eorum vis illata fuerit.* *Lib. II. Bibl.*

XII. Addit canon mercatores, quod non tantum de his qui temporariam in hostico moram agitant intelligendum est, sed & de subditis perpetuis: nam & horum vita ab armis aliena est: ac sub hoc nomine cõtinentur simul alii opifices & artifices quorum quæstus pacem amat, non bellum.

XIII. Vt ad eos veniamus qui arma gesserunt, iam ante retulimus dictum Pyrrhi apud Senecam qui vetari nos ait pudore id est æqui respectu ne capto vitam adimamus. Similem Alexandri sententiam attulimus quæ cum feminis coniungit captiuos. Accedat illud Augustini: *Hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas: Sicut bellanti & resistenti violentia redditur, ita victo vel capto misericordia iam debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur.* Propheta Elisæus regem Samariæ sic alloquitur: *An quos captiuos abduceres gladio tuo & arcu tuo eos interimeres?* Apud Euripidem in Heraclidis quærenti nuntio, *Ad Bonif. Epist. 1.* *II. Reg. VI. 22.*

Hostem perimere vestra lex ergo vetat?

respondet chorus,

Quem Mars reliquit prælio superstitem.

ibidem Eurystheus captiuus:

Quæ me necabunt non erunt puræ manus.

Parcere captiuis iubet boni & æqui natura, vt in philosophicis scriptis dicentem Senecam non diu est cum audiuimus. Et laudari in historiis eos videmus qui cum nimia captiuorum multitudo oneri aut periculo esse posset, dimittere omnes quam occidere maluerunt.

V. de benef. cap. 18.

XIV. Easdem ob causas vitam saluam paciscentium, siue in prælio, siue in obsidione non repudianda deditio. Sopater. *νόμος ὅτι τοὺς ἱκέτας σώζειν ἐν τοῖς πολέμοις: moris is seruare supplices in bellis.* In obsessis oppidis obseruatum id Romanis antequam murum aries percussisset. Cæsar Aduaticis denuntiat se eorum ciuitatem conseruaturum, si priusquam aries murum attigisset, se dedidissent. qui mos nunc quoque obtinet in locis infirmis antequam machinæ igniariæ explodantur: in munitioribus, antequam in mœnia impetus fiat. At Cicero non tam quid fiat quam quid natura æquum sit respiciens sic ea de re pronuntiat. *Et cum ijs quos vi deuiceris consulendum est, tum ij qui armis positis ad imperatorum fidem confugiunt, quamuis murum aries percusserit recipiendi.*

Lib. II. de bello Gallico.

Off. 1.

XV. Eadem æquitas iubet parci his qui sine conditionibus se victori permittunt aut supplices fiunt. *Trucidare deditos sæuum* censente Tacito. Sallustius similiter de Campsanis qui se Mario dediderant, cum puberes interfectos narrasset, addit facinus fuisse contra ius belli, naturale scilicet. Idem alibi: *non armatos neque in prælio belli iure sed supplices interfectos.* Et Liuio vt iam diximus *iure belli in armatos repugnantesq; cædes.*

Ann. XII. Bello Ing.

Lib. 1. de rep. ord.

XVI. Aduersus hæc æquitatis ac iuris naturalis præcepta exceptiones adferri solent minimè iustæ, nempè si talio exigatur, si terrore opus sit, si pernacius restitum sit. Atqui hæc non sufficere ad iustam cædem facile intelliget qui eorum meminerit quæ de iustis occidendi causis supra sunt prodita. A captiuis & deditis

deditis aut dedere se cupientibus periculum nõ est: vt ergo iuste occidantur oportet crimen antecedat, & quidem tale quod æquus iudex morte vindicandum censeret. Atque ita videmus interdum in captos aut deditos sæuitum, aut deditionem sub vitæ pacto non acceptam, si qui de iniustitia belli conuicti tamen in armis perstitissent, si immanibus conuitiis famam hostis laceraſſent, si fidem violaſſent, aut aliud gentium ius vt legatorum, si transfugæ essent. At talionem natura non admittit nisi in ipsos qui deliquerunt: neque sufficit quod hostium vnum quasi corpus fictione quadam intelligatur, vt ex iis potest intelligi quæ de pœnarum communicatione supra à nobis tractata sunt. Vtilitas etiam quæ ex terrore in posterum speratur ad ius dandum cædis non pertinet: sed si subsit ius, potest inter causas esse ob quas ius non remittatur. Obstinatius autem studium in suas partes, si modo causa earum non sit omnino inhonesta, supplicium non meretur, vt Belisario apud Procopium significant Neapolitani: aut si qua eius pœna est nõ debet ad mortem peruenire: neque enim id statueret æquus iudex. Alexander cum in oppido quodam quod acrius restiterat puberes omnes iussisset interfici, visus est Indis bellare latronum more: eamque famam reueritus Rex victoria clementius vti cœpit. Multo vero minus cædem iustam facit dolor ex accepta clade, sicut Achillem, Æneam, Alexandrum amicis suis sanguine captorum aut se dedentium parentasse legimus.

Vide Vict. de iure belli, n. 49. & 60.

Lib. V. Goth.

Bolian. lib. IV.

XVII. Sed & vbi delicta sunt talia vt morte digna videri possint, misericordiæ erit ob multitudinem eorũ aliquid decedere de summo iure: cuius clementiæ auctorem ipsum habemus Deum qui Cananæis eorumque vicinis populis longe flagitiosissimis pacem offerri voluit, quæ vitam ipsis sub tributaria con-

Deut. XX. 10.

II. de Ira, cap. 19. ditione concederet. Pertinet huc Senecæ dictum: *Ita singulos seueritas imperatoris destringitur: at necessaria est venia, vbi totus deseruit exercitus. Quid tollit iram sapientis? Turba peccantum.* Et Lucani illud:

Tot simul infesto iuuenes occumbere leto
Sæpè fames, pelagique furor, subitæque ruinæ,
Aut cœli terræque lues, aut bellica clades,
Nunquam pœna fuit.

Pro Cluent. *Ne nimium multi pœnam subirent, sortitio comparata est,* inquit Cicero.

XVIII. De obsidibus quid ex iure naturæ statuendum sit accipi potest ex iis quæ in superioribus dicta à nobis sunt. Olim cum vulgo crederetur quisque in vitâ suam id iuris habere quod in res alias quæ in proprietatem veniunt, atque id ius consensu aut tacito aut expresso à singulis peruenisse ad ciuitatem, minus mirandum est si obsides priuatim innoxios ob peccatum ciuitatis morte affectos legamus, siue tanquam ex suo peculiari consensu siue tanquam ex publico cui & suus includeretur. At postquam verior sapientia nos docuit dominium in vitam Deo exceptum, sequitur vt solo consensu nemo ius cuiquam dare possit in vitam aut suam aut ciuis sui. Atque ideo Narseti bono duci atrox visum de innoxiis obsidibus supplicium sumere narrat Agathius: de aliis alij. Quod autem ex recentioribus Iurisconsultis non ignobiles, cõuentiones tales valere dicunt si moribus firmentur, accipio, si ius vocant solam impunitatem quæ in hoc argumento sæpè venit sub tali nomine: sin à peccato immunes putant qui ex conuentione sola vitam adimunt alicui, vereor ne & fallantur ipsi & periculosa auctoritate alios fallant. Plane si qui obses venit est aut ante fuit in numero grauiter delinquentium, aut postea fidem à se datam in re magna fefellit, fieri potest

Vict. de iure belli, n. 43.

Lib. I.

Menoch. arb. q. 7.

est vt supplicium iniuria vacet. At Cloeliæ quæ non sua sponte sed ciuitatis iussu obses venerat, cum tranato Tyberi effugisset, apud regem Ethruscum non tuta solum sed & honorata virtus fuit, quæ Liuij in hac re enarranda verba sunt. *Lib. II.*

XIX. Illud adhuc addēdum est omnes commissiones quæ ad ius consequendum aut bellum finiendum nullius sunt vsus, sed meram habent virium ostentationem propositam, & cum officio Christiani hominis & cum ipsa humanitate pugnare. Itaque serio hæc vetare debent rectores, inutiliter fusi sanguinis rationem ei reddituri, cuius vice gladium gestant.

CAP. XII.

Temperamentum circa vastationem & similia.

I. *Quæ vastatio iusta sit & quatenus:*
II. *Abstinendum à vastatione si res nobis fructuosa sit & extra hostis potestatem.*
III. *Si magna sit spes celeris victoriæ:*
IV. *Si hostis habeat alunde quo se sustentet:*
V. *Si res ipsa ad bellum fouendum nullius sit vsus.*
VI. *Hoc maximè locum habere in his quæ sacra sunt aut sacris accedunt:*
VII. *Item religiosis:*
VIII. *Vtilitates quæ ex tali moderatione sequuntur annotatæ.*

I. RES alterius vt perdere quis sine iniuria possit horum trium vnum antecedat necesse est: aut necessitas talis quæ in primi dominij institutione excepta debeat intelligi, vt si quis tertij gladium

quo vsurus sit furiosus periculi sui euitandi causa in amnem proiiciat, quo ipso tamen casu manere obligationem damni resarciendi ex veriore sententia alibi diximus, aut debitum aliquod procedens ex inæqualitate, nimirum vt res perdita imputetur in illud debitum quasi percepta: alioqui enim ius nō esset: aut meritum aliquod malum cui pœna talis par sit aut cuius mensuram pœna non excedat: nam vt rectè notat sani iudicii Theologus, vt propter pecora abacta aut domos aliquas incensas totum regnum vastetur æquitas non fert: quod & Polybius vidit, qui in bello non in infinitum vult vagari pœnam, sed vsque eo vt delicta æquo modo expientur. Et hæ quidem causæ & intra hos duntaxat fines faciunt vt absit iniuria. Cæterum nisi causa vtilitatis suadeat stultum sit nullo suo bono nocere alteri: Ideo qui sapiunt vtilitatibus moueri solent, quarum præcipua est illa, quam annotauit Onesander: τὸν δὲ τῶν πολεμίων φθειρίτω καὶ καιέτω καὶ πιμνέτω· ζημία γὰρ χημάτων καὶ καρπῶν ὀνήσιμα μεῖοι πόλεμον ὥσπερ ἡ ὐσία πρίφει. *Hostium terram perdere, vrere, populari meminerit. Nam & pecuniarum & frugum penuria bellum minuit, quantum auget copia.* Et illa quidem populatio ferenda est quæ breui ad pacem petendam hostē subigit; quo genere belli vsus Halyattes in Milesios, Thraces in Byzantios, Romani in Campanos, Capenates, Hispanos, Ligures, Neruios, Menapios. At si rectè rem expendas, plerunque admittuntur talia odio magis quam prudenti ratione. Ferme enim euenit vt aut causæ illæ suadentes cessent, aut vt aliæ sint validiores quæ dissuadeant.

Vict. de iure bell. n. 52. & 56.

Lib. V.

Strat. c. 6.

Herod. l. I. Pol. l. IV. Front. strat. III. c. 4. Liu. lib. V. VII. XXXIV. XL. Cæs. de bello Gall. l. VI.

II. Id eueniet primum, si nos ipsi rem frugiferam ita teneamus vt hostibus non possit esse in fructu. Quo propriè spectat lex diuina quæ in vallum bellique opera vult impendi arbores feras: frugiferas vero asseruari ad victum, addita causa, quod non vt homines ita

&

& arbores aduersum nos in prælium consurgere possint: quod ex rationis similitudine Philon etiam ad agros frugiferos producit legi hæc verba affingens: *Quid rebus inanimis quæ & mites sunt, & mites fructus ferunt* De creat. *iraſceris? An verò in morem hominum qui hostes sunt, inimicitiæ significationem arbores produnt, vt pro his quæ faciunt aut facere minantur stirpitus euellendæ sint? Quin prosunt victoribus præbentque copiam rerum quas necessitas exigit, imo & ad voluptatem. non soli homines tributa ferunt, sed meliora arbores statis temporibus, ac talia vt sine iis viuere non detur.* Iosephus vero ad eundem locum, si vocem edere possent arbores clamaturas ait, iniquè se, cum belli causſæ non sint, perferre belli pœnas. Porphyrius vero mores Iudaicos describēs libro de non edendis animalibus quarto, legem hanc, cōsuetudine vt puto interprete, etiam ad animantia ruris operi inseruientia producit. nam his quoque vt in bello parceretur à Mose præceptum ait. Consentit cum hac lege ducis Athenienſis Timothei prudens moderatio, qui narrante Polyæno, οὐκ ἐπέτρεπεν ὅτε οἰκίαν ὅτε ἔπαυλιν καθαιρεῖν· ὁ μὲν ὑδὲ ἥμερον δένδρον ἐκκόπειν: *non patiebatur aut domum, aut villam dirui, aut arborem frugiferam exscindi.* Exstat & lex Platonis de Republica quinto, μήτε γῆν τέμνειν, μήτε οἰκίαν ἐμπιπράναι: *ne terra vastetur, ne domus incendātur.* Multo vero magis hoc locum habebit post plenam victoriam. Corinthum excisam non probat Cicero, vbi tamen fœde tractati Off. I. erant Romanorum legati: idemque alibi horrificum, nefarium, omni imbutum odio dicit bellum, quod parietibus, tectis, columnis, postibus fit. Agamemnon apud Senecam: Troadibus.

Equidem fatebor (pace dixisse hoc tua
Argiva tellus liceat) affligi Phrygas,
Vinciq; volui, ruere & aquari solo,
Etiam arguissem.

Ios. VI. II. Reg. III. 19. Sane docet nos sacra historia vrbes quasdam à Deo damnatas excidio: etiam contra legem illam generalẽ arbores Moabitarum iussas exscindi. Verum non factum id odio hostili, sed iniustam detestationem facinorum quæ aut publicè erant cognita, aut Deo iudice tanti æstimata.

II. Secundo eueniet quod diximus etiam in dubia agri possessione, si magna spes sit celeris victoriæ, cuius præmium & ager & fructus futuri sint. Sic Alexander Magnus milites, narrante Iustino, à populatione Asiæ prohibuit, *parcendũ suis rebus præfatus nec perdenda ea quæ possessuri venerant.* Sic Quintius Philippo Thessaliam transcurrente populabunda manu, ipse hortatus est milites, vt Plutarchus loquitur, iter facere tanquam per concessam & ipsorum iam factam regionẽ. Crœsus Cyro suadens ne Lydiam populandam militi daret: *non meam*, inquit, *vrbẽ, non res meas diripies: nihil enim ad me iam ista pertinent: tua sunt: tua illi perdent.* Aliter qui faciunt in eos non male quadrant illa Iocastæ ad Polynicem verba Thebaïdibus Senecæ:

Lib. XI. Vita Flamin. Herod. lib. 1.

Petendo patriam perdis: vt fiat tua
Vis esse nullam. quin tua causa nocet
Ipsum hoc, quod armis vertis infestis solum,
Segetesque adustas sternis & totos fugam
Edis per agros. Nemo sic vastat sua:
Quæ corripi igne, quæ meti gladio iubes,
Aliena credis.

Atque hoc nomine Alexander Isius culpat Philippum libro Polybij XVII. cuius verba Latine hunc in modum vertit Liuius: *In bello non congredi (Philippum) æquo campo neque collatis signis dimicare, sed refugientem incendere ac diripere vrbes, & vincentium præmia victum corrumpere. At non sic antiquos Macedonum Reges, sed acie bellare solitos, vrbibus parcere quantum possent, quo opulentius imperium haberent.* Nã

Lib. XXXII.

de quo-

de quorum possessione dimicetur tollentem nihil sibi prater bellum relinquere, quod consilium esse?

IV. Tertio idem fiet si hostis habere possit aliunde quo se sustentet: puta si mare, si fines alii pateant. Archidamas apud Thucydidem in oratione qua Lacedæmonios suos à bello in Athenienses dehortatur, quærit quas belli gerendi spes habeant: an forte quod militum copiâ valeant sperent Atticum agrum à se facile posse vastari: atqui, inquit, habent illi & terras alias suæ ditionis (Thraciam & Ioniam intelligens) & maritimis aduectionibus adipisci possunt ea quorum indigent. Tali ergo statu optimum factu vt agricultura etiam in ipso collimitio tuta maneat: quod sub tributo vtrique parti præstando factum diu in Belgicogermanico bello nuper vidimus. Estque id consentaneum mori veteri Indorum, apud quos vt Diodorus Siculus loquitur, τῶν γεωργῶν ἱερῶν καὶ ἀσύλων ἐωμένων οἱ πλησίον τῶν παρατάξεων γεωργοῦντες ἀνεπαισθήτως τῶν κινδύνων εἰσί, *Agricolæ intacti sunt ac velut sacrosancti, imo prope castra & agmina opus faciunt sepositi à periculo.* Addit, τὰς χώρας τῶν ἀπολεμούντων οὐ πυρπολοῦσιν οὐδὲ δενδροτομοῦσιν. *Hostium agros neque vrunt neque exscindunt arbores.* Inter Cyrum quoque & Assyrium conuenisse ait Xenophon vt *cum agricolis paxesset, cum armatis bellum.* Sic Timotheus partem agri maximè frugiferam elocabat colonis, vt Polyænus narrat: Imo quod Aristoteles addit ipsos etiam fructus vendebat hostibus, & ex ea pecuniâ stipendium præbebat militi: quod à Viriato etiam factum in Hispania testis est Appianus: Idque quod ipsum in eo quod diximus Belgico-germaniæ bello summâ cum ratione & vtilitate fieri vidimus, exteris mirantibus. Hos mores humanitatis magistri canones Christianis omnibus, vt maiorē cæteris humanitatē debētibus ac profitentibus, imitandos proponunt, ideoq; *Lib. V.* *Oecon. ii.*

non

pfa. de treug. & pac. non agricolas tantum sed & animalia quibus arant, & semina quæ ad agrum portant, extra belli periculum poni volunt; nimirum similem ob causam ex qua ciuiles leges quæ ad arandum vsui sunt vetant in pignus capi, & apud Phrygas olim, postea apud Romanos bouem aratorem occidere nefas erat.

Nic. Damasc.

I. executores. C. quæ res pign.

V. Quarto euenit vt res quædam eius sint naturæ quæ ad bellum faciendum aut ducendum nihil momenti habeat: quibus rebus parci etiam manente bello ratio vult. Huc pertinet Rhodiorum oratio ad Demetrium vrbicapum pro pictura Ialysi, sic à Gellio Latinè expressa, *Quæ malum ratio est vt tu imaginem istam velis incendio ædium facto disperdere? nam si nos omnes superaueris, & oppidum hoc totum ceperis, imagine quoque illa integra & incolumi per victoriam potieris: sin vero nos vincere obsidendo nequieris, petimus consideres, ne turpe tibi sit quia non potueris Rhodios vincere, bellū cum Protogene mortuo gessisse.* Polybius rabiosi esse animi ait ea perdere quæ nec hosti perdita vires adimant, nec perdenti emolumentum adferant, qualia sunt templa, porticus, statuæ & similia. Marcellus laudante Cicerone, *ædificijs omnibus Syracusarum publicis & priuatis sacris & profanis sic pepercit quasi ad ea defendenda cū exercitu non expugnāda veniisset.* Idem postea. *Maiores nostri relinquebāt iis quæ iucūda victis, nobis leuia videbātur.*

Lib. XV. c. 31.

Lib. V.

Verr. II.

Lib. IV.

VI. Hoc vero sicut in aliis ornamentis valet ob eam quam iam diximus causam, ita specialis ratio accedit in ijs quæ sacris vsibus dicata sunt: quanquam enim & hæc, vt alibi diximus, publica suo modo sunt, atq; ideo impunè per ius gentium violantur, tamē si nullum inde periculum sit, conseruari talia ædificia & quæ eis accedunt suadet rerum diuinarum reuerētia inter eos maximè qui eundem Deum ex eadem lege volunt, etiamsi fortè sententiis quibusdam aut ritibus dissideant. Sic Agathius narrat Francos templis pepercisse

Syl. de bello, pig. n 5. Lib. II.

cisse vt qui cum Græcis essent eiusdem religionis. Imò & hominibus ob templa parci solitum, quod (ne profanarum gentium quæ multa sunt exempla adferam) in Gothis Romæ captoribus sic laudat Augustinus. *Testantur hoc Martyrum loca & basilicæ Apostolorum quæ in illa vastatione victos ad se cõfugientes suos alienosque receperunt. huc vsque cruentus sæuiebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidationis furor: illò ducebantur à miserantibus hostibus, quibus* (malimqui nam distinguit mitiores à durioribus) *etiam extra ipsa loca pepercerant ne in eos incurrerent qui similem misericordiam non haberent: qui tamen etiam ipsi alibi truces atque hostili more sæuientes posteaquam ad loca illa veniebant, vbi fuerat interdictum quod alibi iure belli licuisset, tota sæuiendi refrænabatur immanitas & captiuandi cupiditas frangebatur.* *L. 1. de ciuit. Dei.*

VII. Quod de sacris dixi, idem de religiosis intelligendum est, etiam de ijs quæ in honorem mortuorum structa sunt. nam & hæc, quanquam ius gentium impunitatem iræ in ista exercendæ indulget, violari non possunt nisi contemtâ humanitate. Summam esse rationem aiunt Iuriscõsulti quæ facit pro religione. Tam pro religiosis quam pro sacris pia exstat Euripidis sententia Troadibus: *L. sunt persona, D. de religiosis.*

μῶρος δὲ θνητῶν ὅστις ἐκπορθεῖ πόλεις,
ναούς τε τύμβους τ', ἱερὰ τῶν κεκμηκότων,
ἐρημίᾳ δοὺς αὐτὸς ὤλεθ' ὕστερον.

Homo quisquis vrbes vastat & dis Manibus
Sedes sacratas, templaque, haud rectè sapit:
Nam similis ipsum pestis excidij manet.

Statio Annibal sacrilegus qui deûm face miscuit aras. Scipio capta Carthagine milites donis ornat, χωρὶς τῶν εἰς τὸ Ἀπολλώνειον ἁμαρτόντων, inquit Appianus: exceptis qui in Apollinis templum peccauerant. Marcus Marcellus, quę victoria profana fecerat, religione impeditus non attigit, ait Cicero Verrinâ quartâ, & ibidẽ *Pun.*

addit

addit hostem in bello religionis & consuetudinum iura retinere. Idem alibi Brenni bellum fano Apollinis illatum nefarium dixit. Philippi bellum similiter Liuius nefarium, quasi diis superis inferisque illatum. Florus de eodem: *Philippus vltra ius victoriæ in templa, aras, sepulchra sæuiit.* Eandem historiam tangẽs Polybius hoc addit iudicium: Τὰ μήτε τοῖς ἰδίοις πράγμασιν ἐπικουρίαν μέλλοντα μηδ' ἡντινοῦν παρασκευάζειν, μήτε τοῖς ἐχθροῖς ἐλάττωσιν πρός γε τὸν ἐνεστῶτα πόλεμον, ἐκ περιτοῦ καὶ ναοὺς, ἅμα δὲ τούτοις ἀνδρίαντας καὶ πᾶσαν δὴ τὴν τοιαύτην κατασκευὴν λυμαίνεσθαι, πῶς οὐκ ἂν εἴποι τις εἶναι τρόπου καὶ θυμοῦ λυττῶντος ἔργον. *Quæ neque nobis ad bellum futura sunt vsui, nec hostibus incommodatura, ea ire perditum, templa maximè & quæ in iis simulacra & similia ornamenta, quis neget malæ mentis & præ ira furibundæ esse opera:* Atque ibidem talionis non admittit excusationem.

VIII. Quanquam verò propriè instituti nostri hic non est quid ex vsu sit inquirere, sed laxam bellandi licentiam adducere ad id quod natura licitum aut inter licita melius est, tamen ipsa virtus, vilis hoc sæculo, ignoscere mihi debet si, quando per se contemnitur, ex vtilitatibus ipsi pretium facio. Primum igitur moderatio ista in seruandis rebus quæ bellum non morantur, magnum hosti telum eripit, desperationem. Archidami dictum est apud Thucydidem: μὴ γὰρ ἄλλο τι νομίζετε τὴν γῆν τῶν πολεμίων ἢ ὅμηρον ἔχειν καὶ οὐχ ἧσσον ὅσῳ ἄμεινον ἐξείργασται, ἧς φείδεσθαι χρὴ ὡς ἐπιπλεῖστον καὶ μὴ εἰς ἀπόνοιαν καταστήσαντας αὐτοὺς ἀληπτοτέρους ἔχειν. *Terram hostilem non aliud quam obsidem censete, tantoq; meliorem quanto magis exculta est: quare & vt plurimum ei parcendum est, ne desperatio hostes reddat inuictiores.* Hoc est quod dicit Satyra: *Spoliatis arma supersunt.* Liuius narrans captam à Gallis vrbem: *Placuerat,* inquit, *principibus Gallorum non omnia concremari tecta, vt quodcunque superesset vrbis id pignus ad flecten-*

dos

dos hostium animos haberẽt. Adde quod speciem hoc præfert manẽte bello magnæ de victoria fiduciæ: & quod clementia apta per se frangendis & conciliandis animis. Annibal apud Liuium in Tarentino agro nihil violat: *Apparebat*, ait, *non id modestiæ militum aut ducis, nisi ad conciliandos Tarentinorum animos fieri.* Simili de causa Augustus Cæsar in Pannoniis rapina abstinebat. Causam Dio adfert, ἤλπιζε γὰρ ἑκόντας αὐτοὺς ἐπάξεσθαι. *Sperabat enim fore vt sic eos sine vi sibi adiungeret.* Timotheus ea cura quam suprà narrauimus præter alia πολλῷ τῷ εὐνοᾳ τῶν πολεμίων ἐθήρευεν, ait Polybius, *magnam ab hostibus ipsis beneuolentiam captabat.* De Quintio, & qui cum eo erant Romanis Plutarchus, cum quæ suprà diximus commemorasset, addit: *Huius modestiæ non multo post fructum cepere. nam vt in Thessaliam peruentum est, defecerunt ad eum vrbes. Tum verò & qui intra Thermopylas habitabant Græci Quintium ardentibus votis desiderabant: Achæi verò renuntiatâ Philippi amicitiâ societatem aduersus eum cũ Romanis inierunt.* De Lingonũ ciuitate quæ bello, quod ductu Cerealis, auspiciis autem Domitiani in Ciuilem Batauum eiusque socios gerebatur, populationẽ formidatam euaserat, sic narrat Frontinus, *quod cõtra expectationem inuiolata nihil ex rebus suis amiserat, ad obsequiũ reducta septuaginta millia armatorũ tradidit ei.* Verissimum autem sentio, quod à Theologis quibusdam notatum est, & summarum potestatum & ducũ qui Christianos se & à Deo & ab hominibus haberi volunt, officium esse, violentis vrbium direptionibus & siquid his simile est intercedere, vt quæ abire non possint sine grauissimo multorum innocentium malo, & sæpè ad belli summam parum proficiant: ita vt bonitas Christiana ferè semper, ipsa quoque iustitia plerumque ab ipsis abhorreat.

Lib. XXXIV. Lib. XLIX. Lib. III. Lib. V. c. 5. Ægid. Regius de actibus supern. disp. 31. dub. 7. n. 127.

CAP.

CAP. XIII.

Temperamentum circa res captas.

I. *Res etiam hostilium subditorum bello captas retineri ad modum debiti:*

II. *Non etiam in pœnam alieni criminis.*

III. *Debitum hic intelligi etiam quod in bello subnascitur. Exempla.*

IV. *Humanitatis esse summo iure hic non vti.*

I. SED neque peccato vacare aut à restitutionis onere immunis censeri debet rerum hostilium in bello iusto captura. Quippe si id quod rectè fit spectas, nō vltra licitum est capere aut habere quam causa subest debendi in hoste: excepto quod etiam extra eam ad securitatem necessariam res possunt detineri, sed restituendæ, cessante periculo, in se aut in pretio secūdum ea quæ libro 11. cap. 11. tractauimus. nam quod & in re pacatorum liceret multo magis in re hostiū licet. Hoc igitur est capiendi quoddam ius sine acquirendi iure. Cum autē deberi aliquid nobis possit aut ob inæqualitatem rerum, aut ex pœna, potest ex vtraque causa acquiri res hostilis sed cum discrimine tamen. nam supra diximus ex debito illo priore non res tantum debētis sed & subditorum eius ex introducto iure gentiū quasi fideiussione obligari. Quod quidem ius gentium alterius generis credimus quam illud quod in impunitate sola, aut externa vi iudiciorum consistit. Nam sicut in res nostras ex consensu priuato nostro ei qui cum actum est non externum modò sed & internum ius quæritur, sic & ex communi quodam cōsensu, qui singulorum cōsensum vi quadam in se cōtinet, quo sensu lex

Vict. de iure belli, n. 55. 56.

Caiet. in sum. pec. verbo belli damnum, Couar. ad d. cap. peccatum, p. 11. n. 11. Vict. de iure belli, n. 39. & 41. Molina II. tract. disp. 117.

λεκ πόλεως συνθήκη κοινή, communis pactio ciuitatis dicitur. Atque id in hoc negotii genere placuisse gentibus eo est credibilius, quia hæc lex gentium non sola maioris mali virandi causa sed etiam iuris cuique sui consequendi gratia introducta est.

II. At in altero debendi genere quod pœnale est non video gentium consensu tale ius in res subditorum esse proditum. odiosa enim est talis rerum alienarum obligatio, ideoque latius produci non debet, q̃ actum appareat. Neque vero par est vtilitas in posteriore hoc, & in priore debendi genere. nam prius illud est in bonis, posterius hoc non est, ideoque persecutio eius sine damno omitti potest. Nec obstat quod supra de iure Attico diximus. Nam ibi homines obligabantur non ex eo proprie quod ciuitas puniri poterat, sed duntaxat ad cogendam ciuitatem id facere & facere debebat, id est iudicium reddere in sontem & debitũ ex officio ad prius illud non ad posterius debendi genus refertur: aliud enim est debere punire, aliud debere aut posse puniri, quanquam ex cessatione circa illud hoc sequi solet, sed ita vt distincta sit causa illa & hoc effectum. Ergo pœnæ nomine acquiri res subditorum hostilium non poterunt sed eorum duntaxat qui ipsi deliquerint in quibus & magistratus continentur qui delicta punienda non puniunt. *Lib. III. c. 6.*

III. Cæterum res subditorum & capi & acquiri possunt non tantum ad consecutionem debiti primarii vnde ortum est bellum, sed & subnascentis secundum ea quæ diximus initio huius libri. Et sic accipiendum est quod scribunt Theologi quidam, capta in bello non compensari cum debito principali: intelligendum enim hoc vsque dum secundum sanum iudicium satisfactum sit de eo damno quod in ipso bello datum est. sic in disceptatione cum Antiocho Romani *Syl. verb. bellum, n. 10. Vict. n. 51 Bart. in l. si quid bello, D. de capt. Li. XXVI.*

Liuio narrante impensam quæ in bellum facta esset omnem præstare regem æquum censebant cuius culpa bellum excitatum esset. Apud Iustinum est *impensas belli lege iusta suscepturus:* Apud Thucydidem damnantur Samij χρήματα τὰ ἀναλωθέντα ἀποδοῦναι, soluere belli impensas. Et alibi sæpè. Quod autē victis iuste imponitur idem & bello iuste extorquetur.

Lib. XXXIII.

IV. Cæterum sciendum est quod & alibi meminimus, latius patere caritatis quam iuris regulas. Qui diuitiis floret immisericordiæ reus erit si inopem debitorem omnibus reculis suis excutiat, vt ipse vltimum quadrantem consequatur, multoque magis si is ipse debitor in id debitum venerit sua bonitate, vt si pro amico fideiusserit, ipse autem nihil pecuniæ verterit in rem suam. Tamen tam durus creditor contra ius strictè dictum nihil facit. Quare exigit humanitas vt his qui extra culpam sunt belli, quique non alio quam fideiussorio nomine obstricti sunt, relinquantur res istæ quibus nos facilius quam ipsi careamus, præsertim vero si satis appareat illos ipsos id quod eo modo amiserunt à ciuitate sua non recuperaturos. Notandum & hoc cum in subsidium introductum sit ius hoc in bona subditorum innocentium, quam diu spes est nos nostrum satis facile consequi posse ab originariis debitoribus, aut ab iis qui ius non reddendo sponte sua debitores se faciunt, ad eos venire qui culpa vacant, etiamsi concedatur cum stricto iure non pugnare, subire tamen ab humanitatis regula. Exempla huius humanitatis extant passim in historia præsertim Romana, vt cùm agri hostibus deuictis ea conditione concessi vt in ciuitatem venirent, ideſt victæ ciuitati cederent, aut cum ex agris modicum honoris gratia veteri possessori relinquebatur. Sic deditas vrbes non diripi sæpè legas: & supra diximus non personis tantum

Ægidius Regius de actibus supernaturalibus, disp. 31. dub. 7. n. 117.
L. in agris de acq. rer. dom.
D l in agris. l. si verberatus. §. nonsi ager. D de rei vind.
Vid. de iure belli, n. 40.

tum sed & rebus agros colentium cum laude & ex pio Canonum præscripto parci, saltem sub tributo & sub simili tributo solere & mercibus concedi à bello immunitatem. *Syl. in verbo bellum p. 1. §. 10. n. vers. 3.*

CAPVT XIV.

Temperamentum circa captos.

I. *Quousque capere homines liceat iustitia interna:*
II. *Quid interno iustitiæ dominio in seruum liceat:*
III. *Non licere occidere innocentem:*
IV. *Non punire inclementer:*
V. *Non operas nimium graues imponere.*
VI. *Peculium quomodo domini, quomodo serui.*
VII. *An seruis fugere liceat.*
VIII. *An è seruis nati domino teneantur & quatenus.*
IX. *Quid faciendum vbi captorum seruitus in vsu non est.*

I. QVIBVS in locis captiuitas hominum & seruitus in more est, si internam iustitiam respicimus limitanda primum est ad rerum instar vt scilicet eousque licita sit talis acquisitio quousq; debiti aut primarij aut subnascentis quantitas patitur, nisi forte in ipsis hominibus peculiare sit delictum quod libertatis damno puniri æquitas ferat. Hactenus igitur nec vltra iustum bellum gerens in hostis subditos captos ius habet, idque in alios valide transfert. *Vict. de iure belli, n. 41. Dec. l. II. c. 5. dub. 4. Couar. c. peccatum, pag. 11. §. 11. Molina disp. 120. & 121. Valentia disp. 3. q. 16.*

II. Sed primum notandum hic est ius illud quod quasi ex fideiussione pro ciuitate oritur neutiquam tã latè patere quam ius quod ex delicto nascitur in eos qui pœnæ serui fiunt. vnde Spartanus quidam captiuum se dicebat non seruum. nam si rem rectè inspici-

mus ius hoc generale in captos ex bello iusto par est ei iuri quod habent domini in eos qui se paupertate coacti in seruitutem vendiderunt, demto quod etiam magis miseranda est eorum calamitas qui non suo facto speciali sed regentium culpa in eam sortem deueniunt. Δεινότατον δουλωτὸν γενέσθαι: *Res acerbissima est belli iure captiuũ fieri*, teste Isocrate. Est ergo seruitus hęc perpetua obligatio operarij pro alimentis itidem perpetuis. Chrysippea definitio huic generi seruorum optime congruit: *Seruus est perpetuus mercenarius.* Et lex Hebræa eum qui inopia coactus se vendidit diserte mercenario comparat. Deut. xv. 18. 40. 53. & in redemtura eius operas ita vult ipsi prodesse sicut fructus ex agro vendito percepti prodessent veteri domino. Deut. xviii. 50. Multum ergo distat id quod impunè in seruum fit ex gentium iure & id quod naturalis ratio fieri sinit. Ex Seneca supra citauimus. *Cum in seruum omnia liceant est aliquid quod in hominem licere commune ius animantium vetet.* Philemonis istud eodem tendit:

Plataico.

Sen. de benef. l. III. c. 22.

1. de Clem. c. 18.

χὰν δοῦλος ᾖ τις, οὐδὲν ἧττον, δέσποτα,
ἄνθρωπος ὑπό; ὅστις ἂν ἄνθρωπος ᾖ.
Here quisquis est homo natus, quamuis seruiat
Is seruitutem, tamen esse homo non desinit.

Alibi idem Seneca: *Serui sunt, imo homines: serui sunt, imo contubernales: serui sunt, imo humiles amici: serui sunt, imo conserui.* quod plane sensum eundem habet cum Pauli Apostoli dicto. *Domini, ius & quod æquum est seruis præstate, gnari vobis quoque dominum esse in cœlo.* Et alibi vult dominos cum seruis non minaciter agere eo quod iam diximus argumento, quòd & ipsi dominum in cœlo habeant qui ad talia qualitatum discrimina non attendat. Clemens Alexandrinus seruis nos vti vult tanquam alteris nobis. quando homines sunt non minus quam nos, secutus sapientis Hebræi dictum, εἰ ὅτι σοὶ οἰκέτης ὡς αὐτὸν

Ep. XLVII.

Coloss. IV. 1.

Ep. VI. 9.

Pæd. vltim.

αὐτὸν ὡς ἀδελφὸν ὅτι ὡς ἡ ψυχή σου. *Si seruum habeas vt fratre vtere, talis enim est qualis tu.*

III. Ius ergo vitæ & necis quod dicitur in seruum domino præstat, vt domesticam habeat iurisdictionem, sed nimirum eadem religione exercendam, quâ publica exercetur. Hoc voluit Seneca cum dixit *in mãcipio cogitandũ non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura quæ parcere etiam captiuis & pretio paratis iubet.* qui & alibi: *Quid interest*, ait, *quali quis teneatur imperio si summo tenetur?* quo loco comparat subditum seruo & ait dispari titulo, paria in illos licere: quod certè in hac parte vitæ adimẽdæ & si quid eo accedit verissimum est. *Maiores nostri*, ait idem Seneca, *domum nostram pusillam rempublicam esse iudicarunt.* Cato Censorius narrante Plutarcho, si quis seruus capital admisisse videretur de eo supplicium non sumebat, nisi postquam damnatus esset etiam conseruorum iudicio.

1. de Clem. 18.

Lib. III. de Benef. c. 18. Ep. XLVII.

IV. Sed & circa minores pœnas puta verbera in seruos, adhibenda est æquitas, imo & clementia: *Non opprimes eum, non dominaberis ei dure*, ait lex diuina de seruo Hebræo quod nunc prolatâ vi proximitatis ad omnes seruos debet extendi. Deuter. xv. 17. 45. 53. Ad quem locum sic Philo: θεράποντες τύχῃ μὲν ἐλάττονι κέχρηνται, φύσεως δὲ τῆς αὐτῆς μεταποιοῦνται τοῖς δεσπόταις· τῷ δὲ θείῳ νόμῳ κανὼν τῶν δικαίων ἐστὶν οὐ τὸ τύχης, ἀλλὰ τὸ τῆς φύσεως ἐναρμόνιον· διὸ προσήκει τοὺς κυρίους μὴ κατακόρως χρῆσθαι ταῖς ἐξουσίαις κατὰ τῶν οἰκετῶν, ἀλαζονείαν καὶ ὑπεροψίαν καὶ δεινὴν ὠμότητα ἐπιδεικνυμένους· ταῦτα γὰρ οὐκ ἔστι δείγματα ψυχῆς εἰρηνικῆς ἀλλ' ὑπ' ἀκρασίας τὸν ὑπεύθυνον (male editum ἀνεύθυνον) κολαζούσης κατὰ τυραννικὴν δυναστείαν. *Serui fortuna quidem inferiores sunt: natura autem pares dominis: at diuinæ legi iusti regula est non quod fortunæ, sed quod naturæ congruit. Ideo non oportet dominos potestate sua in seruos proteruè vti, nec eam*

materiam sumere superbiæ & insolentiæ, & diræ feritati. Hæc enim signa animi non placidi, sed male temperati, & in subditos tyrannico quodam dominatu sæuientis. Numquid nã æquum est, ait Seneca, *grauius homini & durius imperari quam imperatur animalibus mutis? atqui æquum non crebris verberibus exterret domandi peritus magister, fiet enim formidolosus & contumax nisi eum tactu blandiente permulseris.* Et mox: *quid stultius quam in iumentis quidem & canibus erubescere iram exercere, pessima autem conditione hominem esse?* Hinc est quod Hebræa lege seruo aut ancillæ non pro oculo tantum sed & pro dente excusso, per iniuriam scilicet, libertas debebatur.

Exo. XXI. 26. 27.

V. Sed & operæ cum modo exigendæ sunt, & valetudinis seruorum humanè habenda ratio. Quod ipsum præter alia spectat lex Hebræa in Sabbati institutione nimirum vt laboribus aliquod daretur spiramẽtum. Est C. Plinii epistola ad Paulinum quæ sic incipit, *Video quam molliter tuos habeas, quo simplicius confitebor tibi, qua indulgentia meos tractem. Est mihi semper in animo Homericum illud:* ἠπιοδὲ πατὴρ ὡς, ἤπιος ἦεν, *& hoc nostrum paterfamilias.* In eadem voce veterum humanitatem obseruat & Seneca: *Ne illud quidem videtis quam omnem inuidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam seruis detraxerint? dominum patremfamiliæ appellauerunt, seruos familiares.* Tertullianus: *Gratius est nomen pietatis quam potestatis: etiam familiæ magis patres quam domini vocantur.* Hieronymus siue Paulinus ad Celantiam: *Familiam tuam ita rege & constitue vt te matrẽ magis tuorum quam dominam videri velis à quibus benignitate potius quam seueritate exige reuerentiam.* Augustinus: *Domestica pax à iustis patribus ita olim administrata est vt qui secundum hanc temporalia bona filiorum sortem à seruorum conditione distinguerent, ijdem ad Deum colendum omnibus domus suæ membris pari dilectione consulerent: quod naturalis ordo ita præscribit vt nomen patrisfamilias hinc exortum sit, & tam*

Exod. XX. 10. XXIII. 12. Deut. X. 14.

Ep. XLVII.

Lib. XIX. de Ciuit. Dei, cap. 16.

& tam late vulgatum vt inique etiam dominantes hoc se gaudeãt appellari. Qui autem veri patresfamilias sunt omnibus in familia sua tanquam filiis ad colendum & promerendum Deum consulunt. Similem pietatem in voce puerorũ quo seruos significabãt annotauit Seruius ad illud Maronis, *Claudite iam riuos pueri*, nec dissimile quod Heracleotæ seruos suos Mariandynos δωροφόρους, id est donatarios appellabant, ἀφαιροῦντες τὸ πικρὸν τῆς προσηγορίας parcentes acerbitati nominis, vt ad Aristophanem vetus interpres Callistratus notabat.

VI. Pro opera vt diximus alimenta seruo debentur: *Est aliquid*, ait Seneca, *quod dominus præstare seruo debeat vt cibaria, vestiariũ.* In cibariis erãt quaterni modii frumẽti in mensem quos præstitos seruis Donatus auctor est. Martianus Iurisconsultus esse ait quæ dominus necesse habet seruo præstare vt tunicas & similia. Damnatur ab historiis Siculorum crudelitas qui captiuos Athenienses fame necabant. Insuper Seneca dicto loco probat in quædam liberum esse seruum & beneficii quoque habere materiam, si quid fecerit quod seruilis officium modum excedat, quod non ex imperio sed ex voluntate præstetur, vbi ex ministerio in affectum amici transitur, quod latè explicat. His consentaneum est, vt si quid seruus, quemadmodum apud Terentium est, summ defraudans gentium comparsit, aut successui temporis diligentia quæsiuit, id aliquo modo sit ipsius. Non male Theophilus peculium definit οἰκείαν φυσικὴν naturale patrimonium quasi contubernium definias naturale matrimonium, sed & Vlpianus peculium dixit pusillum patrimonium. Nec refert quod peculium dominus suo arbitrio adimere potest aut minuere; neque enim quod æquum est faciet si sine causa id faciat. Causam vero intelligo non pœnam modo, sed & domini necessitatem: nam serui

Lib. III. de Ben. Ad Phorm. art. 1. Se. 1.

L. Peculiũ nascitur, De de peculio. Thuc. lib. VII. Diod. lib. XIII.

Inst. quod cum eo qui in alt. p. L. depositi, §. 5 D. de peculio.

tutas

vtilitas vtilitatibus domini subest, magis etiam quam res ciuium ciuitati. Appositè ad hanc rem Seneca: *non ideo nihil habet seruus quia non est habiturus si dominus illum habere noluerit.* Et hinc est quod dominus non repetit si quid seruo in seruitute debitum post manumissionem soluit: quia (vt Tryphoninus ait) debiti vel non debiti ratio in condictione naturaliter intelligitur: dominus autem seruo debere naturaliter potest. Itaque sicut clientes in vsum patronorum & subditos in vsum regum, sic seruos in vsus heriles contulisse legimus, vt si filia dotanda, si captiuus filius redimendus, & si quid his euenisset simile. Apud aliquas gentes etiam plenius quoddam res acquirendi ius seruis concessum legimus, sicut seruitutis plures esse gradus à nobis alibi tractatum est. Ad hanc internam quam exponimus iustitiam multos apud populos etiam ius illud exterius dominorum leges retraxerunt. Nam & apud Græcos seruis durius habitis licebat μεϛόν αἰτεῖν ad venditionem proclamare, & Romæ ad statuas confugere, aut præsidum implorare opem contra sæuitiam vel famē vel intolerabilem iniuriam. Illud vero iam non ex iure stricto sed ex humanitate & beneficentia veniet, interdum tali quæ & debeatur, vt post longas operas aut valde magnas libertas detur seruo. Posteaquam iure gentium seruitus inuasit, secutum est beneficium manumissionis ait Vlpianus. Exemplo sit illud Terentianum:

VII. de benef. 4.

L. si quid, D. de cond. indeb.

Dionys. lib. II.

Lib. II. c. 3.

Inst. de his qui sui vel al.

L. manumissiones, D. de Iust. & Iur.

——*feci è seruo vt esses libertus mihi*
Propterea quod seruibas liberaliter.

Saluianus in vsu quotidiano esse ait vt serui etsi non optimæ saltem non improbæ seruitutis libertate donentur. addit, *& illa quæ in seruitute positi conquisierant ex dominorum domo tollere non vetantur.* Et hic quoque laudanda benignitas legis Hebreæ quæ seruum Hebræū certo

Lib. III.

Deut. XV. 11.

certo tempore exacto manumitti omnino iubet nec sine donis, de cuius legis contemtu grauiter queruntur Propheræ.

VII. Quæstio hic incidit an fugere fas sit ei qui bello iusto captus est. non de eo agimus qui suo proprio delicto pœnam eam est commeritus, sed qui publico facto in hanc fortunam decidit. Verius est fas non esse, quia ex conuentione vt diximus gentium communi operas suas ciuitatis nomine debet. Quod tamen ita est intelligendum nisi intolerabilis sæuitia hanc ipsi imponat necessitatem. *Silu. verbo seruitus. §. 3. Fortunius, in l. manumissiones. D. de iustitia & iure. Ægidius Regius de act. super. disp. 31. dub. 7. num 119. Less. l. 11. c. 5. dub. 5.*

VIII. Mouimus alibi dubitationem an & quatenus nati ex seruis domino teneantur interno iure, q̃ hic ob specialem bello captorum considerationem omitti non debet. Si parentes suo delicto pœnam mortis erant commeriti poterunt eorum posteri qui sperabãtur, ad vitam seruandam obstringi seruitio, quia alioqui extituri non fuerant. nam & ob alimenta alioquin defutura prolem suam parentes in seruitutem vẽdere possunt vt tibi diximus. Tale est ius quod in Cananæorum posteros Hebræis Deus concedit. Pro debito autem ciuitatis ij quidem qui iam nati erant vt pars ciuitatis obligari poterint non minus quam parentes ipsi. at in nondum natis non videtur hæc causa sufficere, sed alia requiri: aut ex parentum consensu expresso accedente alendi necessitate, idque etiam in perpetuũ: aut ex ipsa alimentorum præstatione idque duntaxat vsque dum operæ totum quod impensum est expunxerint. Si quid vltra iuris in hos domino datur, id videtur ex lege ciuili dominis plus æquo largientibus procedere. *L. 11. c. 5.* *Deut. XV. 13.*

IX. At quas apud gentes ius illud seruitutis ex bello in vsu non est, optimum erit permutari captiuos: proximum dimitti pretio non iniquo. Hoc quale sit præ-

cise definiri non potest: sed humanitas docet non vltra intendi debere quam deducto ne egeat captus rebus necessariis: nam & leges ciuiles hoc multis indulgent qui suo facto proprio in debitum inciderunt. Alibi hoc pactis aut moribus definitur: vt apud Græcos olim mina, nunc inter milites menstruo stipendio. Excelsioris animi est illud Pyrrhi à Cicerone laudatum:

Nec mi aurum posco nec mi pretium dederitis:
Ferro non auro vitam cernamus vtriq;:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit
Eorundem libertati me parcere certum est.

Non dubium quin crediderit Pyrrhus iustum à se bellum geri: tamen parcendum existimabat eorum libertati quos probabiles causæ in bellum tulissent. Simile Cyri factum celebrat Xenophon, Philippi Macedonis post victoriam in Chæronea Polybius.

VII. Cyrop.

CAP. XV.

Temperamentum circa acquisitionem imperii.

I. *Quatenus iustitia interna permittat imperium acquiri.*
II. *Laudabile esse hoc iure in victos abstinere:*
III. *Siue eos miscendo victoribus:*
IV. *Siue relinquendo imperium his qui habuerant:*
V. *Interdum impositis præsidiis:*
VI. *Aut tributis etiam & similibus oneribus.*
VII. *Vtilitas ab hac moderatione indicatur.*
VIII. *Exempla: & de mutata forma reipublicæ apud victos.*
IX. *Imperium si assumendum sit, rectè partem eius victis relinqui:*

X. *Aut*

X. *Aut certè libertatem aliquam:*
XI. *Præcipuè in religione:*
XII. *Saltem victos clementer haberi oportere: & cur?*

I. QVÆ in singulos aut exigitur æquitas, aut laudatur humanitas, tanto magis in populos aut in populorum partes quanto in multos insignior est & iniuria & beneficentia. Iusto bello vt alia acquiri possunt ita & ius imperantis in populum, & ius quod in imperio habet ipse populus: sed nempe quatenus fert aut pœnæ nascentis ex delicto aut alterius debiti modus: Quibus addenda est causa vitandi periculi summi. Sed hæc causa plerumq; cum aliis miscetur, quę tamen ipsa tum in pace constituenda, tum in vtenda victoria maximè spectanda est. Nam cętera est vt remittantur ex misericordiâ: In publico autem periculo quę modum excedit securitas, immisericordia est. Isocrates ad Philippum, τῶν βαρβάρων ἐπὶ ποσοῦτον ἐξαρκέσει κρατεῖν ὅσον ἐν ἀσφαλείᾳ καταστῆσαι τὴν σαυτοῦ χώραν: *barbari hactenus edomandi sunt, quantum satis erit vt tuam regionem in tuto colloces.* *Vict. de iure belli, n. 38. & 59.*

II. Crispus Sallustius de Romanis veteribus, *Maiores nostri religiosissimi mortales nihil victis eripiebant præter iniuriæ licentiam.* Digna quæ à Christiano diceretur sententia: quicum illud eiusdem conuenit: *Sapientes pacis causa bellum gerunt & laborem spe otii sustentant.* Aristoteles non semel dixerat πόλεμον εἶναι εἰρήνης χάριν, ἀχολίαν δὲ σχόλης, *bellum pacis & negotium otii causa institutum* Nec aliud vult Cicero, cuius hoc est sanctissimum effatum: *Bellū ita suscipiatur vt nihil aliud nisi pax quæsita videatur.* Eiusdem & hoc simile: *Sic suscipienda bella sunt ob eam causam, vt sine iniuria in pace viuatur.* Nihil hæc distant ab his quæ nos docent veræ religionis Theologi finem belli esse amouere ea quæ pacem perturbant. Ante Nini tempo- *Iugurth.* *De rep. VII. c. 14. & 15. & X. Nic. c. 7.* *De Offic. I.* *Th. 1. 2. q. 40 art. 1. ad 3.*

Wil. Mat. de bello, sec. requis. p. 7. tempora vt ex Trogo alibi dicere cœpimus fines imperij tueri magis quam proferre mos erat: intra suam cuique patriam regna finiebantur: Reges non imperium sibi sed populis suis gloriam quærebant, contentique victoria imperio abstinebant: quo nos retrahit quantum potest Augustinus cum ait: *Videant tamen ne forte non pertineat ad viros bonos gaudere de imperij latitudine.* qui & hoc addit: *felicitas maior est vicinum habere concordem, quam vicinum malum subiugare bellantem.*

De ciuit. Dei, lib. IV. 15.

III. Ad hoc antiquæ innocentiæ exemplar proximè accessit veterum Romanorum prudens modestia: *Quid hodie esset imperium*, ait Seneca, *nisi salubris prouidentia victos permiscuisset victoribus? Conditor noster Romulus*, ait apud Tacitum Claudius, *tantum sapientia valuit vt plerosq; populos eodem die hostes, deinde ciues habuerit.* Liuius rem Romanam auctam dicit hostibus in ciuitatem recipiendis. Exempla extant in historiis Sabinorum, Albanorum, Latinorum, deinde aliorum ex Italia: donec postremo,

L. II. de ira, cap. 34.

Lib. I.

Cæsar Gallos in triumphum duxit, idem in curiam.

Tandem quod mirandum maximè in orbe Romano qui sunt, ex constitutione imperatoris Antonini ciues Romani effecti sunt quæ verba sunt Vlpiani. ex eo vt Modestinus ait Roma communis patria est. Et de Roma Claudianus:

L. in orbe, D. de stat. hom. l. Roma, D. ad munic.

Huius pacificis debemus moribus omnes
Quod cuncti gens vna sumus.

IV. Alia moderatæ victoriæ species est victis aut regibus aut populis relinquere quod habuerant imperium. Sic Hercules, Priami

Sen. Troad.

Hostis parui victus lachrymis,
Suscipe dixit, rector habenas,
Patrioque sede celsus solio:
Sed sceptra fide meliore tene.

Sic

Sic Persæ reges victis regibus regnum relinquebant. Sic Poro Alexander. Laudat hoc Seneca, *nihil ex rege victo præter gloriam sumere.* Et Polybius celebrat Antigoni bonitatem, qui cum Spartam haberet in potestate reliquerit ipsis, τὸ πατρῖον πολίτευμα καὶ τὴν ἐλευθερίαν, rempublicam maiorum ac libertatem, quo ex facto maximas per Græciam laudes consecutus ibidem narratur. Sic Cappadocibus permissum à Romanis vti qua vellent reipublicæ forma: Et multi populi post bellum relicti liberi. *Carthago libera cum suis legibus est*, aiût Rhodii ad Romanos post bellum Punicum secundum. Pompeius τῶν εἰλημμένων ἔθνῶν τὰ μὲν αὐτόνομα ἀφίει, inquit Appianus, *ex deuictis gentibus quasdam reliquit liberas.* Et Quintius Ætolis dicentibus pacem firmam esse non posse nisi Philippus Macedo regno pelleretur, dixit sententiam eos dixisse immemores Romanorum moris, victis parcendi: addidit, *Aduersus victos mitissimum quemq; maximum animum habere.*

Herod. lib. VII.
Cicero. 1.
Liu. lib. XXXII.
Mithrid.

V. Interdum simul cum concessione imperii consultum victorum securitati. Sic à Quintio decretum, Corinthus redderetur Achæis, vt in Acrocorintho tamen præsidium esset: Chalcidem ac Demetriadem detineri, donec cura de Antiocho decessisset.

VI. Tributorum quoque indictio sæpè non tam ad factorum sumtuum restitutionem quam ad securitatem & victoris & victi in posterum pertinet. Cicero de Græcis: *Simul illud Asia cogitet nullam à se neque belli externi, neque discordiarum domesticarum calamitatẽ abfuturam fuisse, si hoc imperio non teneatur: id autem imperium cum retineri sine vectigalibus nullo modo posit, æquo animo parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atq; otium.* Petilius Cerealis apud Tacitum pro Romanis apud Lingonas aliosq; Gallos sic disserit: *Nos quanquam toties lacessiti iure victoriæ id solum vobis addidimus quo pacem tueremur.*

Lib. 1. ad Q. Frat. epist. 1.
Hist. IV.

mur. nam neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipẽdiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Eodem pertinent & alia quæ expressimus cum de inæquali federe ageremus, tradere arma, classem, elephantos non habere aciem, non exercitum.

VII. Vt autem victis relinquatur suum imperium, non tantum humanitatis est sed sæpè & consilij. Inter Numæ instituta laudatur, quod à Termini sacris omnem sanguinem abesse voluit, significans ad quietẽ & certam pacem nihil vtilius quàm suis se finibus tenere. Optimè Florus: *Difficilius est prouincias obtinere quàm facere: viribus parantur, iure retinentur.* Darij regis legati Alexandro: *Periculosum est peregrinum imperium: difficile est continere quod capere non possis. Facilius est quædã vincere quàm tueri: quàm Hercule expeditius manus nostræ recipiunt quàm cõtinent.* Quod alibi Plutarchus explicat corij similitudine, quod alia parte se tollat simul aliam pede presseris: Et T. Quinctius apud Liuium comparatione testudinis tutæ ad ictus vbi collecta in suum tegmen est, obnoxiæ atque infirmæ simul exseruerit sui partem. Plato III. de legibus huc aptat Hesiodi dictum: *Omni dimidium plus.* Et Appianus notat non paucos populos qui sub Romano imperio esse vellent, ab ipsis repudiatos: alijs etiam reges datos.

Plut. quæst. Rom. 15.

VIII. Lacedæmonij & initio Athenienses in captas ciuitates nullum sibi vindicabant imperium: tantùm eas republica vti volebãt ad suam accommodata, Lacedæmonij quidem sub primorum potentia, Athenienses sub arbitrio populi, vt Thucydides, Isocrates, Demosthenes nos docent, quod ipsum in comœdia sic notat Heniochus illorum temporum scriptor.

Thuc. t. Isoc. Paneg. Dem. orat. de Chers.

γυναῖκε δ' αὐτὰς δυ' ἐταράττετόν τινε,
ἀεὶ σύνοδσαι· δημοκρατία θάτερα
ὄνομ' ἐστὶ, τῇ δ' ἀριστοκρατία θάτερα,

δι' ἃς

δι' ἃς παρωνήκασιν ἤδη πολλάκις.
Tum geminæ ad illas acceſerunt mulieres
Quæ cuncta conturbarunt: Optimatitas
Eſt nomen alteri, alteri Popularitas,
Quarum incitatu pridem externatæ furunt.

Simile eſt quod Tacitus ab Artabano narrat Seleuciæ factum: *Plebem primoribus tradidit*, inquit, *ex ſuo vſu: nam populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiæ libidini propior eſt.* Sed eiuſmodi mutationes an ad victoris ſecuritatem faciant non eſt noſtræ inſpectionis. *An. 5.*

IX. Si minus tutum ſit omni in victos imperio abſtinere, temperari tamen res poteſt, vt aliquid imperij relinquatur ipſis aut ipſorum regibus. Populi Romani conſuetudinem vocat Tacitus vt haberet inſtrumenta ſeruitutis & reges. Eidem Antiochus inſeruientium regum ditiſſimus. Βασιλεῖς ῥωμαίων ὑποτήκοοι in commentariis de Muſonio. Lucanus: *Hiſt. II.*

Atque omnis Latio quæ ſeruit purpura ferro.

Sic apud Iudæos manſit ſceptrum in Synedrio vſque ad confiſcationem Archelai. Nos de modis miſcendi imperij diximus alibi. Quibuſdam pars regni relicta, ſicut veteribus poſſeſſoribus agrorum pars: vnde Tetrarcharum nomen.

X. Sed & cum omne imperium victis eripitur relinqui illis poſſunt circa res priuatas & publicas minores ſuæ leges ſuique mores & magiſtratus. Sic in Bithynia proconſulari prouincia Apamæa ciuitas priuilegium habuit ſuo arbitrio rempublicam adminiſtrãdi vt Plinij epiſtolæ nos docent & alibi Bithynis ſui magiſtratus, ſuus ſenatus. Sic & in Ponto Amiſenorum ciuitas legibus ſuis vtebatur Luculli beneficio. Gothi victis Romanis leges reliquerunt Romanas. *Lib. X. epiſt. 48. & 84. & 117. & 119. lib. epiſt. 97.*

XI. Huius indulgentiæ pars eſt auitæ religionis vſum victis niſi perſuaſis nõ eripere: quod vt victis pergratum,

gratum, ita victori innoxium probat Agrippa oratione ad Caium, quam Philo recitat in legationis suæ renuntiatione. Et apud Iosephum, tum ipse Iosephus, tum Titus Imperator rebellibus Hierosolymitis objiciunt, quod Romanorum beneficio sacris suis tanto cum iure vterentur, vt templo alienigenas arcere possent etiam capitis periculo. At si falsa apud victos religio, ne vera opprimatur, rectè curabit victor, quod Constãtinus fecit fractis Licinij partibus, & post eum Franci alijque reges.

XII. Postrema cautio hæc est vt in imperio etiã plenissimo & quasi herili, victi clementer habeantur & ita vt eorum vtilitates cum victoris vtilitatibus socientur. Britanni temporibus Taciti delectum ac tributa & iniuncta imperij munera impigre obibant, si iniuriæ abessent: has ægrè tolerabant: iam domiti vt parerent, nondum vt seruirent. Priuernas ille in Senatu Romano interrogatus qualem ab ipsis pacem Romani exspectandam haberent: *Si bonam dederitis*, ait, *& fidam & perpetuam. si malam haud diuturnam*: ratione addita: *ne credideris vllum populum, aut hominem denique, in ea conditione cuius eum pœniteat diutius quam necesse sit mansurum.* Sic Camillus dicebat firmissimũ imperium esse, quo obediẽtes gaudeant. Salubris ad victoriæ vsum Taciti sententia: *Bellorum egregii fines quoties ignoscendo transigitur.*

Vit. Agr.

Liu. lib. VIII.

Liu. Lib. VIII.

CAPVT XVI.

Temperamentũ circa ea quæ iure gentium postliminio carent.

I. *Internam iustitiam exigere vt reddantur quæ hostis noster alij iniusto bello eripuit.*
II. *Exempla.*
III. *An quid deduci possit.*
IV. *Etiam populos subditos aut populorum partes reddendas his quorum fuerant si ab hoste iniustè occupati sint.*
V. *Quo tempore obligatio reddendi extinguatur.*
VI. *Quid faciendum in dubia causa.*

I. QVOVSQVE ex bello iusto res capientium fiant diximus supra, quibus de rebus deducenda sunt quæ recipiuntur postliminij iure. sunt enim hæc pro non captis. At quæ bello iniusto quæruntur restituenda diximus, nec ab iis tantum qui ceperunt, sed & ab aliis ad quos res quoquo modo peruenit. nemo enim plus iuris ad alium trãsferre potest quam ipse habuit, aiunt iuris Romani auctores, quod Seneca breuiter explicat, *nemo potest quod non habet dare.* Dominium internum non habuit qui primo cepit: quare nec illud habebit qui causam ab ipso obtinet: dominium ergo secundus aut tertius possessor accepit quod docendi causa externum vocamus: id est commodum hoc vt vbique iudiciatiâ auctoritate ac manu pro domino tuendus sit: quo tamen si vtatur aduersus eum cui res malo facto erepta est faciet non probe. Nam quod de seruo qui à latronibus captus mox ad hostes peruenerat responderunt Iurisconsulti nobiles, verum esse eũ subreptum esse, nec quod hostium fuisset aut postli-

L. si noxale. §. ex his, D. de nox. act. L. traditio, D. de acquir. dom. Lib. V. de benef. c. 12.

L. latrones, D. de capt.

minio redijſſet ei rei impedimento eſſe, idem ex naturali iure reſpondendum eſt de eo qui bello iniuſto captus mox bello iuſto aut alia ratione in alterius venit poteſtatem. nam in iure interno bellum iniuſtum latrocinio nihil diſtat.

Ægid. Regius de act. ſupern. diſt. 31. dub. 7. n. 122.

II. Reddendæ ergo res tales his quibus fuerant ereptæ, quod & factum ſæpè videmus. Liuius cùm retuliſſet Volſcos à Poſthumio dictatore fuſos: *Prædæ pars ſua cognoſcẽtibus Latinis atque Hernicis reddita: partem ſub haſta dictator vendidit.* Idem vbi Samnitium de Campanis victoriam narrauerat, *quod lætiſſimum victoribus fuit, captiuorum recepta ſeptem millia & quadringenti: præda ingens ſociorum: accitique edicto domini ad res ſuas noſcendas recipiendaſq; præſtituta die.* Mox ſimile recitat factum Romanorum: *Samnites Interamnam coloniam Romanorũ occupare conati vrbem non tenuerunt: agros depopulati cũ prædam aliam inde mixtam hominum atque pecudum colonoſq; captos agerent, in victorem incidunt cõſulem ab Luceria redeuntem, nec prædam ſolum amittunt, ſed ipſi longo ac impedito agmine incompoſiti cæduntur. Conſul Interamnam edicto dominis ad res ſuas noſcendas recipiendaſque conuocatis exercitu ibi relicto comitiorũm cauſa Romam eſt profectus.* Alibi de præda agens quam ad Ilipam Luſitaniæ vrbem Cornelius Scipio ceperat ſic ait idẽ ſcriptor: *Ea omnis ante vrbem expoſita eſt, poteſtaſque dominis res ſuas cognoſcendi facta: cætera vendenda quæſtori data: quod inde effectum eſt, militi dimiſum.* Poſt pugnam T. Gracchi ad Beneuentum: *præda omnis, præterquã hominum captiuorum, militi conceſſa eſt & pecus exceptum eſt quod intra triginta dies domini cognouiſſent*, eodem Liuio auctore. De L. Æmylio Gallorum victore Polybius τὰ λεία ἀπέδωκε τοῖς προσήκουσι, prædam iis reddidit à quibus abacta fuerat. Idem feciſſe Scipionem Plutarchus & Appianus narrant cum Carthagine captâ multa ibi inueniſſet donaria quæ è Siciliæ vrbibus & aliunde Pœni eo aduexerant.

Lib. X.

Lib. XXIV.

Hiſt. LII.

Plut. Apoph.

App. Pun.

Sic

Sic Phaneas Ætolus restitui Ætolis æquum censebat quę ante bellum habuissent: Nec negabat T. Quinctius, si de vrbibus bello captis ageretur, & societatis leges non rupissent Ætoli. *Liu. l. XXXIII.*

III. Quod si commercio res talis ad aliquem peruenerit, poteritne is ei cui res fuit erepta pretium à se numeratum imputare? Consentaneum est his quæ alibi diximus posse imputari, in quantum ipsi qui rem amiserat valitura fuerat desperatæ possessionis recuperatio. Quod si tale impedium repeti potest, quidni & æstimatio laboris ac periculi, perinde ac si quis rem alienam in mari perditam vrinando eduxisset? Apposita ad hanc quæstionem mihi videtur historia Abrahami cum quinq; regum victor Sodoma rediret וישב את כל הרכש ait Moses, *Reduxit omnes illas res*, nempè quas à regibus captas superius narrauerat: Nec alio referenda conditio regis Sodomorum quam fert Abrahamo, vt captiuos redderet, cætera sibi retineret pro labore & periculo. At ipse Abrahamus vir non pij tantum animi sed & excelsi, sibi quidem nihil voluit sumere: cęterum de rebus receptis (nam ad eas vt diximus spectat ista narratio) quasi suo iure decumam Deo dedit, detraxit sumtus necessarios & sociis suis partem aliquam tribui voluit *Gen. XIV. 16.* *Com. 20, 21, 22, 23, 24.*

IV. Sicut autem res domino reddendæ sunt, ita & populi & partes populorum his qui ius imperij habuerant, aut etiam sibi, si sui fuerant iuris ante vim iniustam. Ita Sutrium receptum restitutumque socijs Camilli æuo ex Liuio discimus. Græciæ ciuitates quas Macedones inuaserant à Flaminio redditæ libertati. Idem & in colloquio cum Antiochi legatis æquum esse censuit liberari Asię vrbes quæ Græcj essent nominis quas Seleucus Antiochi proauus bello ceperat, amissas receperat idem Antiochus: *Neq; enim in Æolidem* *Liu. lib. VI.* *Id. LXXIII.* *Lib. XXXIV.*

Ioniamque coloniæ in seruitutem regiam missæ sunt, aiebat, *sed stirpis augendæ causa gentisque vetustissimæ per orbem terrarum propagandæ.*

V. Solet & de temporis spatio quæri, quo reddendæ rei obligatio interna possit extingui. Sed hæc quæstio inter eiusdem imperii ciues definienda est ex legibus ipsorum (si modo illæ internum ius concedunt, non in externo solo consistunt quod ex verbis & proposito legum prudenti inspectione colligendum est) inter eos verò qui alii aliis externi sunt ex sola coniectura derelictionis, de qua diximus alibi, quantum instituto nostro sufficit. *Lib. II. c. 4.*

Cic. Off. II. VI. Quod si valde ambiguum sit ius belli, optimum erit Arati Sicyonii consilium sequi, qui partim nouis possessoribus persuasit vt pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent, partim veteribus dominis vt commodius putarent numerari sibi quod tanti esset quam suum recuperare.

CAP. XVII.

De his qui in bello medii sunt.

I. *A pacatis nihil sumendum nisi ex summa necessitate cum restitutione pretii:*
II. *Exempla abstinentiæ & præcepta.*
III. *Quod sit officium pacatorum circa bellantes.*

I. SVPERVACVVM videri posset, agere nos de his qui extra bellum sunt positi, quando in hos satis constet nullum esse ius bellicum. Sed quia occasione belli multa in eos, finitimos præsertim, patrari solent prætexta necessitate, repetendum hic breuiter quod diximus *Lib II. c. 12.*

diximus alibi, necessitatem vt ius aliquod det in rem alienam summam esse debere, requiri præterea vt in ipso domino par necessitas non subsit: etiam vbi de necessitate constat, non vltra sumendum quam exigit: id est, si custodia sufficiat non sumendum vsum; si vsus, non sumendum abusum: si abusu sit opus, restituendum tamen rei pretium.

II. Moses cum summa ipsum & populum necessitas vrgeret transeundi per agros Idumæorum, primũ ait transiturum se via regia, neque deflexurum in arua aut vineta: Si vel aqua ipsorum opus haberet persoluturum se eius pretium. Idem præstiterunt laudati & Græcorum, & Romanorum duces. Dercyllides narrante Xenophonte, παρήγαγε τὸ στράτευμα διὰ τῆς φιλίας χώρας μηδὲν βλάψας τοὺς συμμάχους; copias duxit per fines pacatos ita vt nullo detrimento socii afficerentur. De Sulla Velleius: *Putares venisse in Italiam, non belli vindicem, sed pacis auctorem: tanta cum quiete exercitum per Calabriam Apuliamque cum singulari cura frugum, agrorum, vrbium, hominum, perduxit in Campaniam.* De Pompeio Magno Tullius: *Cuius legiones sic in Asiam peruenerunt, vt non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur.* De Germanico ita Frontinus: *Cùm in finibus Vbiorum castella poneret, pro fructibus eorum locorum quæ vallo comprehendebat pretium solui iussit, atq; ea iustitiæ fama omnium fidem sibi astrinxit.* De Parthica Alexandri Seueri expeditione Lampridius: *Tanta disciplina, tanta reuerentia sui egit, vt non milites, sed senatores dicerentur: quacunq; iter milites faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant, ipsum verò ob hæc tot & tanta bona prouinciales, vt Deũ susciperent.* De Gothis, Hunnis, Alanis, qui Theodosio merebant Panegyrista: *Nullus tumultus, nulla confusio, nulla direptio vt à barbaris erat; quin si quando difficilior frumentaria res fuisset, inopiam patiẽter ferebat, & quã numero arclarat annonã*

Num. XX. 17.

Lib. II.

Pro lege Manilia.

Lib. II. strat. cap. II.

comparcendo laxabat. Stiliconi Claudianus idem tribuit:

Tanta quies tantusq; metus seruator honesti
Te moderante fuit, nullis vt vinea furtis
Aut seges erepta fraudaret messe colonum.

Et Belisario Suida. Hoc præstabat exacta cura prouisus rerum necessariarum, & bene soluta stipendia, & vigor disciplinæ, cuius legem audis apud Ammianū: *pacatorum terras non debere calcari.* Et apud Vopiscum: *Nemo pallium alienum rapiat: ouem nemo contingat, vuam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit.* Item apud Cassiodorum: *Viuant cum prouincialibus iure ciuili: nec insolescat animus qui se sentit armatum: quia clypeus ille exercitus tui quietem debet præstare paganis.* Ex quibus dictis optimè interpreteris illud magni Prophetæ, imo Propheta maioris monitum: μηδένα διασείσητε, μηδὲ συκοφαντήσητε καὶ ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν: *A concussione, à calumnia in quosuis abstinete. contenti estote stipendiis vestris.* Cui simile illud Aureliani apud Vopiscum: *annona sua quisq; vt contentus esset, de præda hostis non de lachrymis prouincialium viueret.* Nec est quod quis putet dici hæc pulchre, sed præstari non posse. Neque enim aut moneret hæc vir diuinus, aut sapientes legū auctores præciperent, si crederent impleri non posse. Denique necesse est concedamus fieri posse, quod factum videmus. Ideo attulimus exempla, quibus accedat illud insigne quod ex Scauro memorat Frontinus, pomiferam arborem quam in sede castrorum fuerat complexa metatio postero die abeunte exercitu intactis fructibus relictam. Atque hîc omittere non possum Theologorum sententiam quam verissimam puto, regem qui quæ debet stipendia militibus non soluit, non tantum militibus teneri de damnis inde secutis, sed & subditis suis & vicinis quos inedia coacti milites male habuerunt.

Lib. XVIII Aurelian.

Luc. III. 14

Lib. IV. c. 1.

Ægid. Regius de actibus supernaturalibus, disp. 31. dub. 7. num. 95.

III. Vicis-

III. Viciſſim eorum qui à bello abſtinent officium eſt nihil facere quo validior fiat is qui improbam fouet cauſam, aut quo iuſtum bellum gerẽtis motus impediantur ſecundum ea quæ dicta à nobis ſuprà ſunt: In re verò dubia æquos ſe præbere vtriſque in permittendo tranſitu, in commeatu præbendo legionibus, in obſeſſis non ſubleuandis. T. Quintius in colloquio cum Nabide: *Vos tamen, inquis, veſtramq; amicitiam ac ſocietatem propriè non violaui. Quoties vis te arguam id feciſſe? ſed nolo pluribus: ſummam rem complectar: quibus igitur rebus amicitia violatur? nempè his maximè duabus, ſi ſocios meos pro hoſtibus habeas, ſi hoſtibus te coniungas.* Apud Agathium legimus hoſtem eſſe qui faciat quod hoſti placet, & in Procopio, in exercitu hoſtium eum cenſeri qui quæ propriè ad bellum vſui ſunt hoſtili exercitui ſubminiſtrat. Demoſthenes olim dixerat: ὁ γὰρ οἷς ἂν ἐγὼ ληφθείην ταῦτα πράττων καὶ κατασκευαζόμενος οὗτος ἐμοὶ πολεμεῖ κἂν μήπω βάλλῃ μηδὲ τοξεύῃ. *Qui ea facit & machinatur quibus ego capi poßim, etiamſi nec feriat, nec iaculum emittat, hoſtis mihi eſt.* Proderit etiam cum vtraque parte bellum gerente fœdus miſcere, ita vt cum vtriuſque bona voluntate à bello abſtinere, & communia humanitatis officia vtriſque exhibere liceat.

Lib. III. c. 1.

Lib. III.

Goth. 1.

CAPVT XVIII.

De his quæ in bello publico priuatim fiunt.

I. *An priuatim hoſti nocere liceat expoſitum cum diſtinctione iuris naturalis, Gentium & ciuilis.*

II. *His qui ſuo ſumtu militant aut naues inſtruunt quid per internam iuſtitiam liceat reſpectu hoſtium:*

III. *Quid respectu suæ ciuitatis:*
IV. *Quid Christianæ dilectionis regula ab ipsis exigat.*
V. *Quomodo bellum priuatum cum publico misceatur.*
VI. *Ad quod teneatur qui sine mandato hostibus nocuit, cum distinctione explicatur.*

I. QVÆ diximus hactenus pleraq; ad eos pertinẽt, qui aut summum in bello arbitrium habẽt, aut publica imperia exsequuntur. Videndum etiam quid priuatim in bello liceat, quà naturæ, qua diuino, quà gentium iure. Narrat Officiorũ primo Cicero in Pompilij imperatoris exercitu militasse Catonis censorij filium, sed mox dimissam legionem in qua is militabat, cum nihilominus adolescens amore pugnandi in exercitu remansisset, Catonem scripsisse ad Pompilium vt si eum vellet remanere in exercitu, secundo eum sacramento militiæ obligaret, addita causa, quia priore amisso, iure cum hostibus pugnare non poterat. Addit & ipsa Catonis ad filium verba ex epistola, quibus eum monet vt caueat ne prælium ineat: neque enim ius esse qui miles non sit pugnare cum hoste. Sic & Cyri militem laudatum legimus qui hosti imminens repressit ensem, simul receptui canere audierat. & Seneca: *Inutilis miles dicitur, qui signum receptui datum negligit.* Sed falluntur qui venire hoc putant ex iure gentium externo: nam id si spectes, sicut rem hostilem cuilibet occupare licet, vt supra ostendimus, ita & hostem occidere: nam illo iure hostes pro nullis habentur. Venit ergo quod Cato monebat ex disciplina militari Romana, cuius ea lex erat Modestino notante, vt qui mandata non seruasset capite puniretur etiamsi res bene cessisset: mandata autem non seruasse intelligebatur etiam qui extra ordinem sine ducis imperio in hostem pugnasset, vt Manliana imperia nos

Plut. Lac.
De ira, c. 9.
Lib. III. c. 6.
L. desertorem, D. de re milit.
Liu. l. VII.

nos docent: nimirum quia si id temere liceat, aut stationes desererentur aut etiã progrediente licentia exercitus parsve eius inconsultis præliis implicaretur, quod omnino cauendum erat. At ius naturæ & internum si respicimus, videtur in bello iusto cuilibet concessum ea facere quę parti innocenti intra iustum bellandi modum profutura confidit: nõ etiam res captas suas facere, quia nihil ipsi debetur: nisi forte pœnam iustam exigat communi hominum iure: Quod postremum quomodo per Euangelii legem restrictum sit ex his quæ suprà à nobis tractata sunt intelligi potest. *L.II.c.17.* Mandatum autem esse potest aut generale aut speciale. Generale vt in tumultu apud Romanos Consul dicebat, *qui rem publicam saluam volunt me sequantur*. Imo & singulis interdum subditorum ius datur occidendi etiam extra sui tutelam vbi id publicè expedit. *Seru. ad VIII. Æneid.*

II. Speciale mandatum habere possunt non hi tantum qui stipendia percipiunt, sed & qui suo sumtu militant. & qui, quod plus est, suo sumptu partem belli administrant, vt qui naues instruunt ac sustentant suis impendiis quibus vice mercedis concedi solet vt capta sua faciant, sicut alibi diximus. Id vero quatenus procedat illæsa iustitia interna, & caritate non immerito quæritur. Iustitia aut hostem respicit aut ipsam ciuitatem cum qua contrahitur. Hosti diximus eripi posse possessionem rerum omnium quæ bellum alere possunt, securitatis causa, sed hoc sub onere reddendi: ipsum vero dominium ad compensationẽ vsq; eius quod aut ab initio belli aut ex postfacto ciuitati iustum bellum gerenti debetur: siue res sint ciuitatis hostilis siue singulorum, etiam per se innocentium, bona vero nocentium etiam ex pœnæ causa adimi & acquiri capientibus posse. Fient ergo res hostiles eorum qui belli partem suo sumptu administrant, quod *C. quando liceat vnicuique. l.1. & 2.* *L.III.c.6.*

hostes attinet hactenus, vt is quē expressi modus non excedatur, quod æquo arbitratu æstimandum est.

III. Aduersus suam autem ciuitatem iustum iustitia interna id ipsum erit, si contractui æqualitas insit, hoc est si sumptus & pericula tanti sint, quanti prædæ alea. nam si hæc spes multo pluris valeat, reddendum erit ciuitati quod supererit, perinde ac si quis nimium vili pretio iactum incertum quidem, sed tamen facilem & magnæ spei emisset.

IV. Cæterum etiam cùm iustitia strictè dicta non læditur, est vt peccetur aduersus id officium quod in aliis diligendis consistit, præsertim quale Christiana lex præscribit, vt si appareat talem prædationem præcipue nocituram non hostium vniuersitati, aut regi, aut his qui per se sontes sunt, sed innocentibus, & quidem adeo vt eos detrusura sit in summas calamitates, in quas etiam eos qui priuatim nobis debent coniicere immisericordiæ foret. Quod si ad hæc accedat vt ea deprædatio neque ad finem bello imponendum, neq; ad hostium publicas vires accidēdas notabile aliquod momentum habeat, tum vero probo homine, præsertim Christiano, indignus censeri debet quæstus ex sola temporum infœlicitate.

Silu. in verbo bellum, n. 8. vers. 5.

V. Euenit autem interdum, vt occasione belli publici nascatur bellum priuatum, puta si quis in hostes inciderit, & vitæ aut rerum adeat periculum, quo euentu ea erunt obseruanda quę de concesso truēdi se modo alibi diximus. Solet & coniungi auctoritas publica cum priuata vtilitate: vt si quis magno ab hostibus damno affectus impetret ius ex rebus hostium damna sarciendi: quod ius definiendum est ex iis quæ de pignorationibus supra à nobis sunt tradita.

L. II. c. 1.

L. III. c. 2.

VI. At siquis miles aut alius etiam in bello iusto ædificia hostium incenderit, agros vastauerit atque id genus

genus dederit damna, non iussus, adde cum neque necessitas subesset, neque iusta causa, teneri eum ad sarcienda damna rectè à Theologis est proditum. Merito autem addidi quod ab illis omissum est si iusta causa non subsit. nam ea si adsit, tenebitur fortè suæ ciuitati cuius leges transgressus est. non item hosti cui nullam fecit iniuriam. Non dissimile est quod Carthaginiensis quidam Romanis Annibalem dedi postulantibus respondebat: *Non priuato publicoue consilio Saguntum oppugnatum sit quærendum censeo: sed vtrum iure an iniuriâ. nostra enim hæc quæstio atque animaduersio in ciuem nostrum est, nostro an suo fecerit arbitrio: vobiscum vna disceptatio est licueritne per fœdus fieri.* *Syl. in verbo bellum, p. 1.*

CAP. XIX.

De fide inter hostes.

I. Fidem deberi hostibus quibusuis.

II. Refellitur sententia quæ prædonibus & tyrannis fidem seruandam negat.

III. Soluitur argumẽtum sumtum ex eo quod tales pœnam merentur & ostenditur hoc non considerari vbi tanquam cum tali actum est.

IV. Non obstare quod promißio metu extorta sit, si ei qui promisit metus illatus non sit:

V. Aut si iuramentum accesserit, quanquam id aduersus prædonem impune quod homines attinet violatur.

VI. Eadem aptata ad subditos bellantes.

VII. Specialis difficultas circa promissa subditis facta ob supereminens dominium tractatur.

VIII. Et ostenditur talia promissa firmari ciuitatis iureiurando:

IX. Aut si vertius se interponat cui fiat promißio.

X. Muta-

X. *Mutatio ſtatus publici quomodo fiat.*
XI. *Metus exceptionem ad bellum ſolemne iuris gentium non pertinere:*
XII. *Quid intelligendum de metu tali quem ius Gentium agnoſcat.*
XIII. *Seruandam fidem & perfidis:*
XIV. *Non ſi conditio deficiat: quod locum habere ſi alter parti pactorum non ſtet:*
XV. *Nec ſi iuſta compenſatio opponatur:*
XVI. *Quamuis ex alio contractu:*
XVII. *Aut damno dato:*
XVIII. *Imo & ex pœna:*
XIX. *Quomodo hæc in bello locum habeant.*

I. QVID quantumque in bello liceat diximus, partim nude ſpectari, partim ex promiſſo antecedente. Parte priore abſoluta reſtat poſterior, quę eſt de fide hoſtium inter ſe. Egregium eſt Conſulis Romani Silij Italici dictum: *Lib. XIV.*

——— *optimus ille*
Militiæ, cui poſtremum primumque tueri
Inter bella fidem.

Sic & Ambroſius: *Liquet igitur etiam in bello fidem & iuſtitiam ſeruari oportere.* Et Auguſtinus: *Fides quando promittitur etiam hoſti ſeruanda eſt contra quem bellum geritur:* Nimirum hoſtes qui ſunt homines eſſe non deſinunt. At homines omnes qui ad rationis vſum peruenerũt capaces ſunt iuris ex promiſſo. Camillus apud Liuium ait ſibi cum Faliſcis eam eſſe ſocietatem quam ingenerauit natura. Ex hac autem ſocietate rationis & ſermonis, naſcitur ea de qua agimus obligatio ex promiſſo. Neque vero putãdum eſt quia hoſti falſum eloqui aut licere aut crimine vacare ex multorum ſententia ſupra diximus, pari ratione hoc & ad fidem datam referri poſſe. *Lib. II. c. 29. Epiſt. 1. ad Bonif.*

posse. Nam verum eloquendi obligatio est ex causa quæ bello fuit anterior & bello tolli forte aliquatenus potest: at promissio per se ius nouum confert. vidit hoc discrimen Aristoteles quum de veriloquio agens ait: οὐ περὶ τοῦ ἐν τοῖς ὁμολογίαις ἀληθοῦς τὸν λέγομεν, οὐδὲ ὅσα εἰς ἀδικίαν καὶ δικαιοσύνην συντείνει, ἄλλης γὰρ ἀρετῆς. *Non de eo loquimur qui in conuentionibus verax est & in iis quæ ad iustitiam & iniustitiam pertinent: sunt enim hæc alterius virtutis.* Nu. IV. 19.

II. Et supra iam diximus non recipienda illa Ciceronis: *Nulla nobis societas cum tyrannis, sed potius summa distractio est.* Item: *Pirata non est ex perduellium numero definitus: cum hoc nec fides esse debet nec iusiurandum commune.* De Tyranno etiam Seneca: *Quicquid erat quo mihi cohæreret interciſa iuris humani societas abscidit.* Ex quo fonte error Michaelis Ephesi profluxit, qui ad quintum Nicomachiorum dixit in tyranni vxorem adulterium non cõmitti. Atqui belli piraciti magnam partem Cn. Pompeius pactionibus confecit, vitam illis pollicitus, & sedes in quibus sine rapto viuerent. Et tyranni interdum libertatem reddiderunt, impunitatem pacti. Cęsar belli ciuilis tertio à Romanis ducibus cum prædonibus & fugitiuis qui in Pirenæis erant montibus actũ de compositione scribit. quis dixerit si quid conuenisset nullam inde exstituram fuisse obligationem? Non habent quidem ista specialem istã communionem q̃ inter hostes in bello solenni & pleno introduxit ius gentium: at quia homines sunt communionem habẽt iuris naturalis, vt rectè disserit Porphyrius libro de non esu animalium tertio, ex quo nascitur vt pacta seruanda sint. Sic Dio scribit ab Augusto Crocotæ latroni persolutum pretium capiti eius impositum cum se ipse sisteret, ne fides violaretur. *Lib. VII. de benef.* L. 16.

III. Videamus tamen ecquid à Cicerone non allatum

tum proferri speciosius possit Primum hoc est, quod qui atrociter malefici sunt, neque pars sunt vllius ciuitatis, hi à quouis homine puniri possunt si ius naturæ respicimus, vt alibi à nobis explicatum est. At qui puniri possunt vt vitam amittant, his & res & iura sua
Off. III. possunt auferri: sicut rectè dixit idem Cicero: *Non est contra naturam spoliare eum si possis quem honestum est necare.* Inter iura autem est & hoc ius expromisso quæsitum: potest igitur & hoc in pœnam ei auferri. Respondeo, processurum hoc si non tanquam cum malefico actum esset; at si quando cum tali qua talis est actum est, simul de remittenda, quod hanc rem attinet, pœna actum censeri debet. quia semper, vt alibi diximus, ea sumenda est interpretatio quæ cauet ne actus in vanum recidat. Non male apud Liuium Nabis cum tyrannidem ipsi obiiceret Quintius Flaminius: *De nomine hoc respondere possum, me qualiscumque sum, eundem esse qui fui cum tu ipse mecum T. Quinti societatem pepigisti.* Et mox: *Iam feceram hæc, qualiacumque sunt, cum societatem mecum pepigistis.* Addit, *si quid ego mutassem mihi meæ inconstantiæ: cum vos mutetis vobis vestræ ratio reddenda est.*

Lib. II. c. 21. IV. Deinde obiici potest quod alibi diximus, eum qui metu causam dedit promisso, teneri liberare promissorem quia damnum dedit per iniustitiam, id est per actum pugnantem & cum natura libertatis humanæ & cum natura actus qui liber esse debuit. Hoc vero sicut fatemur interdum locum habere ita non ad omnia promissa prædonibus facta pertinet. nam vt cui promissum quid est ad liberandum promissorem teneatur, opus est ipse metu iniusto causam promisso dederit. Si quis ergo, vt amicum vinculis eximeret, promiserit pretium, tenebitur: huic enim metus illatus non est qui ad contrahendum sponte venit.

V. Adde quod & qui iniusto metu coactus promisit,

sit, teneri poterit accedente iurisiurandi religione; nã inde vt alibi diximus homo non hominitantum sed & Deo obstringitur: aduersus quem metus exceptio non est. Verum tamen est, ex tali vinculo solo promittentis heredem non teneri, quia in heredem transeunt quæ in humano sunt commercio ex primæua dominii lege. at in his non est ius illud Deo quæsitum qua tale. Iterum illud quoque ex superioribus repetendum est, siquis fidem iuratam aut iniuratam prædoni datam violet, eum eo nomine pœnam apud alias gentes non debiturum: quia odio prædonum placuit gentibus quæ aduersus eos etiam vitiosè committuntur, dissimulare.

VI. Quid dicemus de subditorum bellis aduersus reges aliasque summas potestates? His, etiamsi causam per se non iniustam habeant, ius tamen per vim agẽdi deesse ostendimus alibi. Potest interdum & tanta esse aut causæ iniustitia aut resistendi improbitas vt puniri grauiter possit. Tamen si quasi cum desertoribus aut rebellibus actum sit, pœna promisso opponi non potest secundum ea quę modo diximus. Metus autem illati exceptio & hîc poterit elidi interposito iureiurando, sicut M. Pomponius tribunus plebis iureiurando obstrictus seruauit quod L. Manlio metu coactus promiserat.

VII. Sed hîc supra priores specialem difficultatem facit ius legis constituendæ & ius supereminens dominij in res subditorum quod ciuitati competit & eius nomine à summam potestatem habente exercetur. Id enim ius si ad omnes spectat res subditorum, quidni etiam ad ius ex promisso bellico natum? quod si conceditur, videtur inanes fore omnes tales pactiones ac proinde belli nisi per victoriam finiendi spes nulla. Sed notandum contra est, ius illud supereminens non promiscuè

promiscuè competere sed quatenus communiter expedit in regimine non dominico sed ciuili, etiam regio. Plerumque autem communiter expedit pacta talia seruari quo ea pertinent quæ de præsenti statu tuẽdo alibi dicta à nobis sunt.

VII. Præterea possunt pacta sanciri iureiurando, nec tantum à rege aut senatu sed & ab ipsa ciuitate, quomodo in leges suas Lacedæmonios iurare fecit Lycurgus, & ne personarum mutatione ius iurisiurandi intercideret, repeti quotannis iusiurandũ. Id enim si fiat omnino ne publicæ quidem vtilitatis causa recedendum à promisso erit: nam & de suo cedere ciuitas potuit, & verba possunt ita esse aperta, vt nullam exceptionem admittant. Est ad hanc rem pertinens disputatio per se obscurior apud Liuium libro tertio vbi ex sententia multorum iuris interpretum ait tribunos esse sacrosanctos, non etiam ædiles, iudices, decemuiros, quorum tamen si cui noceretur id non iure fieret. Causa discriminis est quod ædiles atque alii lege sola defendebantur: quod autem postremum populus iussisset id ratum erat: manente tamen lege nemini contra agere ius erat. at tribunos religio publica populi Romani tuebatur. nam iusiurandum interceserat quod ab his ipsis qui iurauerant salua religione tolli non poterat. Dionysius Halicarnassensis libro sexto: Βροῦτος ἐκκλησίαν συναγαγὼν συνεβούλευε τοῖς δημόταις ἱερὰν καὶ ἄσυλον ἀποδεῖξαι τὴν ἀρχὴν νόμῳ τε καὶ ὅρκῳ βεβαιοῦντας αὐτῇ τὸ ἀσφαλές· ἐδόκει πᾶσι πᾶσι. *Brutus concione aduocata auctor Quiritibus fuit vt magistratum hunc non lege tãtum sed & iureiurando inuiolabilẽ redderent q̃ omnibus placuit.* Ideoque improbatum fuit bonis factũ Tiberij Gracchi cum Octauio tribunatum abrogauit, dicens tribunitiam potestatem à populo habere sanctimoniam non aduersus populum. Ergo vt diximus iureiurando

&

& ciuitas & rex obstringi poterunt, etiam in causa subditorum.

IX. Sed & tertio, qui metum non intulit, promissio valide fiet: nec scrutabimur quid aut quatenus eius interfit, quæ iuris Romani sunt subtilitates. Natura enim omnium hominum interest vt hominibus aliis consulatur. Sic Philippo pace cum Romanis inita ius sæuiendi in Macedonas qui in bello ab eo defecerant ademptum legimus. *Liu. lib. XXXIX.*

X. Sed & quemadmodum probauimus alibi status mixtos interdum existere, sicut de statu puro in purum, ita & in mixtum transiri pactis potest: ita vt subditi qui fuerant incipiant summum habere imperium aut certè partem eius, etiam cum libertate partis eius vi tuendæ.

XI. Bellum vero solenne, idest publicum vtrinque & indictum, sicut alia habet peculiaria in iure externo posita, ita & hoc vt quæ in eo bello aut eius finiendi causa promittuntur adeo sint valida vt ex causa metus iniustè illati, inuito eo cui promissa sunt in irritum deduci non possint: quia sicut alia multa quantumuis vitio non carentia ex iure gentium pro iustis habentur, ita & metus qui tali bello vtrinque infertur. Quod ni id placuisset, bellis talibus quæ valde sunt frequentia, nec modus nec finis potuisset imponi: quod tamen fieri interest humani generis. Et hoc potest intelligi ius illud esse bellicum quod cum hoste seruandum ait Cicero, cui & alibi dictum, hostem in bello iura retinere, scilicet non tantum naturalia, sed & quædam ex gentium consensu orta. neque tamen hinc sequitur, enim qui tale quid bello iniusto extorsit, salua pietate, saluis viri boni officiis posse retinere quod accepit, aut etiam cogere alterum vt stet pactis, siue iuratis siue iniuratis. Intus enim, & ipsa rei natura id iniustum *De Off. III. Verr. IV.*

manet: neque interna hæc iniustitia actus tolli potest nisi ex nouo & vere libero consensu.

XII. Cæterum quod metum dixi haberi pro iusto qui bello solenni infertur, de eo metu intelligi debet quem ius gentium non improbat. Nam si stupri inferendi metu extortum sit quippiam, aut alio terrore contra datam fidem, verius erit rem constituram intra ius naturale: quia ius gentium ad talem metum suam vim non porrigit.

XIII. Seruandam autem fidem etiam perfidis, & nos in generali tractatione supra diximus, & idem docet Ambrosius: quod haud dubiè porrigendum ad hostes quoque perfidos: quales Pœni, quibus Romani fidem sancte seruauerunt. *Senatus non eos quibus hoc præstabatur aspexit*, ait in hoc argumento Valerius Maximus. Appianus de Lusitanis fœdifragis quos Sergius Galba noua pactione deceptos trucidauerat: ἀπιστίαν μὲν ἄρα ἀπιστίαν μετιὼν, οὐκ ἀξίως δὲ Ῥωμαίων μιμούμενος βαρβάρους. *Perfidia perfidiam vltus contra Romanam dignitatem barbaros imitabatur.* Eoque nomine idem Galba postea à Libone tribuno plebis accusatus est: quam rem narrans Valerius Maximus: *Misericordia*, inquit, *illam quæstionem, non æquitas rexit:* (male editur *texit*) *quoniam quæ innocentiæ tribui non poterat absolutio respectui puerorum data est.*

Lib. VI. c. 6.

Lib. VIII. c. 11.

XIV. Sed simul sciendum est duobus modis fieri posse vt quisà perfidia vacet, nec tamen id faciat quod promissum est, defectu scilicet conditionis, & per compensationem. Defectu conditionis non verè liberatur promissor, sed euentus ostendit nullam esse obligationem vt quæ non nisi sub conditione contracta erat. Et huc referendus casus, si prior alter non implerit quod ex sua parte implere tenebatur. Nam vnius eiusdemque contractus capita singula alia aliis inesse videntur per modũ conditionis, quasi expressũ esset,

C. 21. §. 11 inf.

esset, hæc ita faciam si & alter faciat quæ promisit. Ideo Tullus Albanis respondens, *Deos testes facit, vter prius populus res repetentes legatos aspernatus dimiserit, vt in eum omnes expetant clades belli.* *Non tenebitur pro socio*, ait Vlpianus, *qui ideo renuntiauit, quia conditio quædam quæ societas erat inita ei non præstatur* Hanc ob causam quoties alia mens est, solet diserte poni, vt si cõtra hanc aut illam partem quid fiat cætera non eo minus rata maneant. L. si conuenerit, D. pro socio.

XV. Compensationis originem alibi indicauimus, cum diximus nos, si quid nostrum est aut quod nobis debetur consequi aliter non possumus, ab eo qui nostrum habet aut nobis debet tantundem in re quauis accipere posse: vnde sequitur vt multo magis possimus id quod penes nos est siue corporale est siue incorporale retinere. Ergo quod promisimus poterit nõ præstari si non amplius valet quam res nostra quæ sine iure est penes alterum. Seneca libro de beneficiis sexto: *Sic debitori suo creditor sæpe damnatur vbi plus ex alia causa abstulit quam ex credito petit. Non tantum inter creditorem & debitorem iudex sedet qui dicat pecuniam credidisti. Quid ergo angellum quem non emeras possides: æstimatione facta debitor discede qui creditor veneras.*

XVI. Idem erit si ex alio contractu is qui cum negotium est, plus aut tantundem debet, idque ego aliter consequi non valeo. In foro quidem, vt idem Seneca ait, actiones quædam separantur, nec confunditur formula: sed illa exempla, vt ibidem dicitur, certis legibus continentur, quas necesse est sequi: lex legi non miscetur: eundum est qua ducimur. Ius gentium ista discrimina non agnoscit, vbi scilicet alia iuris sui obtinendi spes non est.

XVII. Idem dicendum erit si qui promissum vrget non contraxerit sed damnum dederit. Seneca ibidem: *Colonum suum non tenet quamuis tabellis manentibus qui segetem*

tem eius proculcauit, qui succidit arbusta, non quia recepit quod pepigerat sed quia ne reciperetur effecit. Mox alia addit exempla: *Pecus abegisti, seruum eius occidisti.* Deinde: *dicet me comparare inter se quantum profuerit mihi quisque aut quantū nocuerit & tum pronunciare vtrum plus debeatur mihi an debeam.*

XVIII. Postremo & quod ex pœna debetur ei quod promissum est potest contribui, quod eodem loco latè explicatur. *Et beneficio gratia debetur, & iniuriæ vltio; nec ego gratiam illi debeo, nec ille mihi pœnam: alter ab altero absoluimur.* mox: *comparatione facta inter se beneficij & iniuriæ, videbo an etiam vltro mihi debeatur.*

XIX. Sed sicut si quid inter litigantes conuenerit ei quod promissum est opponi lite manente non poterit aut actio de qua lis erat, aut litis damna & impensæ, ita nec manente bello compensari poterit aut id vnde ortum est bellum aut quidquid bellico gentium iure fieri solet. Negotij enim natura, ne nihil actum sit, ostendit conuenisse sepositis belli controuersiis. nam alioqui nulla esset pactio quæ non posset eludi: nec forte male huc aptem quod apud eundem quem iam laudaui aliquoties Senecam est: *Nullam excusationem receperunt (maiores) vt homines scirent fidem vtique præstandam. Satius enim erat à paucis etiam iustam excusationem non accipi, quam ab omnibus aliquam tentari.* Quæ ergo sunt quæ cōpensari cum eo quod promissum est poterunt? nimirum siquid alter quamuis ex alio contractu inter bellum inito debet: si damnum dedit intra inducias tempora: si legatos violauit, aut aliud quid fecit quod inter hostes ius gentium damnat. Obseruandum tamē vt inter easdem personas fiat compēsatio. ac ne ius tertij cuiusquam lædatur, ita tamen vt subditorum bona pro eo quod ciuitas debet iure gentium obligata intelligantur, vt alibi diximus. Quæ vero de fide hostibus data incidere solēt quæstiones, ferme omnes solui possunt

possunt si adhibeantur regulæ supra traditæ, cum de vi tum quorumuis promissorũ, tum speciali iurisiurãdi, federis, ac sponsionum, & de regum iure ac obligatione, deque ambiguis interpretandis dissertauimus. Tamen vt & antedictorum vsus sit manifestior & si quid præterea controuersi est discutiatur, specialium quæstionum frequentiores atque illustriores attingere non pigebit.

CAP. XX.

De fide publica qua bellum finitur, vbi de pacis pactione, de sorte, de certamine condicto, de arbitrio, deditione, obsidibus, pignoribus.

I. *Fidei inter hostes diuisio ad ordinem sequentium.*
II. *Pacem facere in regio statu esse regis.*
III. *Quid si rex sit infans, furiosus, captiuus, exsul?*
IV. *In procerum aut populi statu ius pacis faciendæ esse penes plures.*
V. *Quomodo imperium aut pars imperii aut regni bona pacis causa valide alienentur.*
VI. *Quatenus ex pace per regem facta populus aut successores teneantur.*
VII. *Res subditorum pace concedi posse ob vtilitatem publicam, sed cum onere damni resarciendi.*
VIII. *Quid de rebus iam bello amissis?*
IX. *Non distingui hic inter quæsita iure gentium & iure ciuili.*
X. *Vtilitatem publicam apud externos pro probata haberi.*
XI. *Regula generalis in pace interpretanda.*
XII. *In dubio credi conuentum vt res maneant quo sunt loco,*

quod quomodo accipiendum.

XIII. Quid si conuenerit vt restituantur omnia in eum statum quo ante bellum fuerant?

XIV. Tunc, qui sui iuris cum essent sponte se alicui subiecerunt, non redd.

XV. Damna bello data remissa in dubio censeri.

XVI. Non etiam quæ ante bellum priuatis debebantur.

XVII. Pœnas etiam ante bellum publicè debitas in dubio remissas censeri.

XVIII. Quid de iure priuatorum ad pœnas?

XIX. Ius quod ante bellum publicè obtendebatur, sed controuersum erat, facile censeri remissum.

XX. Capta post pacem reddenda.

XXI. De pacto reddendarum rerum quæ bello captæ sunt regulæ quædam.

XXII. De fructibus.

XXIII. De nominibus regionum.

XXIV. De relatione ad pactum antecedens: & de eo per quem stetit.

XXV. De mora.

XXVI. In dubio interpretationem faciendam contra eum qui leges dedit.

XXVII. Distinguuntur, nouam bello causam præbere, & pacem rumpere.

XXVIII. Quomodo rumpatur pax faciendo contra id quod omni paci inest:

XXIX. Quid si socii vim intulerint?

XXX. Quid si subditi? & quomodo eorum factum approbatum censeri debeat:

XXXI. Quid si subditi aliis militent?

XXXII. Quid si subditis nocitum sit? vbi distinctio adhibetur:

XXXIII. Quid si sociis? vbi item distinguitur:

XXXIV. Quomodo rumpatur pax faciendo contra id quod in pace dictum est.

XXXV. An

XXXV. An facienda distinctio capitum pacis?
XXXVI. Quid si pœna sit adiecta?
XXXVII. Quid si necessitas obstiterit?
XXXVIII. Pacem manere si id velit is qui læsus est.
XXXIX. Quomodo rumpatur pax faciendo contra id quod est de speciali natura cuiusque pacis.
XL. Amicitiæ nomine quid veniat.
XLI. Subditos & exsules recipere an contra amicitiam sit.
XLII. Sorte quomodo bellum finiatur.
XLIII. Quomodo condicto certamine & an id licitum.
XLIV. An factum regum populos hic obliget.
XLV. Quis victor censendus.
XLVI. Quomodo per arbitrium finiatur bellum & arbitrium hic intelligi sine prouocatione.
XLVII. Arbitros in dubio intelligi adstrictos iuri:
XLVIII. Arbitros de possessione pronuntiare non debere.
XLIX. Quæ sit vis deditionis puræ.
L. Quod officium victoris circa eos qui sic se dedunt.
LI. De deditione conditionata.
LII. Obsides dari qui possint & debeant.
LIII. Quod ius in obsides.
LIV. An fugere obsidi liceat.
LV. An obses in aliam causam rectè retineatur.
LVI. Mortuo eo pro quo quis obses venit obsidem liberari.
LVII. Rege qui obsidem dedit mortuo, an obses teneatur?
LVIII. Obsides interdum principaliter obligari.
LIX. Obsides alterum ex alterius facto non teneri.
LX. Pignorum obligatio qualis.
LXI. Luendi ius quando amittatur.

I. INTER hostes quæ conueniunt fide aut expressa aut tacita constant. Fides expressa aut publica est, aut priuata. Publica aut summarum potestatū aut inferiorum. Quæ summarum est potestatum aut bello

finem imponit aut eo manente vim habet. In his quæ bellum finiunt spectantur principalia & accessiones. Principalia sunt ipsa quę bellum finiunt, siue actu suo, vt pactiones, siue ex consensu ad aliud relato, vt sortes, prælii exitus, arbitri pronuntiatio. quorum illæ mere sunt fortuitæ, alia duo casum temperant cum viribus animi aut corporis aut cum facultate iudicante.

II. Pactiones inire quæ bellum finiant eorum est quorum est bellum. rei enim suæ quisque moderator. Vnde sequitur vt in bello vtrinque publico hoc eorũ sit qui summi imperii exercendi ius habent: Regis igitur hoc erit in statu verè regio, modo is rex etiam ius habeat non impeditum.

III. Nam rex qui ætatis est eius quæ iudicii maturitatem non habet, (quod in regnis aliquibus lege definitur, alibi probabilibus coniecturis erit æstimandum) qui imminutæ mentis est pacem facere non potest. Idem dicendum est de rege captiuo si modo regnum ex consensu populi ortum habet. non enim credibile est à populo imperium delatum ea lege vt & à non libero exerceri possit. Ergo & hoc casu imperii non quidem ius totum, sed exercitio & quasi tutela erit penes populum aut eum cui id populus commiserit. De his tamen quæ priuatim sua sunt si quid pepigerit rex etiam captiuus valebit, ad exemplum eorum quę de priuatis conuentionibus dicemus. Quod si exsul sit Rex, pacemne facere poterit? Sane, si constet eum non obnoxium viuere: cæteroqui parum à captiuo sors eius distabit: nam sunt & laxæ custodiæ. Regulus sententiam in senatu dicere recusauit, dicens quandiu iureiurando hostium teneretur non esse se Senatorem.

Cic. de Offic. II.

IV. In procerum aut populi imperio ius paciscendi erit penes maiorem partem, illic consilii publici, hic ciuium

ciuium sententiæ dicendæ ius ex more habentium secundum ea quæ diximus alibi. Itaque sic pacta obligabunt etiam eos qui aliter senserunt: Liuius, *Vbi semel decretum erit, omnibus id etiam quibus ante displicuerit, pro bono atque vtili fedele defendendum.* Dionysius Halycarnassensis, δικαιον πειθεσθαι τοις υπο πλειονων κριθεισιν, *parendum his quæ pars maior censuerit.* Appianus δει παντας τοις κριθεισιν απροφασιστως πειθεσθαι: *Omnes decreto obsequi tenentur, nulla admissa excusatione.* Plinius: *quod pluribus placuisset cunctis tenendum.* Quos autem obligat pax, iisdem & volentibus prodest. *L.II.c.5.* *L.XXXII.* *L.VI.* *L.VI.Epist. 13.*

V. Nunc de rebus pactioni subiectis videamus. Imperium aut omne aut eius partem reges, quales nunc sunt plerique regnum habentes non in patrimonio sed tanquam in vsufructu, paciscendo alienare non valent. Imo antequam regnum accipiant, quo tempore populus adhuc ipsis superior est, lege publicâ tales actus in futurum plane irriti reddi possunt, ita vt nec ad id quod interest obligationem pariant. Atque id populos voluisse credibile est, ne alioqui si ad id quod interest salua esset actio contrahenti, subditorum bona pro debito regis caperentur ac si de non alienando imperio vana esset cautio. Ergo vt imperium totum valide transeat, populi totius consensu opus est, qui expediri potest per partium legatos quos Ordines vocant. Vt pars aliqua imperij valide alienetur duplici opus est consensu, & corporis, & specialiter eius partis de qua agitur vt quæ inuita à corpore cui coaluit auelli nequeat. Sed pars ipsa tamen valide in se imperium transscribet sine populi consensu in summa atque alias ineuitabili necessitate, quia eam potestatem credibile est receptam cum societas ciuilis coita est. At in regnis patrimonialibus quo minus rex regnum alienet nihil impedit. Fieri tamē potest vt *Vasq.cont. ill.l.1.c.4. ibi multos allegat. & c.5.*

talis rex partem aliquam imperij alienare non valeat, si nempè regnum sub onere eius non diuidēdi in proprietatem acceperit. Bona vero quæ regni dicuntur quod attinet, possunt & hæc in patrimonium venire regis duobus modis, aut seperabiliter, aut indiuiduè cum ipso regno: Si hoc modo, transcribi poterunt, sed non nisi cum regno: si illud, etiam seorsum. Qui vero reges in patrimonio regnum non habent, his vix est vt ius regni bona alienandi concessum videatur, nisi disertè id appareat ex primitiua lege aut more cui contradictum nunquam sit

L. II. c. 17.

VI. Sed & quatenus promisso regis populus, ac simul successores obligentur alibi diximus: nempe quatenus obligādi potestas sub imperio comprehensa est. quod nec in infinitum protrahi nec ad angustias nimias arctari debet, sed ita intelligi vt valeat quod probabili ratione nititur. Plane aliud erit si quis rex simul subditorum dominus sit, neque tam ciuile quam familiare imperium acceperit: vt qui bello victos in seruitutem redigunt: aut si in personam quidem dominium non habeat sed in res habeat, vt Pharao in terra Ægypti ex emto, & alij qui aduenas in suum priuatum receperunt. Nam hic ius præter regium accedens efficit vt ex eo consistat, quod alioqui per se solo regio iure consistere non posset.

Vasq. d. c. 5. n. 9.

VII. Disputari & hoc solet quid in res singulorum possint pacis causa statuere qui reges sunt, nec in res subditorum aliud ius habent quam regium. Alibi diximus res subditorum sub eminenti dominio esse ciuitatis, ita vt ciuitas, aut qui ciuitatis vice fungitur, iis rebus vti, easque etiam perdere & alienare possit, non tantum ex summa necessitate, quæ priuatis quoque ius aliquod in aliena concedit, sed ob publicam vtilitatem, cui priuatas cedere illi ipsi voluisse censendi

sunt

sunt qui in ciuilem cœtum coierunt. Sed addendum est, id cum sit ciuitatem teneri his qui suum amittunt, sarcire damnum de publico, in quod publicum nomẽ & ipse qui damnum passus est, si opus est, contribuet. Neque hoc onere leuabitur ciuitas si nunc forte ei præstationi par non sit, sed quandocumque copia supperit, exseret sese quasi sopita obligatio. *Vasq. II. e. 5. Rom. cons. 310. Sylu. in verb. bellũ. 1. §. 43.*

VIII. Neque illud indistinctè admitto, quod dicit Ferdinandus Vasquius, agnoscere ciuitatem non debere id damnum quod iam bello datum est, eo quod ius belli talia permittat. Nam ius illud belli populos alios spectat, vt alibi exposuimus: partim & hostes inter se, non ciues inter se, qui cum socij sint, æquum est vt communia habeant damna quæ societatis causa contingunt. Plane ciuili lege & hoc constitui poterit vt rei bello amissæ causâ nulla aduersus ciuitatem actio sit, vt sua quisque acrius defendat. *L. III. cont. III. c. 3. in fine.* *L. eum duob. §. quidam, D. pro socio.*

IX. Sunt qui latum discrimen collocant inter ea quę ciuium sunt ex gentium iure & ea quæ eorundem sunt ex iure ciuili vt in hæc ius laxius regi concedant, etiam auferendi sine causa & compensatione, in illa non item: Peruersè: nam dominium ex qualicumque causa ortum sit, suos semper effectus habet ex ipso iure naturali, vt scilicet auferri nequeat nisi ex causis quę aut dominio insunt suapte naturâ aut ex dominorum facto ortum habent.

X. Sed hæc inspectio ne nisi ex publica vtilitate res priuatorum concedantur regem spectat & subditos, vt illa de damno sarciendo ciuitatem & singulos. Nam externis, qui cum rege contrahunt, sufficit factum regis, non tantum ob præsumtionem quam secum adfert dignitas personæ, verum etiam ob gentium ius quod bona subditorum obligari ex facto regis patitur. *L. III. c. 8.*

XI. Circa

XI. Circa interpretandas pacis conuentiones obser-
L. II. c. 15. uãdum est quod supra à nobis est traditum, quo quid-
que plus habet fauoris, eo laxius accipiendum: quo lõ-
gius abit, eo restrictius. Si ius naturæ merum spectamus maximus fauor in eo esse videtur, vt suum quisque consequatur: & proinde videtur ambiguè positorum interpretatio eo ducẽda vt qui iusta arma habuit id consequatur ob quæ arma sumsit & damna sumtusque recuperet: non item vt pœnæ nomine quicquam lucretur, id enim est odiosius: Sed quia ad pacem veniri vix solet iniuriæ confessione, ideo ea sumenda est in pactis interpretatio quæ partes quoad belli iustitiam quam maximè æquet: quod fieri solet duobus maximè modis: aut vt quarum rerum turbata bello
Liu. L. XXXIV. possessio est ex formula iuris antiqui componatur: (quæ verba sunt Menippi in oratione qua de federum generibus disserit) aut vt res maneant quo sunt loco.

XII. Ex his duobus posterius est in dubio magis est vt
L. in bello, D. de captiuis. præsumatur, quia facilius est & nullam inducit mutationẽ. Hinc est illud quod à Tryphonino notatum est vt in pace illis demum captiuis postliminium sit de quibus id in pactis erat comprehẽsum vt rectè emen-
Supra hoc lib. c. 9. dare Fabrum diximus supra & certis argumentis euicimus. Sic & transfugæ non reddentur nisi conuenerit. Nam transfugas iure belli recipimus: id est per ius
L. quanquam, D. de acquir. dom. belli licet nobis admittere, & nostris asscribere eum qui partes mutat. Res cæteræ tali pacto manent penes tenentem. illud autem tenere non ciuiliter sed naturaliter sumitur: in bellis enim sufficit facti possessio, nec alia attenditur. Agros autem diximus ita teneri si
Dec. T. III. cons. 74. munitionibus quibusdam clausi sunt: nam temporariam insessionem vt perstatiua hic non spectari. Demosthenes pro Ctesiphonte festinatum ait à Philippo

vt

vt quæ posset loca occuparet, gnarus vt res erat, pacis confecto negotio, retenturum se quæ teneret. Incorporalia non tenentur nisi per res quibus adhærent, vt seruitutes prædiorum, aut per personas quarum sunt, dum ne in solo quod hostium fuit exercenda sint.

XIII. In altero illo paciscendi genere quo restituitur possessio bello turbata notandum est vltimam quæ ante bellum fuit possessionem respici, ita tamen vt priuatis deiectis interdicto aut vindicatione apud iudicem experiri liceat.

XIV. At si quis sui iuris populus sponte se bellantium alteri subiecerit, ad eum restitutio non porrigetur, vt quæ ad ea tantum pertineat quæ vi, metu facta sunt, aut alioqui & dolo non nisi in hostem licito. Sic pace inter Græcos Thebani Plataeam retinuerunt dicentes, οὐ βίᾳ ἀλλ' ὁμολογίᾳ αὐτῶν παραχωρησάντων καὶ οὐ παρόντων ἔχειν τὸ χωρίον, *habere se eum locum non vi, non proditione, sed eorum quorum erat libera voluntate.* Parique iure Nisæa penes Athenienses mansit. Eadem distinctione aduersus Ætolos vtebatur T. Quinctius: *Captarum*, inquiens, *vrbium illa lex. Thessaliæ ciuitates sua voluntate in ditionem nostram venerunt.* *Liu. L. XXXIII.*

XV. Si nihil aliud conuenerit, omni pace id actum censeri debet vt quę bello data sunt damna eorum nomine actio nõ sit, quod de damnis etiam priuatim acceptis intelligendum est: nam & hæc belli effecta sunt. In dubio enim ita censentur contrahere voluisse bellantes, vt neuter iniustitiæ damnaretur.

XVI. Non tamen & quæ priuatis deberi cœperunt belli tempore condonata censeri debent: nam hæc non belli iure quæsita sunt sed bello tantum exigi vetita. Itaque sublato impedimento vim suam retinent. Ius vero quod ante bellum fuit, quanquam nemini *Dec. conf. 61.*

facile

facile ademtum censeri debet (hanc enim ob causam maximè vt sua tenerentur respublicæ ciuitatesq; constitutæ sunt, vt rectè ait Cicero) intelligendum id tamen de eo iure quod ex rerum inæqualitate nascitur.

Lib. II. Off.

XVII. De iure ad pœnas non æquè. nam id ius quatenus inter ipsos reges aut populos versatur remissum ideo censeri debet, ne pax non satis pax sit, si veteres ad bellum causas relinquat. Quare & ignorata hic venient sub verbis generalibus, vt de mercatoribus Romanis quos à Carthaginiensibus mersos ignorabant Romani, narrante Appiano. κρατίσαι διαλλαγαὶ ἐν αἷς οὐδὲν ἔστιν ἔγκοτον οὐδὲ μνησίκακον, inquit Dionysius Halicarnassensis: *optimæ conciliationes quæ iram & offensarum memoriam delent.* Isocrates Plataica: εἰρήνης οὔσης οὐ προσῆκε μνησικακεῖν περὶ τῶν πότε γενομένων: *In pace non decet ante peccata exsequi.*

XVIII. De priuatorum iure ad pœnam non tanta est ratio vt remissum censeatur: quia sine bello iudiciis expediri potest: Tamen cum hoc ius non ita nostrum sit vt quod ex inæqualitate nascitur, & pœnæ semper aliquid odii habeant, leuis verborum coniectura sufficiet, vt hoc quoque donatum intelligatur.

XIX. Quod verò diximus ius quod ante bellum fuit ademtum facile censeri non debere, id in priuatorum iure firme tenendum est; in iure autem regum & populorum facilius est vt condonatio aliqua intelligatur facta, si modo verba aut coniecturæ non improbabiles suppetant: maximè vero si ius de quo agitur, non liquidum erat, sed in controuersiâ positum. Benignum enim est credere id actum vt belli semina euellerentur. Idem quem modo laudaui Dionysius Halicarnassensis: οὐκ ἀπόχρη τοῦτο μόνον ἡμᾶς σκοπεῖν ὅπως ἂν τὴν παροῦσαν ἔχθραν διαλυσαίμεθα πρὸς ἀλλήλους, ἀλλ' ὥστε μηδ' αὖθις πότε πολεμήσωμεν ἔτι δεῖ παρασκευάσασθαι· οὐ γὰρ ἀναβο-

ἀναβολὰς ποιησόμενοι περὶ κακῶν σωτηρίας ἀλλ' ἀπαλλαγάς. *Non tam cogitandum est de sarcienda in præsens amicitiâ, quam* Lib. III.
id curandum, ne bello iterum implicemur: neque enim ad differenda, sed ad auferenda mala conuenimus: quę postrema verbo tenus ferme desumta sunt ex Isocratea oratione de pace.

XX. Quæ post perfectas pactiones capta sunt, reddenda satis constat; sublatum enim iam erat belli ius.

XXI. At in pactionibus, quæ sunt de reddendis his quæ bello capta sunt, primum latius interpretandæ quæ mutuæ sunt quam quæ claudicant: deinde quæ de hominibus agunt plus fauoris habent quam quæ de rebus: & inter eas quæ de rebus hæ quæ de agris plus quam quæ de rebus mobilibus: & quæ de his quę ponęs publicum sunt plus quam quæ penes priuatos: & inter eas quæ penes priuatos, plus illæ quæ reddi iubent lucratiuo titulo possessa, quam oneroso, vt quæ emtionibus, quæ dotibus tenentur. *Alc. Pr. resp. 17.* *Cic. de Offic. II.*

XXII. Cui pace res conceditur ei & fructus conceduntur à tempore concessionis, non retrò, quod rectè defendit Cæsar Augustus contra Sextum Pompeium qui Peloponneso sibi concessa simul etiam tributa quæ pro exactis annis debebantur sibi vindicabat. *App. ciuil. V.*

XXIII. Nomina regionũ accipienda ex vsu præsentis temporis, non tam vulgi quam peritorum. nam à peritis negotia talia tractari solent.

XXIV. Habent & illæ regulæ frequentem vsum, quoties relatio fit ad pactum antecedẽs aut vetus, toties repetitas censeri qualitates aut conditiones priore pacto expressas, & pro faciente habendum qui facere voluit si per illum stetit quo minus fieret.

XXV. Quod vero quidam aiunt moræ purgationem intra breue tempus admitti, verum non est nisi improuisa necessitas impedimento fuerit. Nam quod

canones

canones nonnulli purgationi tali fauent, mirum non est, cum eorum offi. ium sit, Christianos ad ea permouere quæ caritati mutuæ conueniunt. At in hac quæstione de pactis interpretandis non iã quærimus quid melius sit, imo nec quid à quoque religio & pietas exposcat, sed ad quid cogi possit, quod totum versatur in eo iure quod externum diximus.

XXVI. In dubio autem sensu magis est vt contra eum fiat interpretatio qui conditiones elocutus est, quod esse solet potentioris: (est eius qui dat non qui petit conditiones pacis dare, ait Annibal) sicut & contra venditorem fit interpretatio. Habet enim quod sibi imputet qui non apertius locutus est: alter autem quod plures sensus recipiebat id suo iure accipere potuit in partem sibi vtiliorem. vnde alienum non est quod Aristoteles dixit: ὅθεν τὸ χρήσιμον τῆς φιλίας ἔστιν ἢ τῷ παθόντι ὠφέλεια μέτρον δεῖν, *Vbi vtilitatis causa amicitia est, ibi eius qui accipit vtilitas eius quod debetur mensura est.*

XXVII. Quotidiani vsus & illa disputatio est quãdo pax rupta censeatur. non enim idẽ est nouam bello causam præbere & pacem rumpere: sed multum inter hæc interest, tum ad committendam pœnam à peccãte, tum ad liberandam in cæteris fidem eius in quem peccatum est. Rumpitur pax tribus modis, aut faciendo contra id quod omni paci inest, aut contra id quod in pace dictum est apertè, aut contra id quod ex pacis cuiusque natura debet intelligi.

XXVIII. Contra id quod omni paci inest fiet si vis bellica inferatur, nimirum vbi nulla noua subest causa: quæ si probabiliter adferri potest, satius est iniustitiam sine perfidiâ quam cum perfidiâ admissam credi. Illud Thucydidis vix opus habet moneri: λύουσι τὰς σπονδὰς οὐχ οἱ ἀμυνόμενοι, ἀλλ' οἱ πρῶτοι ὁρμῶντες, *Pacem rumpunt non qui vim vi arcent, sed qui priores vim inferunt.*

Hoc

Hoc posito à quibus, & quibus illata vis armata pacem soluat videndum est.

XXIX. Qui socii fuerunt siquid tale faciant, pacem rumpi, video esse qui sentiant. Nec nego ita conueniri posse, non propriè vt ex alieno facto alius fiat pœnæ obnoxius, sed vt pax non videatur plenè inita, sed sub cõditione, partim potestatiua, partim casuali. Verum hoc modo facta pax, ni manifeste appareat, credi non debet: est enim enorme, & communi pacem facientium voto non conuenit. ergo qui vim intulerunt aliis non adiuuantibus pacis ruptæ tenebuntur. & in eos bellandi ius erit, non in alios: contra quam Thebani aliquando contra Lacedæmoniorum socios dixerunt. *Paus. IX.*

XXX. Si quid subditi per vim armatam faciunt sine iussu publico, videndum erit an priuatorum factum publicè probatum dici possit: ad quod tria requiri, scientiam, puniendi potentiam, & neglectum ex his quæ supra tractauimus facile potest intelligi. Scientiam euincunt facta manifesta aut denuntiata. Potentia præsumitur nisi rebellio appareat. neglectum ostẽdit elapsum temporis spatium quale in quaque ciuitate ad crimina punienda sumi solet: Et talis neglectus decreto idem valet, nec aliter accipiendum quod ait apud Iosephum Agrippa, regem Parthum arbitraturum pacem rumpi, si subditi sui contra Romanos armati procedant. *Lib. II. c. 20.*

XXXI. Quæri sæpè solet an & hoc locum habeat, si cuius subditi non per se arma moueant sed alii, bellum gerentibus militent. Certè Cerites apud Liuium se purgant, suos non publico consilio militasse. Eademque Rhodiensium fuit defensio. Et verius est vt id quoque permittendum non sit, nisi probabilibus argumentis appareat actum aliud vt nunc interdum fie- *L. VIII.* *Gell. VII. 6.*

ri solet, exemplo veteri Ætolorum quibus pro iure erat, ἄγειν λάφυρον ἀπὸ λαφύρου, ex omni præda prædam sumere, cuius moris hanc vim esse ait Polybius: καὶν ἕτεροί τινες πολεμῶσι τοῖς ἀλλήλοις, ὄντες Αἰτωλῶν φίλοι καὶ σύμμαχοι, μηδὲν ἧττον ἐξεῖναι τοῖς Αἰτωλοῖς ἄνευ κοινοῦ δόγματος ϑ παρ' ἀμφοτέροις πολεμοῦσι τοῦ χάριν ἄγειν ἀφ' ἀμφοτέρων. *Etiam si non ipsi sed alij bellum gerant amici ipsorum aut socii, vt eo non minus AEtolis liceat citra publicum decretum vtrique parti militare, & vtrinque prædas agere.* Liuius de ijsdem: *Iuuentutem aduersus suos socios publica tantum auctoritate demta militare sinunt, & contraria sæpè acies in vtraque parte AEtolica auxilia habent.*

Polyb. lib. XVII.

XXXII. Rursum pax rupta cēseri debet non modo si toti corpori ciuitatis sed & si subditis vis armata inferatur. nimirum sine noua causa. Nam vt omnes subditi tuti sint, pax initur: est enim pax actus ciuitatis pro toto & pro partibus. Imo & si causa noua subsit, per pacem licebit se suaque defendere. Naturale enim hoc vt ait Cassius arma armis repellere: ideo abdicatum inter pares non est vt facile credatur. vlciscī autē aut oblata recuperare per vim non licebit, nisi postquam iudicium erit negatum: Hæc enim res moram fert: illa non fert. At si quorum subditorum ita perpetuum sit maleficium ac iuri naturæ cōtrarium, vt quod faciunt id credendi sint omnino facere rectoribus suis improbantibus, & in eos iudicium postulari non possit, quales sunt qui piraticam exercent, ab his & res recuperare & vltionem exposcere licebit tanquam à deditis. At alios innocentes eo nomine armis impetere, id vero est contra pacem.

L. vim vi, D. de vi & vi arm.

XXXIII. Sociis quoque vis armorum illata pacem rumpit: sed his demum qui in pace comprehensi sunt, vt ostendimus cum Saguntinam controuersiam examinauimus. Et hoc quoque intelligendum postquam satis constat eos socios pacem ratam habuisse. nam

L. II. c. 15.

quam-

quamdiu adhuc incertum est an ratam habere velint, hostium loco sunt. Aliorum sociorum vt & cognatorum & affinium, qui nec subditi sunt nec in pace nominati, separata causa est, nec ad pacem ruptam vis in eos trahi potest. neque tamen sequitur vt & supra diximus bellum eo nomine suscipi non posse, sed id bellum erit ex noua causa. *Cep. cons. 690. Dec. cons. 531.*

XXXIV. Rumpitur & pax vt diximus faciendo cõtra id quod in pace dictum est: sub faciendo autem comprehenditur & non facere quod & cùm oportet.

XXXV. Neque admittam hic discrimen capitum pacis quæ maioris quæque minoris momenti sint. Satis enim magna vt seruentur videri debent quæ pace comprehensa sunt. Bonitas tamen, maximè Christiana, leuiores culpas, accedente præsertim pœnitentiâ facilius condonabit, vt illud locum habeat,

Quem pœnitet peccasse, penè est innocens. *Sen. Ag.*

Sed quo magis paci caueatur consultum erit vt capitibus minoris momenti adijciatur, vt siquid aduersus ea factum erit pacem non rumpat.

XXXVI. Et plane sentio id actum videri, si qua specialis pœna adiecta sit: non quod nesciam posse ita cõtrahi, vt electio sit eius cui facta est iniuria, pœnam malit, an à transactione recedere, sed quod negotij natura hoc quod dixi potius requirat. Illud quidem constat & iam supra dictum à nobis est & historiæ auctoritate probatum, pacem non rumpere qui pactis simpliciter factis posterior non stat: neque enim tenebatur nisi sub conditione.

XXXVII. Quod si necessitas aliqua in causa sit quo minus pars vna impleat id quod promissum est, puta si res perierit, aut ablata sit, aut factum redditum sit aliquo euentu impossibile, pax quidem rupta non cen-

sebitur: nam vt diximus, non solet illa pendere à conditione casuali. Sed alter optabit an expectare malit, si qua spes sit impleri promissum serius posse, an æstimationem accipere, an mutuis præstationibus isti capiti respondentibus aut æquum valentibus liberari.

XXXVIII. Certè etiam post læsam fidem integrum est innocenti pacem seruare, sicut Scipio fecit post multa Carthaginensium perfida facta, quia contra obligationem faciendo nemo se obligationi eximit: &, si additum est vt tali facto pax rupta habeatur, adiectum id censeri debet in commodum innocentis duntaxat, si eo vti velit.

XXXIX. Postremo diximus pacem solui faciendo id quod specialis pacis natura repudiat.

XL. Sic quæ contra amicitiam sunt, rumpunt pacem quæ sub amicitiæ lege contracta est: quod enim inter cæteros solius amicitiæ officium exigeret, hic etiam pacti iure præstandum est. Et huc, non vero ad quamuis omnino pacem (est enim & fedus non amicitiæ causa vt nos Pomponius docet) refero multa quę de iniuriis non armatis, & contumeliis à legum peritis dissertari solent & præcipuè illud Tullii: *Post reditum in gratiam si quid est commissum, id non neglectum sed violatum putatur, nec imprudētiæ sed perfidiæ assignatur.* Sed hic quoq; detrahenda quantum fieri potest facto inuidia. Itaque personæ quamuis coniunctæ aut subditę facta iniuria, ipsi qui cum pax inita est facta non censebitur, nisi apertè ad ipsius sugillationem facta sit, quam naturalem æquitatem in seruis atrociter læsis sequuntur leges Romanæ: & adulterium aut stuprum libidini potius quam inimicitiæ imputabitur: & inuasio rei alienæ nouæ potius cupiditatis reum faciet quam fidei læsæ. Atroces sane minæ nulla noua causa præcedente

l. postliminii D. de capt.

Pro Gabin.

l. item si cui. D. de iniur. Instit. §. seruis eod. t. Alex. l. l. Cons. n. 3.

dente cum amicitia pugnant: & huc referam arces in finibus structas, non tuendi sed nocendi causa, & insolitam copiarum conscriptionem, si iustis satis indiciis appareat in non alium hæc quam in eum qui cum pax facta est comparari.

XLI. Subditos singulos qui ex altera ditione in alteram migrare volunt suscipere, non est contra amicitiam. Neque enim naturalis tantum sed & fauorabilis est ista libertas vt alibi diximus. Eodē loco pono perfugium exsulibus datum. Nam in exsules vt ex Euripide diximus alibi nullum ius ciuitati. Perseus apud Liuium rectè: *Quid attinet cuiquam exilium patere si nusquam exsuli futurus est locus*? Plane oppida aut magnos cœtus, qui ciuitatis partem integrantem faciant, recipere non licet, vt alibi diximus: neque magis eos qui ex sacramento aut aliter ministerium aut seruitutem debent. De his autem qui belli sorte serui sunt idem introductum gentium iure apud quosdam populos supra memorauimus. Sed & de his qui exsules non acti pœnam iustam effugiunt dedendis egimus alibi. *L. II. c. 5.* *L. XLII.*

XLII. Sortis aleæ subiici belli exitus licitè non semper potest, sed tum demum quoties de re agitur in quam plenum habemus dominium. Nam ad subditorum vitam, pudicitiam, & similia tuenda ciuitas, & ad bonum ciuitatis tuendum rex arctius obligatur quam vt omittere possit eas rationes quæ ad sui & aliorum tutelam maximè sunt naturales. Attamen si vera æstimatione qui iniusto bello impetitur, tanto sit inferior vt resistenti nulla spes sit, videtur sortem offerre posse, vt certum periculum incerto euadat. hoc enim est de malis minimum. *L. II. c. 20.*

XLIII. Sequitur valde agitata quæstio de præliis quæ definito numero condicuntur belli finiendi causa, puta inter singulos vtrimque vt Æneam & Turnum,

Menelaum & Paridem; inter binos vtrimque vt inter Ætolos & Eleos; inter ternos vtrimque vt inter Horatios Romanos & Curiatios Albanos; inter tricenos v-
Paus. V. trimque vt inter Lacedæmonios & Argiuos. Si ius gentium externum tantum spectamus non est dubitandum quin per id ipsum talia certamina sint licita: hostiũ enim cædem id ius indiscrete permittit. Quod si vera esset veterum Græcorum Romanorum & aliarum gentium opinio, quemque vitæ suæ esse summo iure dominum, iam & interna iustitia talibus præliis non deesset. Sed hanc sententiam rectæ rationi ac Dei præceptis pugnare aliquoties iam diximus. In proximi caritatem peccare eum qui ob res quibus carere pos-
Lib. II. c. 1. sumus retinendas hominem occidit alibi ostendimus & ratione & sacrorum oraculorum auctoritate. Addemus nunc, & in se & in Deum peccare qui vitam sibi à Deo pro magno beneficio concessam tam vili æstimat. Si res bello digna agitur vt multorum innocentium salus, pro ea totis viribus nitendum est. Con-
Th. II. 2. q. 95. art. 8. & ibi Caiet. dicto certamine vti tanquam testimonio bonæ causæ aut iudicii diuini instrumento, vanum est & à vera pietate alienum. Vna res est quæ tale certamen iustum ac pium potest reddere ex vna duntaxat parte, si alioqui omnino expectandum sit vt qui iniustam causam fo-
Caiet. d. l. uet victor sit futurus cum magna innocentium strage. nihil enim ei imputandum est qui mauult ea ratione certare quæ spem ipsi maximè probabilem ostendat. Sed & hoc verum est quædam quæ non rectè fiunt, ab aliis tamen rectè, non probari, sed permitti, vt grauiora mala quæ aliter vitari non possunt vitentur. quomodo multis in locis tolerantur & improba fœnora, & impudicitiam professæ mulieres. Quod ergo supra diximus cum de præueniendo bello ageretur, si duo quos inter de regno controuersia est, parati sint

inter

inter se armis cernere, pati id posse populum vt maior calamitas cæteroqui imminens euitetur, idem & cum de bello finiendo agitur dicendum erit. Quomodo apud Dionysium Halicarnassensem Metius ait, non iniquum fuisse vt ipsi principes populorum armis rem inter se disceptarent, si de ipsorum non de populorum potentiâ aut dignitate controuersia fuisset. Sic Heraclium Imperatorem cum Cosroë filio Persarum rege pugnasse singulari certamine legimus. *L. II. c. 22.* *Ægid. Regius disp. 32. dub. 2. n. 28.* *L. III.*

XLIV. Cæterum qui sic in prælii exitum coniiciunt controuersiam, sibi quidem ius si quod habent adimere possunt, non & alteri qui non habet dare, in illis quidem regnis quæ in patrimonio non sunt. Itaque vt valeat pactio & populi & si qui iam nati ius ad successionem habent consensum necesse est accedere : in feudis non liberis etiam domini siue senioris.

XLV. Sæpè in talibus præliis quæri solet vter pro victore sit habendus. Victi non possunt videri nisi qui aut omnes occubuerunt aut in fugam dati sunt. Sic in fines se aut oppida recipere apud Liuium victi signa. *Lib. III.* Apud tres nobiles historicos Herodotum, Thucydidem, Polybium tres proponuntur de victoria controuersiæ, quorum primum ad condictum certamen pertinet. Sed si quis rectè aduertat inueniet omnibus illis præliis sine vera victoria discessum. Nam Argiui *Her. I.* non fugati ab Othryade sed nocte superueniente abierant victores se rati & id suis renuntiaturi. Neque Corinthios fugauerant Corcyræi, sed Corinthii cum *Thuc. I.* fœliciter pugnassent Athenienſium classem validam conspicati nullo cum Athenienſibus virium periculo facto cessim ierant. Philippus vero Macedo Attali quidem nauem à suis desertam ceperat, at classem nihil minus quã fugauerat: Itaque vt Polybius notat magis pro victore se gerebat quam victorem se fetiebat. *L. XVI.*

Illa vero, spolia legere, cadauera ad sepulturam concedere, prælio iterum lacessere, quæ & dictis locis & apud Liuium aliquoties reperias vt signa poni victoriæ, per se nihil probant, nisi quatenus cum aliis indiciis valent ad docendam hostium fugam. Et certè qui loco cessit in dubio magis est vt fugisse credatur. At vbi victoriæ firma argumenta non sunt, res manet eo loco quo ante prælium fuit: & aut ad bellum aut ad nouas pactiones veniendum est.

Lib. XXIX. XL.

L. societatē. D. pro socio.

XLVI. Arbitrorum Proculus nos docet duo esse genera, vnum eiusmodi vt siue æquum siue iniquum parêre debeamus, quod obseruatur, ait, cum ex compromisso ad arbitrum itum est; alterum eiusmodi vt ad boni viri arbitrium redigi debeat, cuius generis exemplum habemus in Celsi responso: *Si libertus, inquit, ita iurauerit dare se quot operas patronus arbitratus sit, non aliter ratum fore arbitrium patroni quam si æquum arbitratus sit.* Sed hæc iurisiurandi interpretatio, vt Romanis legibus induci potuit, ita verborum simplicitati per se spectatæ non conuenit. Illud tamen verum manet vtrouis modo arbitrum sumi posse, aut vt conciliatorem tantum, quales Athenienses inter Rhodios & Demetrium fuisse legimus, aut vt cuius dicto parendum omnino sit. Et hoc est genus de quo nos hic agimus, & de quo nonnulla suprà diximus cum de cauendi belli rationibus loqueremur. Quāquam verò etiam de talibus arbitris in quos compromissum est lex ciuilis statuere possit, & alicubi statuerit, vt ab iis prouocare & de iniuria queri liceat, id tamen inter reges ac populos locum habere nō potest. Nulla enim hic est potestas superior quæ promissi vinculum aut impediat aut soluat. Standū ergo omnino siue æquum, siue iniquum pronuntiauerint, ita vt Plinii illud huc rectè aptes: *summum quisq; causæ suæ iudicem facit, quemcunq; eligit.*

Si libertus. D. de op. lib.

Lib. II. c. 22

Præf. nat. hist.

Aliud

Aliud enim est de arbitri officio, aliud de compromittentium obligatione quærere.

XLVII. In arbitri officio spectandum, an electus sit in vicem iudicis, an cum laxiore quadam potestate quam arbitri quasi propriam vult Seneca, cum dicit: *Melior videtur conditio causæ bonæ si ad iudicem quam si ad arbitrum mittitur: quia illum formula includit & certos quos non excedat terminos ponit. Huius libera & nullis adstricta vinculis religio & detrahere aliquid potest & adiicere & sententiã suam non prout lex aut iustitia suadet, sed prout humanitas & misericordia impulit regere.* Aristoteles quoque ἐπιεικῆς, id est æqui & commodi hominis esse ait, εἰς δίαιταν μᾶλλον ἢ εἰς δικῶν βούλεσθαι ἰέναι, malle ire ad arbitrum quam in iusrationem adiiciens, ὁ γὰρ διαιτητὴς τὸ ἐπιεικὲς ὁρᾷ· ὁ δὲ δικαστὴς τὸν νόμον· καὶ τούτου ἕνεκα διαιτητὴς εὑρέθη ὅπως τὸ ἐπιεικὲς ἰσχύῃ: *Nam arbiter id quod æquum est respicit: iudex legem: imo arbiter eius rei causa repertus est vt valeret æquitas.* Quo in loco æquitas non propriè significat vt alibi partem illam iustitiæ quæ legis sonum generalem ex mente auctoris adductius interpretatur (nam hæc & iudici commissa est,) sed omne id quod rectius fit quam non fit, etiam extra iustitiæ propriè dictę regulas. Sed tales arbitri, sicut inter priuatos & eiusdem imperii ciues frequentes sunt, & specialiter Christianis commendantur ab Apostolo Paulo, 1. Cor. v. ita in dubio non debet tanta potestas concessa intelligi: in dubiis enim quod minimum est sequimur: præcipuè verò id locum habet inter summam potestatem obtinentes qui cum iudicem communem non habeant, arbitrum censendi sunt adstrinxisse iis regulis quibus iudicis officium adstringi solet.

Lib. II. de Benef. c. 7.

Rhet. 1. c. 19.

XLVIII. Illud tamen obseruandum est arbitros lectos à populis aut summis potestatibus de principali negotio pronuntiare debere, non de possessione. nam

possessoria iudicia iuris ciuilis sunt: Iure gentium possidendi ius dominium sequitur. Ideo dum causa cognoscitur nihil est innouandum tum ne præiudicium fiat, tum quia difficilis est recuperatio.

XLIX. Alterius generis est arbitri sumtio cum quis ipsi hosti de se arbitrium permittit, quæ est deditio pura, subditum faciens eum qui se dedit, ei vero cui fit deditio summam deferens potestatem. Sic Ætolos in senatu rogatos legimus permitterentne de se arbitrium populo Romano. Consilium L. Cornelii Lentuli apud Appianum circa finem belli Punici secundi de re Carthaginensium hoc erat: *Permittant*, inquit, *Carthaginienses se arbitrio nostro vt victi solent, & multi antehac fecerunt; videbimus deinde nos, & siquid fuerimus largiti habebunt nobis gratiam: neque enim fedus dicere poterunt. permultum autem interest. Quamdiu federa cum illis inimus vt ea rumpant semper aliquid causabuntur, tanquam læsi aduersus aliquam federis partem. Nam quia multa sunt dubiæ interpretationis, patet semper perplexandi materia. At vbi vt deditis abstulerimus arma, corpora ipsa acceperimus in potestatem, tum demum intelligent nihil se habere proprium, demittent animos, & quodcumq; à nobis acceperint id tanquam de alieno datum libentibus animis accipient.* Sed hic quoq; distinguendum est quid victus pati debeat & quid victor iure, quid etiam saluo omni officio facere possit, quid denique eum maxime deceat. Victus post deditionem nihil non patiendum habet. quippe iam subditus, & si ius belli externum respicimus, eo in loco vt ei nihil non eripi possit, etiam vita, etiam libertas personalis, multo magis bona non publica tantum, sed & singulorum. Citauimus alibi: *vbi omnia ei qui armis plus potest dedita sunt quæ ex ijs habere victor, quibus mulctari eos velit, ipsius iudicium atque arbitrium est.* Eodem illud Liuij pertinet: *Romanis mos vetustus erat cum quo nec federe nec æquis legibus iungerentur amicitia,*

Liu. L. XXXVII.

Lib. VIII.

citia, non prius imperio in eum tanquam pacatum vti, quam omnia diuina humanaq; dedidisset, obsides accepti, arma ademta, præsidia vrbibus imposita forent. Etiam occidi licite interdum deditos ostendimus.

L. At victor nequid iniuste faciat spectare primum debet ne quem occidat, nisi id suo facinore meritum. sic & ne cui quicquam auferat nisi in iustam pœnam. Intra hunc autem modum, quantum securitas patitur, ad clementiam & liberalitatem propendere semper honestum est, interdum pro circumstantiis etiam ex morum regula necessarium. Diximus alibi bellorum egregios fines quoties ignoscendo transigitur. Et Cæsar Octauius apud Appianum, L. Antonium qui se deditum venerat alloquens, σπονδὰς μὲν τιθέμενος ἔτυχες ἂν ἠδικημένου καὶ νενικηκότος. ἄσπονδον δὲ σαυτόν τε καὶ τοὺς φίλους ἐπιτρέπων ἡμῖν καὶ τὸν στρατὸν, ἀφαιρῇ μὲν πᾶσαν ὀργὴν, ἀφαιρῇ δὲ καὶ τὴν ἐξουσίαν ἣν σπενδόμενος ἂν ἔδωκας (male editur ἔδωκα) ὑπ' ἀνάγκης. συμπέπλεκται γὰρ οἷς ἄξιον ὑμᾶς παθεῖν τὸ προσῆκον ὧν ἐμὲ δίκαιόν ἐστι ποιεῖν. ὃ δὴ προτιμήσω. *Si ad federa paciscenda venisses, sensisses me & victorem & iniuria affectum. nunc cum te & amicos & exercitum arbitrio nostro permittis, demis mihi iram, demis & eam potestatem quam in federe coactus esses concedere. Nam cum eo quod vos dignum est pati, simul iam & alterum spectãdum est, quid me facere par sit: atq; hoc præferam.* Occurrit sępè in Romanis historiis locutio tradere se in fidẽ, tradere in fidem & clementiã. Sic apud Liuium lib. XXXVII. *Legationes finitimas tradentes in fidẽ ciuitates suas benigne audiuit.* Lib. XLIV. *Paulo vt se suaq; in fidem & clementiam populi Romani permitteret contendente,* vbi de rege Perseo sermo est. sciẽdum autem est his verbis nihil aliud quam deditionem meram intelligi: neque fidei nomen his in locis aliud significare quam ipsam probitatẽ victoris cui se victus committit. Nobilis est apud Polybium & Liuium historia de

Phanea

Liu. L. XXXVI. Phanea Ætolorum legato, qui in oratione ad Manium consulem eo prolapsus est vt diceret: διὸ πάντα πῖς αἰτώλοις σφᾶς αὐτοὺς ἐγχειρίζειν εἰς τὴν ῥωμαίων πίστιν. *AEtolos* (ita vertit Liuius) *se suaque fidei populi Romani permittere.* Cumque percunctanti consuli iterum id affirmasset, postulasse consulem, vt quidam belli incentores sibi sine mora dederentur. Cum Phaneas excepisset, non in seruitutem sed in fidem tuam nos tradimus, & quod imperaretur non esse moris Græcorum, respondisse consulem nihil se curare quid Græci esset moris: se more Romano imperium habere in deditos suo decreto, & catenis vinciri legatos iussisse. In Græco est: πῶς τὸ δέοντος καὶ καθηκόντος ποιεῖτε λόγον δεδωκότες ἑαυτὸν εἰς τὴν πίστιν; *De officio & decoro hic disputatis cum iam vos fidei nostræ permiseritis?* Ex his verbis apparet quantum impunè & non violato gentium iure facere possit is in cuius fidem populus aliquis se permisit. Neque tamen hac potestate vsus est Romanus Consul, sed & legatos dimisit & Ætolorum concilio de integro deliberandi fecit potestatem. Sic populus Romanus Falisci respondisse legitur, edoctum se Faliscos se non potestati sed fidei Romanorum commisisse. Ad officium vero eius cui facta est deditio non male retuleris Senecæ illud: *Clementia liberum arbitrium habet: non sub formula sed ex æquo & bono iudicat, & absoluere illi licet, & quanti vult taxare litem.* Neque referre existimo an dedens se dicat se dedere alterius sapientiæ, an moderationi, an misericordiæ. hæc enim omnia blandimenta sunt; res manet vt victor arbiter fiat.

Val. Max. lib. VI. c. 4.

L. II. de Clem. 7.

LI. Sed sunt tamē & deditiones conditionatæ, quæ aut singulis consulunt, vt quibus vita salua, aut & quædam bona excipiuntur, aut etiam vniuersitati, quarum nonnullę etiam mixtum quoddam imperium possunt inducere, de quo egimus alibi.

Lib. I. c. 3.

LII. Acces-

LII. Accessiones pactionum sunt obsides & pignora. Obsides diximus dari aut sua voluntate, aut eius qui imperium habet. nam in summo ciuili imperio comprehenditur & ius in actiones subditorum, vt in bona. Sed ciuitas aut eius rector tenebitur illud incommodum ei qui patitur aut proximis repensare & si plures sint, quorum quis obses eat reipublicæ nihil interfit, danda opera videtur vt sorte res dirimatur. In vasallum, nisi idem subditus sit, ius hoc feudi dominus non habet: neque enim reuerentia & obsequium, quæ debet, huc vsque pertingunt.

LIII. Interfici obsidem posse diximus per ius gentium externum. non etiam interno iure nisi par ipsius culpa accedat. Serui quoque non fiunt: imo & iure gentium bona habere & hæredibus relinquere possunt, quanquam Romano iure cautum est vt bona eorum in fiscum cogantur. L. Diuus, de iure fisci.

LIV. An fugere obsidi liceat quæritur? & constat non licere, si ab initio aut postea quo laxius haberetur fidem dederit. Alioqui videtur non is animus fuisse ciuitatis obligandi ciuem ne aufugeret, sed hosti dãdi facultatem qualis vellet custodiæ. Et sic defendi potest Cloeliæ factum. Sed etsi ipsa nihil peccauerat, ciuitas tamen recipere & retinere obsidem non poterat. Sic Porsenna: *Si non dedatur obses pro rupto se fedus habiturum.* Deinde: *Romani pignus pacis ex fedre restituerunt.* Liu. lib. II.

LV. Odiosa autem est obsidum obligatio, tum quia libertati inimica, tum quia ex facto alieno venit. Ideoque stricta interpretatio hic locum habet. quare in vnam causam dati in aliam retineri non poterunt, quod ita intellige si aliud quid sine obsidum accessione promissum sit. At si in alia causa fides iam violata sit aut contractum debitum, iam poterit obses retineri, non vt obses sed eo gentium iure quo subditi ex facto

facto imperantium retineri possunt, κατ' ἀνδραποδισμόν, quod ipsum tamen ne fiat caueri poterit, adiecto pacto de reddendis obsidibus vbi id cuius nomine dati erunt impletum erit.

LVI. Qui obses datus est tantum vt alterum captiuum aut obsidem redimat, eo mortuo liberatur. nam in illo dum moritur ius pignoris extinctum est vt in captiuo redemto dixit Vlpianus. quare sicut in Vlpiani quæstione pretium non debetur, quod in personæ locum successit, ita nec hic persona manebit obligata quæ personæ vicaria facta est. Sic Demetrius à Senatu Romano nõ iniquè postulabat dimitti, ὡς Ἀντιόχου μὲν ἀνηρῆσθαι, Ἀντιόχου δὲ ἀποθανόντος, inquit Appianus: Iustinus ex Trogo: *Demetrius qui obses Romæ erat cognita morte Antiochi fratris senatum adijt obsidemque se* (malim legere *obsidem inquiens* se vt cohæreat oratio) *viuo fratre venisse, quo mortuo cuius obses sit ignorare.*

l. si patre, D. de capt.

Syr. L. XXXIV.

LVII. Rege autem qui fedus fecit mortuo an teneatur adhuc obses, pendet ab eo quod alibi tractauimus an fœdus habendum sit personale an reale. nã accessoria non possunt efficere vt in principalium interpretatione à regula recedatur. eius autem naturam & ipsa sequi debent.

L. II. c. 15.

LVIII. Obiter hoc addendum est, obsides interdum non accessionem esse obligationis sed reuera partem principalem, vt cum quis ex contractu factum promittit non suum, & quia eo non præstito tenetur ad id quod interest, eius vice obsides obligantur, quam fuisse videri sententiam Caudinæ sponsionis diximus alibi. Non dura tantum sed & iniqua est sententia existimantium obsides etiam sine consensu suo alterum ex facto alterius posse obligari.

L. II. c. 14.

Alb. Gent. l. II. c. 19.

LIX. Pignora quædam communia habent cum obsidibus, quædam propria. Commune, quod & ex alio

iam

iam debito retinentur, nisi obstet data fides: proprium quod quæ de ijs est pactio non tam strictè sumitur quam illa de obsidibus: neq; enim æquale est odium. Res enim natæ sunt vt teneantur, non & homines.

LX. Illud alibi quoque diximus nullum tempus id efficere posse ne luitio sit pignoris si id præstetur pro quo pignus suppositum est. Nam qui actus causam veterem & notam habet, non creditur ex noua procedere. Ideo patientia debitoris veteri contractui non derelictioni imputatur, nisi certæ coniecturæ aliam interpretationem exprimant: vt si quis luere cum vellet impeditus id silētio transmisisset tanto tempore, quod ad consensus coniecturam sufficere possit.

CAP. XXI.

De fide manente bello, vbi de induciis, commeatu, captiuorum redemtione.

I. *Inducię quid sint & an id tempus veniat pacis an belli nomine.*
II. *Vocis origo.*
III. *Noua indictione post inducias non opus.*
IV. *Quomodo computanda sint tempora induciis præfinita.*
V. *Quando obligare incipiant.*
VI. *Quid per inducias liceat:*
VII. *An retrocedere & reficere mœnia & similia:*
VIII. *De locis occupandis distinctio.*
IX. *An redire possit qui vi maiore retentus est circa exitum induciarum.*
X. *De specialibus inducirum pactionibus & quæ inde quæri solent.*

XI. Indu-

XI. *Inducíarum pactionibus ab altera parte ruptis alteram bellum mouere posse.*
XII. *Quid si pœna addita fuerit.*
XIII. *Priuatorum facta quando inducias rumpant.*
XIV. *In iure commeandi extra inducias qualis sumenda interpretatio:*
XV. *Qui militum nomine veniant:*
XVI. *Ire, venire, abire quomodo hic accipienda:*
XVII. *De extensione ad personas:*
XVIII. *Ad bona:*
XIX. *Comitis & gentis nomine qui veniant:*
XX. *An concessio iuris commeandi morte extinguatur:*
XXI. *Quid si data sit donec qui dedit voluerit?*
XXII. *An securitas & extra territorium debeatur.*
XXIII. *Fauor redemtionis captiuorum:*
XXIV. *An lege interdici redemtio possit distinctione explicatur.*
XXV. *Ius in captiuum cedi posse:*
XXVI. *Posse ab vno pretium pluribus deberi:*
XXVII. *Cõuentio an rescindi possit ob diuitias captiui ignoratas.*
XXVIII. *Quæ bona capti captorem sequantur.*
XXIX. *An heres pretium debeat distinctione explicatur.*
XXX. *An redire debeat qui dimissus est vt alterum liberet, eo mortuo.*

I. SOLENT & inter bellum à summis potestatibus concedi quædam, vt cum Virgilio & Tacito loquar, belli commercia, qualia sunt induciæ, commeatus, captiuorum redemtio. Induciæ sunt conuentio per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abstinendum est. Bello inquam manente: nam bellum status est nomen, qui potest esse etiam cum operationes suas non exserit: Δοκεῖ δὲ δέχεσθαι καὶ καθεύδειν ἔχων τὴν ἀρετὴν ἢ μὴ πράττειν δι' βίον, ait Aristoteles: *fieri potest vt virtute quis sit praditus & aut dormiat aut vitam agat actione vacuam.*

Thuc. III.

vacuam. Idem alibi: οἱ τόποι οὐ διαλύουσι τὴν φιλίαν ἁπλῶς, ἀλλὰ τὴν ἐνέργειαν: *non ipsam amicitiam dissoluunt locorum interualla, sed vsum eius.* Eustratius ad sextum Nicomachiorum: ἡ ἕξις πρὸς τὴν ἁπλῶς δύναμιν ἐντελέχεια λέγεται: πρὸς δὲ τὴν ἐνέργειαν καὶ προαίρεσιν δύναμις, ὡς ἐν τῷ κοιμωμείῳ γεωμέτρῃ γεωμετρία. *Habitus potentiæ simpliciter dictæ ratione habita, actus dicitur: at ipsi actioni siue exercitio comparatus, vocatur potentia, vt ars mensoria in dormiente mensore.* VIII. Nic.

Vt quamuis tacet Hermogenes cantor tamen atque
Optimus est citharœdus: Et Alfenus vafer omni
Abiecto instrumento artis clausaq; taberna
Sutor erat. Horatius.

Quod eo dico vt sciamus si quid conuenit vt belli tempore valeat, id per inducias quoque valere, nisi manifeste appareat non statum spectari sed ipsas functiones. Contra si quid de pace dictum erit, id induciarum tempore locum non habebit: quanquam Virgilius pacem sequestram dixit, Seruius ad eum locum pacem temporalem, Varro pacem castrorum, paucorum dierum, quæ omnes sunt non definitiones sed delineationes quædam eæque figuratæ. Qualis & illa Varronis qui cùm inducias dixit bellorum ferias, potuerat & belli somnum dicere. In M. Varronis autem expositione quam & Donatus sequitur hoc rectè reprehendit Gellius quod paucos dies adiecit, ostendens solere & in horas dari, addam ego & in annos etiam viginti, triginta, quadraginta, etiam centum: quarum apud Liuium exempla: quæ & illam Pauli Iurisconsulti definitionem redarguunt: *Induciæ sunt cum in breue & in præsens tempus conuenit ne inuicem se lacessant.* Fieri tamen poterit, vt si appareat alicuius conuentionis rationem vnicam & per se mouentem in solidum fuisse cessationem actuum bellicorum, vt tunc quod de pacis tempore dictum est per inducias valeat, non

Ad Ter. Eun. Act. 1. Sc. 1. Lib. I. c. 21.

L. post liminium, D. de captiuis.

Lib. III. c. 15. ex vi vocis, sed ex mentis certa collectione de qua alibi egimus.

II. Videtur autem induciarum nomen non ab eo quod Gellius vult inde vti iam, nec ab endoitu id est introgressu vt Opilius voluit venisse, sed quod inde, id est à certo tempore otium sit, quomodo ἐκεχειρίαν Græci vocant. Apparet enim etiam ex Gellio & Opilio veteribus per *t*, non per *c*, literam scriptum hoc nomen, quod nunc pluraliter profertur, olim haud dubiè etiam singulariter. Vetus scriptura fuit indoitia; nam otium tunc oitium enuntiabāt à verbo oiti, quod nunc vti dicimus, sicut ex poina (nunc pœnam scribimus) fit punio, & ex Poino (qui nunc Pœnus) fit Punicus. Sicut autem ex eo quod est ostia, ostiorum, factū est nomen ostia ostiæ, sic ex indoitiā indoitiorum, factum est indoitia, indoitiæ: deinde indutia, cuius vt dixi plurale nunc tantum in vsu est. non longe abit Donatus cum inducias dictas vult quod in dies otium præbeant. Sunt ergo induciæ in bello otium, non pax: itaque accurate loquuntur historici qui narrant sæpè, pacem negatam, inducias datas.

Ad Ter. Eun. d. loco.

Liu. Plut. Iustin.

III. Quare nec noua indictione opus erit: nam sublato impedimento temporali ipso iure se exserit status belli non mortuus sed sopitus, vt dominium & patria potestas in eo qui à furore conualuit. Legimus tamen apud Liuium ex fecialium sententia finitis induciis indictum bellum: sed nimirum istis non necessariis cautionibus ostendere veteres Romani voluerunt quantopere pacem amarent & quam iustis de causis in arma traherentur. Innuit hoc ipse Liuius: *Cum Veientibus nuper acie dimicatum ad Nomentum & Fidenas fuerat, induciæque inde, non pax facta, quarum & dies exierat, & ante diem rebellauerant: missi tamen feciales, nec eorum, cum more patrum iurati repeterent res, verba sunt audita.*

Lib. IV.

IV. Tem-

IV. Tempus induciis assciibi solet aut continuum vt in centum dies, aut cum designatione termini vt vsque calendas Martias. In priori ad momenta temporum facienda est numeratio: id idem naturæ conuenit, nam quæ fit ad ciuiles dies computatio ex legibus aut populorum moribus venit. In altero genere dubitari solet vtrum ad quem diem aut mensem aut annum dictum est duraturas inducias, is dies, mensis, annus excusus an comprehensus intelligatur. Certè in rebus naturalibus duo sunt terminorum genera, intra rem, vt cutis terminus est corporis, extra rem, vt flumen terminus est terræ. Ad vtrumque hunc modum etiam qui voluntate constituuntur termini constitui possunt. Magis autem naturale videtur vt terminus sumatur qui pars sit rei: πέρας λέγεται τὸ ἔσχατον ἑκάστου terminus dicitur quod vltimum cuiusque est, inquit Aristoteles: nec vsus repugnat. *si quis sic dixerit vt intra diem mortis eius aliquid fiat, ipse quoque dies quo quis mortuus est numeratur.* Prædixerat Cæsari Spurina periculum quod non vltra Idus Martias proferretur. Interpellatus ipsis Idibus, dixit venisse quidem, sed non præteriisse. Quare multo magis sumenda est hæc interpretatio vbi temporis productio fauorem in se habet, vt in induciis quæ humano sanguini parcunt.

L. annicùlus, D. de verb. Sig.

Mat. IV. 17.

l. si quis, D. de verb sig. Suet. in Cæs.

V. Illud obiter addam inducias & siquid est simile ipsos contrahentes statim obligare ex quo contractus absolutus est: at subditos vtrinque obligari incipere vbi inducíæ acceperunt formam legis cui inest exterior quædam publicatio: qua facta statim quidem incipit habere vim obligandi subditos, sed ea vis, si publicatio vno tantum loco facta sit, non per omnem ditionem eodem momento se exserit, sed per tempus sufficiens ad perferendam ad singula loca notitiam. Quare si quid interea à subditis contra

Bart. Lo-mannes populi. Pan. c. 2. de const. & ibid. Fel. n. 7.

inducias factum sit, ipsi à pœnis immunes erunt. neque tamen eo minus contrahentes damnum resarcire debebunt.

VI. Quantum per inducias liceat, quantum non liceat ex ipsa definitione datur intelligi. Illiciti enim sunt omnes actus bellici: siue in personas: siue in res: idest quicquid vi fit aduersus hostem. Etiam quæ res hostium casu aliquo ad nos peruenerunt eæ reddendæ erunt, etiamsi ante nostræ fuissent: quia quod ius externum attinet, ex quo hæc diiudicanda sunt, ipsorum sunt factæ: Et hoc est quod ait Paulus Iurisconsultus inducierum tempore postliminium non esse, quia postliminium requirit vt antecedat ius bello capiendi: quod per inducias non est. Ire & redire vltro citroque, sed eo paratu qui periculum nullum ostentet, liceat. Notatum hoc à Seruio ad illud Maronis, *Mixtique impunè Latini*, vbi & hoc narrat obsessa vrbe à Tarquinio inter Porsennam & Romanos factis induciis, cum ludi Circenses in vrbe celebrarentur, ingressos hostium duces curuli certamine contendisse & victores coronatos.

Lib. XXXI.

VII. Interius recedere cum exercitu quod Philippum fecisse legimus apud Liuium, cum induciis non pugnat: nec reficere mœnia, nec militem conscribere, nisi quid specialius conuenerit.

VIII. Corruptis hostium præsidiis loca inuadere quæ ipsi tenebant, haud dubiè contra inducias est. talis enim acquisitio iusta esse non potest nisi ex iure belli. Idem habendum si qui subditi deficere ad hostem velint. Exemplum est apud Liuium, libro XLII. *Coronæi & Haliartii fauore quodam insito in reges, legatos in Macedoniam miserunt præsidium petentes quo se aduersus impotentem superbiam Thebanorum tueri possint. Cui legationi responsum ab rege est, præsidium se ob inducias cum Romanis factas mittere non posse.*

posse. Derelicta sane occupare licet, dum verè derelicta, id est eo animo ne amplius sint quorum fuerant, non si incustodita, siue custodia ante inducias, siue factis induciis omissa sit. dominium enim manens iniustam facit alterius possessionem quo refellitur Belisarii aduersus Gothos cauillatio, qui tali obtentu loca præsidiis nudata per inducias inuaserat. *Procop. II. Goth.*

IX. Quæritur an qui vi maiore impeditus quo minus recederet, intra fines hosticos deprehẽditur postquam exierint inducię, ius redeundi habeat. Si ius externum gentium respicimus, non dubito quin hic par sit ei qui cum in pace venisset bello repente exorto inter hostes fato suo deprehenditur, quem captiuum manere ad pacem vsque supra notauimus, neque iustitia interna deest quatenus bona & actiones hostium pro debito ciuitatis obligantur, & in solutum capiuntur: nec magis hic quod queratur habet quam tot alii innocentes in quos bellorum mala recidunt. nec quæ de commissi causa circa merces tractantur adferri huc debent, nec quod apud Ciceronem est de inuentione secundo de naue rostrata vi ventorum in portum delata quam ex lege quæstor publicari volebat. Ibi enim vis maior à pœna liberat, hic propriè de pœna non agitur, sed de iure quod certo tantum tempore interquiescebat. Tamen quin talem remittere benignius, quin & generosius sit nullam habet dubitationem. *Liu. L. III. c. 9.* *l Cæsar l. interdum. §. si propter, D. de public.*

X. Sed & quædam per inducias illicita ob specialem conuentionis naturam; vt si tantum sepeliendorum hominum causa datæ sint induciæ, nihil erit immutandum; sic si obsessis datæ induciæ tantum ne oppugnentur, iam auxilia & commeatus admittere non licebit. nam cum tales induciæ alteri partium prosint, non debent interim eius qui dedit causam duriorem

facere. Interdum & conuenit ne commeare liceat. Interdum personis cauetur, non & rebus: Quo casu si ad res defendendas lædantur personæ, nihil contra inducias fiet: nam cum liceat res defendere, personarum securitas ad id quod principale est, non quod in alicuius consequentiam venit referendum est.

XI. Si fides induciarum à parte altera rumpatur, quin læso liberum sit etiam sine indictione ad arma venire, frustra dubitatur. Nam capita conuentionis insunt conuentioni per modum conditionis vt paulo ante diximus. Reperias quidem in historiis exempla eorum qui sustinuerint in finem induciarum: Sed & bellum illarum Herrusçis & aliis quod contra inducias fecissent legas: quæ diuersitas argumento est ius ita esse vt dicimus, sed eo iure vti vel non vti in arbitrio esse eius qui læsus est.

Libro hoc c. 19. & 20.

Liu. lib IX. & XI.

XII. Illud constat si pœna conuenta poscitur & persoluitur ab eo qui contra fecit, iam bellandi ius non esse. Ideo enim pœna soluitur vt cætera salua maneant. Et contra si bellum moueatur, recessum à pœna censeri debet, quando optio data est.

XIII. Priuata tamen facta non rumpunt inducias, nisi publicus actus accedat, puta imperii aut ratihabitionis, quæ etiam intelligitur accedere, si qui deliquerint nec puniantur nec dedantur: si non reddantur res.

XIV. Ius commeãdi extra inducias priuilegiũ quoddam est. quare in eius interpretatione sequenda sunt quæ de priuilegiis traduntur. Est autem hoc priuilegium neque tertio noxium, neque danti admodum graue: ideo intra verborum proprietatem laxa magis quam stricta interpretatio admittenda est, eoque magis si non petenti datum beneficium, sed vltro oblatum sit, multoque magis, si vltra priuatam publica

quædam

quædam vtilitas in negotio vertatur. Reiicienda ergo stricta interpretatio etiam quam ferunt verba, nisi alioqui absurdum aliquod sequeretur, aut eo ducant probabiles admodum voluntatis coniecturæ. Contrà verò etiam extra proprietatem laxior interpretatio locum habebit vt simile absurdum vitetur, aut ex valde vrgentibus coniecturis. *Can. in c. ult in cunctis. §. cum vero: de elect.*

XV. Hinc colligimus datum militibus commeatum non ad medios tantum, sed & summos duces porrigi: quia verbi proprietas admittit eam significationem, quanquam est & alia strictior. Sic nomine clericorum venit Episcopus. Etiam qui in classibus sunt nautæ milites intelliguntur, & omnes omnino qui sacramentum dixerunt. *l. 1. §. 1. D. de bon. poss. ex test. mil.*

XVI. In itu cautum & de reditu censetur, non hoc ex vi verbi, sed vt absurdum vitetur: neque enim inutile esse beneficium debet. Et abitus tutus intelligendus vsque dum eo peruenerit vbi in tuto sit, vnde Alexandri fides accusata qui quibus abitum indulserat eos in ipso itinere iussit interfici. At cui abire datum, non & redire: sed nec cui venire concessum est mittere poterit: nec contrà: sunt enim hæc diuersa nec extra verba exspatiari ratio cogit: ita tamen vt error eius non det à pœna cert è si qua adiecta est releuet. Sed & cui venire permissum est, semel veniet, non iterum, nisi temporis adiectio aliam suppeditet coniecturam. *Diod. Sicul. lib. XVII.*

XVII. Patrem filius, vxor virum non sequitur, aliter quam in iure commorandi. nam morari solemus cum familia, peregrinari sine eâ. Famulus tamen vnus aut alter etiam si expressus non sit comprehensus censebitur in eo quem sine tali comitatu ire indecorum foret. nã qui alicui id concedit, concedit q̃ necessario sequuntur. necessitas autem hic moraliter intelligenda est. *l. penult. de Precario.* *Abbas cap. quæm sit, de Iudæis.*

XVIII. Similiter bona non quæuis comprehendentur, sed quæ solita sunt ad iter assumi.

XIX. Expresso comitum nomine non sunt intelligendi hi quorum causa magis est odiosa, quam ipsius cui prospicitur. Tales sunt piratæ, latrones, transfugæ, desertores. Gentis expressum nomen in comitibus, satis ostendit facultatem ad alios non porrigi.

XX. Ius commeandi cum veniat ex vi potestatis, in dubio non existinguitur morte cõcedentis, secundum ea quæ alibi diximus de regum & aliorum imperantium beneficiis. *Lib. II. c. 13.*

XXI. Disputari solet de eo quod dictum est in hunc modum, quam diu voluero. Et verior est sententia eorum qui existimant durare beneficiũ tale et ã si nouus volendi actus non intercedat, quia durare in dubio præsumitur, quod ad iuris effectum sufficit; non etiam vbi is qui concessit desiit posse velle, quod per mortem contingit. Persona enim sublatâ collabitur etiam illa præsumtio durationis, sicut accidens interitu substantiæ. *Canon. inc. si gratiosa de Reser. in VI.*

XXII. Commeandi autem securitas ei cui data est debetur etiam extra territorium concedentis: quia datur contra ius belli quod per se territorio non includitur; vt alibi à nobis dictum est.

XXIII. Captiuorum redemptio multũ habet fauoris, maxime apud Christianos, quibus lex diuina hoc misericordiæ genus peculiariter commendat. Ambrosio captiuos redimere, maximè ab hoste barbaro, præcipua & summa liberalitas vocatur. Idem defendit suum & Ecclesiæ factum, quod vasa ecclesiæ, etiam initiata, confregerint vt captiui redimerentur. *Ornatus*, inquit, *sacramentorum redemtio captiuorum est*, & multa alia in eandem sententiam. *Lib. III. c. 4.* *Mat. XXV. 36 39.* *Lib. II. off. c. 15.* *Lib. II. c. 18.*

XXIV. Quibus adducor vt non audeam indistinctè pro-

probare leges illas quæ captiuos redimi vetant quales apud Romanos fuisse legimus: *Nulli ciuitati viliores captiui quam nostræ*, ait in senatu Romano quidam. Eadem ciuitas Liuio dicitur minimè in captiuos iam inde antiquitus indulgēs. Nota est in hanc rem Horatii Ode, vbi captiuos redimere vocat conditiones fœdas & exemplum perniciem trahens: flagitio additum damnum. Sed quod Aristoteles in Laconum institutis reprehendit, idem in Romanorum culpari solet: nimis scilicet illa omnia directa ad res bellicas, quasi in illis solis salus ciuitatis consisteret. Atqui si rem humanitatis modo æstimamus, satius sæpè esset, ius quod bello petitur amitti, quam plurimos homines, & quidem cognatos aut populares, relinqui in grauissimis ærumnis. Non videtur ergo lex talis iusta, nisi appareat opus tali rigore, vt maiora aut plurium mala alioqui moraliter ineuitabilia caueantur. Nam in tali necessitate, cum ipsi captiui ex caritatis lege suam sortem patienter ferre debeant, potest & hoc eis iniungi, & aliis ne quid contra faciant præcipi, secundum ea quæ de ciue ob bonum publicum dedendo scripsimus alibi. *Liu. lib. XXII.* *Ibid.*

XXV. Non sunt quidem moribus nostris serui qui bello capiuntur: non dubitem tamen quin ius exigendi pretium redemtionis à capto, possit ab eo qui captum tenet in alium transscribi: nam & incorporalia alienari natura patitur.

XXVI. Et potest idem pluribus debere pretium, si ab vno dimissus, pretio nondum soluto, captus sit ab alio: sunt enim diuersa hæc debita ex diuersis causis.

XXVII. Conuentio de pretio facta rescindi non potest eo quod captus intelligatur locupletior quam credebatur: quia iure gentium externo, de quo quærimus, nemo cogitur supplere quod in contractu mi-

nus æquo pretio promisit, si dolus non interfuit; vt
Lib.II.c.10. intelligi potest ex his quæ de contractibus supra à nobis explicata sunt.

XXVIII. Ex eo quod diximus captiuos nostros seruos non esse, sequitur cessare illam acquisitionem vniuersalem, quam accessionem esse dominij in perLib.III.c.7. sonam diximus alibi. Non alia ergo captori acquirentur quam quæ specialiter apprehenderit: quare liquidclam secum habet captiuus, non erit acquisitum, quia nec possessum. Sicut Paulus Iurisconsultus contra Brutum & Manlium respondit, qui fundum possessione cepit, thesaurum quem in fundo esse nesciat non
l.possideri.§. Neratius, D. de acq. poss. cepisse: quia qui nescit nequeat possidere. Cui consequens est vt res eo modo celata ad redemtionis pretium soluendum prodesse possit, quasi retento dominio.

XXIX. Quæri & hoc solet an pretium conuentum, & ante mortem non solutum ab hærede debeatur. Expedita mihi videtur responsio, si in carcere mortuus est, non deberi: promisso enim inerat conditio si liberaretur, mortuus autem non liberatur. Contra si mortuus est cum in libertate esset, deberi. Iam enim lucratus erat id pro quo promissum erat pretium. Plane fateor & aliter conueniri posse vt ab ipso contractus momento pure debeatur pretium, & captiuus tantum retineatur, non iam vt iure belli captus, sed vt à se oppigneratus: Et contra pactum iniri posse, vt procedat pretii solutio si die præstituto qui captus sit liber viuat. Sed hæc vt minus naturalia non præsumuntur acta, nisi manifestis documentis.

XXX. Proponitur & illud an in carcerem redire debeat qui dimissus est sub pacto vt faceret dimittal-
Lib.II.c.10. terum, qui factum morte præuenerit. Diximus alibi factum tertij liberaliter promissum satis impleri, si nihil

hil omittitur ex parte promissoris: at in onerosis obligari promissorem ad id quod tantundem valet. Sic ergo in proposita quæstione non tenebitur quidem dimissus reddere sæ custodiæ, neque enim id conuentum fuit, neque tacite actum intelligi patitur fauor libertatis, neque debebit lucrifacere libertatem, sed eius quod præstare non potest æstimationem præstabit. Hoc enim naturali simplicitati congruētius, quam quæ in actione de præscriptis verbis & de condictione ob causam dati causa non secuta, Romani iuris interpretes tradunt.

l. naturaliter §. 1. de præscr. verb. l. vlt. D. de cond. ob caus. dat.

CAP. XXII.

De fide minorum potestatum in bello.

I. *Ducum genera.*
II. *Quatenus eorum pactio obliget summam potestatem.*
III. *Aut occasionem obligationi det.*
IV. *Quid si factum quid contra mandatum? vbi distinctiones adhibentur.*
V. *An tali casu pars altera obligetur.*
VI. *Quid belli duces aut magistratus possint circa inferiores se, aut pro iisdem.*
VII. *Pacem facere ducum non esse:*
VIII. *An inducias dare distinguitur.*
IX. *Quæ securitas personarum, quæ res ab ipsis concedi possint.*
X. *Strictè interpretanda talia pacta & quare.*
XI. *Quomodo interpretanda deditio à duce accepta.*
XII. *Quomodo cautio, si regi aut populo visum fuerit.*
XIII. *Quomodo promissum de oppido tradendo.*

I. INTER publicas conuentiones Vlpianus & hanc speciē posuit quoties inter se duces belli quædam pacis-

l. conuentionum, D. de pactis.

paciſcuntur. nos diximus poſt fidem datam à ſummis poteſtatibus agendum & de ea quam dant minores inter ſe aut aliis: ſiue minores illi ſummis ſint proximi, quales ſunt duces excellenter dicti, de quibus illud Liuij capiendum: *Nec ducem nouimus niſi cuius auſpicio bellum geritur*: ſiue longius remoti.

Lib. IV.

II. Eſt autem in horum promiſſis duplex inſpectio, nam aut hoc quæritur an ſummam poteſtatem obligent, aut an ſe ipſos. Prior quæſtio definienda eſt ex eo quod alibi diximus obligari nos & per eum quem voluntatis noſtræ miniſtrum elegerimus, ſiue voluntas illa ſpecialiter expreſſa eſt, ſiue ex ipſa præpoſitionis naturâ colligitur. Nam qui dat facultatem dat quantum in ſe eſt quæ ad facultatem ſunt neceſſaria, quod in materia morali intelligendum eſt morali modo. Duobus ergo modis poteſtates minores ſupremam ſuo facto obſtringunt, faciendo id quod probabiliter ipſorum officio contineri cenſetur, aut etiam extra illud ex ſpeciali præpoſitione notâ publicè aut iis quorum res agitur.

Lib. II. c. 10.

III. Sunt & alii modi quibus poteſtas ſumma obligatur antecedente miniſtrorum facto, ſed non ita vt id factum cauſa ſit propriè dicta ſed vt occaſio ſit obligationis: idque dupliciter, vel per conſenſum, vel per rem ipſam: Conſenſus apparet ratihabitione, non tantum expreſſa, ſed & tacita, id eſt vbi ſciuit ſumma poteſtas quod actum erat & fieri paſſa eſt quæ ad aliam cauſam referri probabiliter non poſſunt. quod ipſum quomodo procedat alibi tractauimus. Per rem hactenus obligantur ne locupletiores fiant aliena iactura, id eſt vt aut contractum præſtent ex quo commodum volunt conſequi, aut de commodo diſcedant, de qua æquitate itidem à nobis alibi dictum eſt. Et hactenus nec vltra recipi poteſt quod dicitur valere ſi quid

Lib. II. c. 4. & c. 14.

Lib. II. c. 9.

quid vtiliter gestum est. Contra vero ab iniustitia excusari non possunt qui cum pacta improbent, tamen retinent quod sine pactis non haberent: Vt cum Senatus Romanus, narrante Valerio, factum Cn. Domitij neque probare potuit, neque rescindere voluit: qualia multa in historiis occurrunt. *Lib. IX. 16.*

IV. Illud quoque ex supra à nobis dictis repetendum est, obligari eum qui præposuit etiam si præpositus fecit contra mandata arcana, intra limites tamen publicæ functionis. Hanc æquitatem rectè secutus est Prætor Romanus in institoria actione: neque enim omne quod cum institore geritur obligat eum qui præposuit, sed ita si eius rei gratia cui præpositus fuerit contractum est. de quo autem palam proscriptum fuit ne cum eo contrahatur, is præpositi loco non habebitur: quod si proscriptum quidem sit, sed non pateat, tenetur qui præposuit. conditio quoque præpositionis seruanda est: nam si quis sub certa lege vel interuentu cuiusdam personæ contrahi voluit, æquissimum erit id seruari in quo præpositus est. Cui consequens est vt alii reges aut populi magis, alij minus ex ducum suorum contractibus teneri possint, si satis notæ sint ipsorum leges atque instituta. De his si non constat, sequendum est quod coniectura dictat, vt concessum intelligatur id sine quo satis commodè quæ officii sunt expediri non possunt. Mandati fines si excesserit minor potestas, tenebitur ipsa, si quod promisit præstare non potest, ad æstimationem: nisi lex aliqua satis cognita id quoque impediat. Quod si dolus accesserit, id est si præ se tulerit ius maius quam habebat: iam tenebitur & de damno culpa dato, imo & ex crimine ad pœnam crimini respondentem. Ex priore causa bona obligantur & si ea deficiant operæ, aut libertas corporis: ex posteriore quoque persona, aut *Lib. II. c. 10.* *l. cuicumque, §. non tamen, D. de inst. act.* *l. sed si. §. de quo, & §. proscribere, & §. proscriptum eod. tit.*

aut bona, aut vtrumque pro delicti quantitate. Quod autem de dolo diximus proceder etiam si quis testationem interposuerit semetipsum obligari nolle, quia & damni dari & pœnæ iustæ debitū cum delicto non voluntario sed naturali nexu cohærent.

V. Quia verò semper aut summa potestas obligatur aut minister eius, ideò & certum est partem alteram obligari, nec dici posse claudicare contractum. Egimus de comparatione eorum qui medij sunt ad superiores.

VI. Videamus & quid in inferiores possint: Nec puto dubitandum quin dux milites, magistratus oppidanos obligent intra eos actus qui solent ab ipsis imperari: alioqui consensu opus esset. Contrà ducis aut magistratus pactum inferioribus proderit in merè vtilibus omnino: id enim in potestate comprehensum satis est: in his quę onus annexum habent, intra ea quæ imperari solent, omnino; extra ea, ita si acceptauerint: quæ congruūt his quæ de stipulatione pro tertio ex naturali iure alibi disseruimus. Generalia hæc illustriora facient subiectæ species.

Ad l. VIII. cons. 40.

Lib. II. c. 10.

VII. De belli causis & consequentibus transigere ad belli ducem non pertinet, neque enim belli gerendi pars est bellum finire: imò etsi cum maxima potestate præpositus fuerit, ea de bellli ductu erit intelligenda. *Quam pacem A. Albinus cum Iugurtha rege senatus iniussu fecerat, senatus rescidit*, inquit Sallustius. Sic Caudina, sic Numantina sponsio populum Romanum vt alibi exposuimus non obligauit. Et eatenus verum est illud Posthumij *si quid est in quo obligari populus potest, in omnia potest*, nempe eorum quæ ad ductum belli nō pertinent, quod ostendunt antecedentia, de deditione, de sponsione relinquendæ aut incendendæ vrbis, de statu mutando.

Iugurth.

VIII. In-

VIII. Inducias dare ducum est, nec summorum tantum, sed & minorum, ijs nempe quos oppugnant aut obsessos tenent, & se suasq; copias quod attinet. Nam alios duces pares non obligant, quod Fabii & Marcelli historia apud Liuium declarat. *Lib. XXIV.*

IX. Homines, imperia, agros bello quæsita cōcedere itidem ducum non est. Hoc iure Syria Tigrani adēta quanquam Lucullus dederat. De Sophonisba quæ bello capta erat ait Scipio senatus populique Romani iudicium atque arbitrium esse; ideò à Masanissa, quo duce capta erat, libertatem ei dari non potuisse. In res alias quæ in præda sunt ius aliquod concedi imperantibus videmus non tam ex vi potestatis quam cuiusque populi moribus. qua de re satis superius à nobis dictum est. At nondum quæsita condonare omnino in ducum est potestate: quia oppida pleraque & homines sæpe in bello dedunt se sub conditionibus vitæ saluæ, aut & libertatis, aut & bonorum, de quibus summæ potestatis arbitrium exquiri res plerumque non patitur. Pari ratione ius hoc & ducibus non summis dandum est intra ea quæ ipsis agenda cōmissa sunt. Maharbal Romanis quibusdam, qui ex prælio ad Thrasymenum euaserant, satis longe absente Annibale, fidem dederat non tantum vitæ τῆς σωτηρίας, vt nimium concise narrat Polybius, sed si arma tradidissent abire cum singulis vestimentis passurum: retinet eos Annibal hoc causatus ὅτι Μαάρβας οὐκ εἴη κύριος ἄνευ τῆς αὐτοῦ γνώμης διδοὺς τὴν ἀσφαλείαν τοῖς ὑποσπόνδοις. *In potestate Maharbalis non fuisse se inconsulto fidem dare se dedentibus qua ipsos illæsos aut indemnes præstaret.* Iudicium de hoc facto Liuii sequitur: *Punica religione seruata fides ab Annibale est.* Quare & M. Tulliū, in Rabirii causa vt oratorem audire debemus, non vt iudicem. Vult à Rabirio Saturninū iure cæsum quem Consul C. Marius

Iustin. lib. XI.
Liu. lib. XXX.
Cast. de Iust. & iure, l. 1.
Lib. III. c. 6

rius data fide ex Capitolio abduxerat: *Fides, ait, quî potuit fine Senatusconsulto dari?* & ita rem agit quasi Mariũ solum fides ista obstringeret. Atqui C. Marius ex Senatusconsulto potestatem acceperat operam dandi vt imperium populi Romani maiestasq; conseruaretur. In ea potestate, quæ Romanis moribus erat maxima, quis neget comprehensum ius dandæ impunitatis, si eo modo omne periculum à republica arceretur?

X. Cæterùm in his ducum pactis, quia de re agunt alienâ, quatenus contractus natura patitur, adstringenda interpretatio, nempe ne aut ex ipsorum facto summa potestas plus quàm vellet obligetur, aut ipsi damnum subeant officium faciendo.

XI. Ita qui in deditionem puram à duce accipitur, eo iure acceptus censetur, vt de eo victoris populi aut regis arbitrium sit. cuius exemplum est in Gentio Illyrii, & Perseo Macedoniæ rege, qui se, ille Anicio, hic Paulo dediderunt.

XII. Sic adiecta cautio, *ita ratum sit, si populus Romanus censuisset*, quam sæpe in sponsionibus inuenias, efficiet vt ratihabitione non secutâ, dux in nihil ipse teneatur, nisi si quà locupletior factus sit.

Liu. lib. XXIV.

XIII. Et qui oppidum tradere promiserunt possunt præsidium dimittere, vt fecisse Locrenses legimus.

CAPVT XXIII.

De fide priuata in bello.

I. *Refellitur sententia statuens priuatos fide hosti data non obstringi.*

II. *Ostenditur obstringi eos etiam pirata & latroni: & quatenus:*

III. Mi-

III. *Minor hic non excipitur:*
IV. *Error an liberet:*
V. *Soluitur obiectio sumta ex publica vtilitate.*
VI. *Aptantur ante dicta ad fidem datam reditus in carcerem:*
VII. *In certum locum non redeundi: non militandi:*
VIII. *Non fugiendi.*
IX. *Captum alii se dare non posse.*
X. *An priuati cogendi sint à suis potestatibus implere quod promiserant.*
XI. *Qualis interpretatio in huiusmodi pactis adhibenda.*
XII. *Quomodo sumendæ voces vitæ, vestium, aduentus, auxilii.*
XIII. *Rediisse ad hostem quis dicendus.*
XIV. *Iusta auxilia quæ, in deditione sub conditione facta.*
XV. *Quæ ad executionem pertinent, conditionem non facere.*
XVI. *De talium pactorum obsidibus.*

I. CICERONIS est illud satis tritum: *Etiam si quid singuli temporibus adducti hosti promiserint est in eo ipso fides conseruanda:* singuli, milites puta aut pagani: nihil enim ad fidem refert. Mirum est inuentos esse iuris magistros qui docerent pacta publice cum hostibus inita fidem adstringere: at quæ à priuatis fierent non item. Nam cum priuati iura priuata habeant quæ obligare possunt, & hostes capaces sint acquirendi iuris, quid esse potest quod obligationem impediat? Adde quod nisi id statuatur, datur cædibus occasio, libertati impedimentum: nam & illæ caueri sæpe, & hæc obtineri à captiuis fide priuatorum sublata non poterit. *Bart. in l. conuentionum D. de pactis. Zasi. in apol. contra Eckium.*

II. Imò non hosti tantum illi quem ius gentium agnoscit, sed & latroni & piratæ data priuatim fides obligat perinde vt de fide publica supra diximus. Id interest, quod si metus iniustus ab altero incussus impulerit ad promittendum, is qui promisit petere restitutionem aut si alter nolit sibi eam præstare po- *C. XIX. Oldr. Cons. 7.*

 test.

Couar. de matrim part. II. c. 3. §. 4. n. 21. test. Quod in metu procedente ex bello publico iurisgentium locum non habet. Quod si & iusiurandum accesserit, iam omnino quod promissum est præstandum erit ab eo qui promisit, si periurii crimen effugere volet. Sed tale periurium si in hostem publicum commissum sit puniri ab hominibus solet, si in latrones aut piratas dissimulari odio eorum quorum commodum agitur.

III. In hac quoque priuata fide minorem non excipiemus qui eius status est vt actum intelligat. Nam quæ minoribus consulunt beneficia ex iure sunt ciuili. Nos de iure gentium quærimus.

IV. Et de errore alibi diximus, ita ius dare à contractu recedẽdi si id quod per errorem creditum fuit, in mente agentis vim habuerit conditionis.

Lib. II. c. 10. V. At quousq; se extendat priuatorũ se in paciscendo potestas difficilior inspectio est. Quod publicũ est à priuato alienari non posse satis constat: nam si ne ducibus quidem belli id permissum est, vt modo probauimus, multo minus priuatis. Sed de ipsorum actionibus ac rebus quæri potest, quia videntur hæc quoque concedi hostibus non posse sine aliquo damno partis: vnde videri possunt talia pacta illicita cum ciuibus ob ius supereminens ciuitatis tum conductis militibus ob fidem sacramento datam. Sed sciendum est ea pacta quæ malum maius aut certius euitant magis vtilia quam damnosa etiam publico censeri debere, quia *Punic.* minus malum induit rationem boni: χρὴ τῶν κακῶν ἐπιλέγεσθαι τὰ μετριώτερα, vt ait quidam apud Appianum. neque verò fides sola qua quis potestatem ipsam sui & suarum rerum non abdicat, neque vtilitas publica sine legis auctoritate id efficere possunt vt quod factum est etiamsi contra officium factum esse detur, irritum

sit

fit & effectu iuris omni careat. Lex quidem posset adimere subditis aut perpetuis, aut temporariis hanc potestatem: Sed neque lex hoc semper facit, parcit enim ciuibus: neque semper facere potest: nam leges humanæ, vt alibi diximus, vim obligandi tum demum habent, si latæ sint ad humanum modum, non si onus iniungant quod à ratione & natura plane abhorreat. Et ideo leges & præcepta specialia quæ tale quid aperte præ se ferunt pro legibus haberi non debent: Generales autem leges interpretatione benigna ita accipiendæ sunt vt casus summæ necessitatis excludant. Quod si actus qui lege aut præcepto interdictus erat, & vel lere veritus, interdici æquo iure potuit, iam irritus erit, actus priuati, sed puniri tamē idem poterit, ideo quod promisit id quod sui iuris non erat, maximè si iuratus id fecerit.

VII. Promissio captiui de redeundo in carcerē merito toleratur. Neque enim deteriorem reddit captiui conditionem: non ergo vt quidam existimant gloriosè tantum fecit M. Attilius Regulus, sed & quod debebat: *Regulus*, inquit Cicero, *non debuit conditiones pactionesque bellicas & hostiles perturbare periurio.* Nec obstat illud: Off. III.

Atqui sciebat quæ sibi barbarus
Tortor pararet. Horat.

Nam & hoc fieri posse iam scierat cum promitteret. Sic & de decē captiuis, vt quidem ex antiquis scriptoribus rem narrat Gellius, *octo postliminium iustum non esse sibi responderunt quoniam deiurio vincti forent.* Lib. VII. c. 18.

VIII. Solent & promittere quidam ne in certum locum redeant, ne aduersus eum qui ipsos in potestate habet militent. Prioris exemplum apud Thucydidem, vbi sic Ithomenses promittunt Lacedæmoniis, exituros se Peloponneso, nec vnquam redituros.

Posterius nunc frequens est. Vetus exemplum est a-
Lib. I. pud Polybium vbi dimittuntur ab Amilcare Numidæ, sub lege, μηδένα φέρειν ὅπλον πολέμιον κατ' αὐτῶν. *Ne aduersus Carthaginienses eorum quisquam arma hostilia ferret.*
Goth. III. Simile pactum habet in Gothicis Procopius. Hoc pactum quidam irritum pronuntiant, quia sit contra officium quod patriæ debeatur. At non quicquid contra officium est statim & irritum est, vt & alibi & supra diximus. Deinde vero ne contra officium quidem, libertatem sibi parere id promittendo, quo iam est in hostis manu. Nihilo enim deterior fit patriæ causa, cui is qui captus est, ni liberetur, iam periisse censendus est.

IX. Promittunt & nonnulli non fugere, ceu [illegible] hoc eos, etiamsi vincti promiserint contra quam quidam sentiunt. Nam & sic solet aut vita seruari aut mitior obtineri custodia. Si vero vinctus sit postea, ita demũ liber erit si ideò promiserit ne vinciretur.

X. Satis ineptè quæritur an qui captus est alii dedere se possit. Nimis enim certum est neminem sua pactione ius alteri quæsitum adimere posse. Est autem captori ius quæsitum aut ipso belli iure, aut partim belli iure, partim concessu eius qui bellum gerit secundum ea
Lib. III. c. 6. quæ supra exposuimus.

XI. Circa effectus pactorum egregia quæstio est, an priuati si in fide præstanda negligentes sint à suis potestatibus cogendi sint eam implere. Et cogendos verius est in bello duntaxat solenni, ob ius gentium, quo bellum gerentes obstringuntur alter alteri ius reddere, etiam de factis priuatorum, vt puta si à priuatis violati
Lib. VIII. c. 1. essent hostium legati. Sic Cornelius Nepos recitante Gellio scripserat multis in Senatu placuisse vt ij de decem captiuis qui redire nollent datis custodibus ad Hannibalem deducerentur.

XII. De

XII. De interpretatione tenendæ regulæ iam aliquoties memoratæ vt à proprietate verborum non recedatur nisi absurdi vitandi causa, aut ex alia satis certa mentis coniectura: vt in dubio magis interpretemur verba contra eum qui legem dedit. Vitam pactus non etiam ad libertatem ius habet. Vestium nomine arma non veniunt: sunt enim hæc diuersa. Venisse auxilium rectè dicitur si sit in conspectu, etiamsi nihil agat; nam ipsa præsentia suam vim habet.

XIII. At rediisse ad hostem non dicetur qui clam rediit vt statim exiret: rediisse enim ita intelligi debet vt in potestate hostium iterum sit. Contraria interpretatio veteratoria Ciceroni, stulte callida, quæ fraudem in se & periurium habeat. Eadem Gellio fraudulenta calliditas, à Censore ignominiis notata, qui eam adhibuerant intestabiles & inuisi. *De off. III.* *Lib. VIII. c. 19.*

XIV. Iusta auxilia in pacto deditionis non faciendæ si ea aduenerint, intelligi debent talia quæ periculum cessare faciant.

XV. Notandū & hoc, si quid de executionis modo conuenit id conditionem non iniicere pacto, vt si dictum certo loco solui, qui locus postea dominum mutauerit.

XVI. De obsidibus tenendum quod supra diximus plerumque eos accessionem esse principalis actus: sed tamen conueniri etiam posse vt disiunctiua sit obligatio, nimirum vt aut fiat aliquid aut obsides retineantur. Sed in dubio tenendum est illud, quod maximè est naturale, id est vt accessio tantum credantur.

CAP. XXIV.

De fide tacita.

I. *Tacite quomodo fides interponatur.*
II. *Exemplum in eo qui in tutelam recipi à populo aut rege expetit:*
III. *Qui colloquium postulat aut admittit:*
IV. *Huic tamen dum collocutori non noceat integrum esse res suas promouere.*
V. *De mutis signis ex consuetudine aliquid significantibus.*
VI. *De tacita approbatione sponsionis.*
VII. *Pœna quando tacite remissa.*

l. ea lege, D. locati.

I. SILENTIO quædam conueniri non male à Iauoleno dictum est, quod & in publicis, & in priuatis & in mixtis conuentionibus vsu venit. Causa hæc est quod consensus qualitercumque indicatus & acceptatus vim habet iuris transferendi. Signa autem con-
Lib. II. c. 4. sensus sunt & alia præter voces & literas vt non semel
Lib. III. c. 2. iam indicauimus. Quædam natura insunt actui.

II. Exemplum sit in eo qui aut ab hostibus aut ab externis veniens in alterius populi aut regis fidem se dat. nam hic quin tacite se obliget nequid faciat aduersus eum statum in quo præsidium petit, dubitari non debet. Quare sequendi non sunt qui Zopyri factum à reprehensione remotum aiunt: neque enim fides eius in regem perfidiam in eos ad quos confugerat excusat. Idem de Sexto Tarquinii filio qui ad Gabios se contulerat dictum esto. De Sinone Virgilius:

Liu. lib. 1.

Æneid. II.

Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab vno
Disce omnes.

III. Sic & qui colloquium aut postulat, aut admittit ta-

tit tacite pollicetur collocutoribus id innoxium fore. Hostibus per colloquii speciem violandis ius gentium violari pronuntiat Liuius. Cn. Domitius eo quod Bituitum regem Aruernorum per colloquii simulationem accersitum, hospitioque exceptum vinxit, hoc à Valerio Maximo iudicium refert: *Nimia gloriæ cupiditas perfidum existere coegit.* Quamobrem mirari subit cur scriptor libri octaui belli Gallici Cæsaris, siue is Hirtius est, siue Oppius, simile factum T. Labieni referens adiecerit, *infidelitatem eius* (Comii scilicet) *sine vlla perfidia iudicauit comprimi posse*, nisi hoc Labieni magis quam scriptoris iudicium est. *Lib. XXXVIII.* *Lib. X. c. 6.*

IV. At non vltra tacita illa voluntas trahenda est quam dixi nam dum collocutores nihil patiantur, specie colloquii auertere hostem à belli consiliis, sua interim promouere, perfidia vacat, & dolis bonis annumeratur. quare qui deceptum spe pacis regem Perseum arguebant, non tam iuris & fidei quam animi excelsi & gloriæ bellicæ habebant rationem, vt ex his quæ de dolis bellicis diximus satis potest intelligi. *Liu. lib. XLII.* *Liu. lib. III. c. 2.*

V. Sunt & signa quædam mutа ex consuetudine significantia, vt olim vittæ & rami oliuarum, apud Macedones hastarum erectio, signa supplicis deditionis, quæ proinde obligant ad arma ponenda. Qui vero dedirionem accipere se significat an obligetur & quatenus, ex his quæ supra dicta sunt petendum est. Hodie vela candida tacitum habent signum petiri colloquii: obligabunt ergo non minus quam si voce petitum esset. Sponsio à ducibus facta quatenus tacite approbata à populo aut rege censeri debeat & hoc iam supra diximus, nimirum vbi & actus fuit cognitus, & aliquid factum aut non factum cuius rei alia causa extra voluntatem fœderis probandi dari non possit. *Lib. III. c. 4* *Lib. II. c. 20. c. 22.* *c. 22.*

VI. Pœnæ remissio ex sola dissimulatione non potest colligi: sed opus est accedat actus talis qui aut amicitiam per se ostendat, vt fedus amicitiæ causa; aut opinionem de tali virtute cui merito antefacta condonari debeant, siue ea opinio verbis indicata est, siue rebus quæ ex more institutæ sint ad talem significationem.

CAP. XXV.

Conclusio cum monitis ad fidem & pacem.

I. *Monita ad fidem seruandam.*
II. *In bello pacem semper spectandam:*
III. *Et amplectendam etiam cum damno, Christianis præsertim.*
IV. *Vtile id victis:*
V. *Et victori:*
VI. *Et quorum res dubiæ sunt.*
VII. *Pacem factam summa religione seruandam.*
VIII. *Votum & finis operis.*

I. ATQVE hic finire me posse arbitror, non quod omnia dicta sint quæ dici poterant, sed quod dictum satis sit ad iacienda fundamenta, quibus si quis velit superstruere speciosiora opera adeo me inuidẽtem non habebit, vltro & gratiam referet. Tantum antequam dimitto lectorem, sicut cùm de bello suscipiendo agerem monita quædam de bello quantum fieri potest declinando adieci, ita nunc quoq; monita pauca addam quæ in bello & post bellum valeant, ad fidei curam & pacis: & fidei quidem tum propter alia tum ne spes pacis adimatur. Fide enim non tantum respu-

respublica quælibet continetur vt Cicero dicit, sed & maior illa gentium societas: Hac sublata vt verè Aristoteles ἀνῃρημένης γὰρ τῆς πρὸς ἀλλήλους χρείας τοῦ ἀνθρώπου, *tollitur quod inter homines est commercium.* Itaque merito idem ille Cicero nefarium esse ait fidem frangere quæ continet vitam: *Sanctissimum*, vt Seneca loquitur, *humani pectoris bonum*: quam tanto magis præstare debent summi hominum rectores quanto cæteris impunius peccant: Itaque fide sublata feris erunt similes quarum vim omnes exhorrent. Et iustitia quidem in cæteris sui partibus sæpè habet aliquid obscuri: at fidei vinculum per se manifestum est, imo ideo quoque vsurpatur vt de negotiis omnis dematur obscuritas. Quo magis regum est religiosè hanc colere, primum conscientiæ, deinde & famæ causa quâ stat regni auctoritas. Ne dubitent igitur eos qui ipsis fallendi artes instillant, idipsum facere quod docent. Non potest diu prodesse doctrina quæ hominem hominibus insociabilem facit: adde & Deo inuisum.

Off. III. Rhet. ad Theod. lo. c. 15.

Cic. pro Q. Ros. Epist. LXXXVIII.

II. Deinde in tota belli administratione non potest securus & Deo fidens animus retineri nisi semper in pacem prospectet. Verissimè enim dictum à Sallustio: *Sapientes pacis causa bellum gerere:* Cui congruit Augustini sententia: *non pacem quæri vt bellum exerceatur sed bellum geri vt pax acquiratur.* Ferinum quiddam vis est: quæ in bello maximè eminet: quo diligentius curandum est vt humanitate temperetur ne nimium feras imitando dediscamus hominem.

Orat. ad Cæs. Epist. ad Bonif.

III. Pax ergo tuta satis haberi si potest, & malefactorum & damnorum & sumtuum condonatione nō malè constat: præcipuè inter Christianos, quibus pacem suam Dominus legauit. Cuius optimus interpres nos vult, quantum fieri potest, quātum in nobis situm est, cum omnibus pacem quærere.

Rom. XII. 18.

IV. Satis quidem hoc vnum esse debet, sed & plerumque vtilitas humana eodem trahit: primum eos qui minus valent: quia periculosum est longum cum valentiore certamen, &, vt in naui fit, iacturâ aliquâ redimenda maior calamitas, omissa ira ac spe fallacibus, vt rectè Liuius dixit, auctoribus. hunc sensum Aristoteles sic enuntiat: κρεῖττον τοῖς κρείττοσι μέρος τινὸς ἀπαρχόντων περιέσθαι, ἢ πολέμῳ κρατηθέντας αὐτὸς αὐτῶν κτήμασιν ἀπολέσθαι. *Satius est his qui plus pollent aliquid rerum suarum relinquere, quam bello victos cum rebus perire.*

V. Sed & eos qui validiores sunt: quia bonis suis rebus vt idem Liuius nō minus verè ait, ampla ac speciosa dantibus pax est. Cogitandus quoque Mars communis: δεξιπόνη, ait Aristoteles, τὰς μεταβολὰς τὰς ἐν πολέμῳ ὡς πολλαὶ καὶ παράλογοι γίγνονται. *Cogitandum in bello quam multæ quamque improuisæ mutationes accidere soleant.* Et maximè metuenda desperātium audacia, tanquam acerrimi morientium belluarum morsus.

VI. Quod si vterque pares sibi videantur, id vero Cæsare auctore optimum tempus de pace agendi dum sibi vterque confidit.

VII. Pax autem facta qualibuscumque legibus seruanda omnino ob eam quam diximus fidei sanctimoniam, sollicitēq; cauenda, non tantùm perfidia, sed & quidquid animos exasperat. Nā quod de priuatis amicitiis dixit Cicero, ad has publicas non minus rectè aptes, cum omnes summa religione ac fide tuēdas, tum eas maximè quæ ex inimicitiis reuocatæ sunt in gratiā.

VIII. Inscribat hæc Deus (qui solus hoc potest) cordibus eorum quorum res Christiana in manu est, & iisdem mentem diuini humanique iuris intelligentem duit, quæque semper cogitet lectam se ministram ad regendos homines, Deo carissimum animal.

FINIS.

LOCI

LOCI SCRIPTORVM IN HOC OPERE SPECIALITER EXPLICATI, AVT EXAMINATI, aut emendati.

EX SACRIS LITERIS: VETERIS TESTAMENTI.

Geneſis.	IV.	14.	*Pag.* 22
		24.	*ead.*
	IX.	5. 6.	21
	XIV.	16. & ſeq.	611
		20.	518
	XVIII.	23.	468
	XX.	12.	472
	XXV.	6.	198
	XXVIII.		250
Exodus.	XVII.		19
	XX.	2. & ſeq.	400
		5.	420
		12. & ſeq.	389
		17.	395

	XXI. 14.	416
	XXII. 2.	52. 122
	9.	392
Leuiticus,	XVIII.	171
Numeri.	XIV. 30.	275
	XX. & XXI.	135
Deuteronomium.	XIII. 19.	391
	XX. 10. 15.	19
	11.	495
	19.	584
	XXII. 28.	100
	XXIII. 6.	304
Iosue.	IX.	276
Iudicum.	III. 15.	108
	XX.	276
I. Samuelis, qui Latinis I. Regum.	VIII. 2.	90
	X. 5. 10.	578
	XI.	481
	XIX. 16.	578
	XXV.	277
II. Regum, qui Latinis IV. Regum.	III. 19.	591
	VI.	481
	XVIII.	340
I. Paralipomenon.	XIX. 2.	80
	XXIII.	107
	XXVI. 32.	80
II. Paralipomenon.	XVI. 2. 7.	305

	XIX. 2.	*ibid.*
	XX. 37.	*ibid.*
Psalmi.	II.	27
Esaias.	II. 4.	34
Ieremias.	XXXVIII. 5.	588
	26.	472
Ezechiel.	XVIII.	380
Ecclesiastes.	XII. 7.	350
Prouerbia.	XVI. 4.	304

NOVI TESTAMENTI.

Matthæus.	V. 17.	34
	21. & seq.	25
	34.	280. 286
	39. & seq.	34. 35. 53. 54. 55
	44. & seq.	29
	XI. 13.	29
	XXII. 20.	108.
	XXIII. 21.	280.
	XXVI. 25.	478
	52.	53. 55. 56
Marcus.	VI. 48.	473
	IX. 19.	395
Lucas.	II. 1.	432
	XIV. 13.	405.
	XVII. 3.	375
	XXII. 30.	476
	XXIV. 28.	473
Iohannes.	IV. 9.	304

VIII. 7. 362
XVIII. 36. 433
Acta Apostolorum. X. 2. 11
XVI. 3. 473
XVII. 4. 11
Ad Romanos. I. 25. 403
III. 27. 26
VII. 14. ead.
X. 5. 15
XII. 17. 39
19. 55
XIII. 1. 28
2. 45. 91
4. 27. 33
XIV. 23. 437
I. ad Corinthios. VII. 21. 183
25. 171
36. 168
XI. 14. 270
II. ad Corinthios. X. 3. 40
XI. 3. 128
XII. 14. 196
Ad Galatas. III. 25. 15
IV. 1. 143
VI. 5. 183
Ad Ephesios. II. 3. 270
VI. 12. 46
Ad Colossenses. III. 22. 183
I. ad Timotheum. II. 1. 2. 3. 26. & seq.

Ad

Ad Titum.	II. 9.	183
Ad Hebræos.	VI. 17.	274
	VII. 13.	26
	19.	15
	VIII. 7.	*ead. p.*
	XI. 6.	401
	33. 34.	19
Iacobus.	I. 15.	387
	IV. I.	41
	V. 12.	286
I. Petri.	II. 12.	93
	16.	183
I. Iohannis.	II. 16.	388
	III. 16.	25
	V. 16.	367

EX THEOLOGIS.

Synodus Nicena can. XII.	46
Synodus Arelatensis I. can. III.	48. & seq.
Concilium Toletanum I.	175
Leonis Epistola.	48
Augustinus quæst. super Iosue.	471
de libero arbitrio.	53. 123
de mendacio.	475. & seq.
de ciuitate Dei.	589
c. si quis seruum. XVII. q. 4.	183. 545
c. de Iudæis. dist. 45.	404
c. 2. de Treuga & pace.	578. 588
Adrianus quodlibet. 2.	462

Domi-

Dominicus Soto de Iustitia & Iure lib. v. c. 1. 452
Franciscus Victoria relectione de Indis: & de Iure belli. 58.139.433
Medina de restitutione, q. 10. 556

EX IVRE.

Lex Solonis. 52.121
Lex XII. Tabularum. 36.52.121
Digestis.
De Iustitia & iure. l. 1. §. huius studii. 514
l. ex hoc iure. 20
De diuisione rerum. l. quædam. 144
De pactis, l. conuentionum. 297
De minoribus. l. in causæ cognitione. 270
Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. l. 1. 20
Ad legem Aquiliam. l. scientiam. §. quicum. 115
l. quemadmodum. §. item. 132
De religiosis & sumtibus funerum. l. cùm loca. 513.559.
De condictione indebiti. l. Iulianus. 489
De lege Rhodia de iactu. l. 2. §. cùm in eadē. 132
l. ἀξίωσις. 432
Depositi. l. bona fides. 236.283
De distractione pignorum. l. rescriptum. §. 1. 489

II. De

II. De legatis & fideicommissis. l. cùm ita legatum. §. in fideicommisso. 207
Ad legem Falcidiam. l. pretia. 263
Si tabulæ testamenti nullæ exstabunt, vnde liberi. l. scripto. §. 1. 197
De damno infecto. l. Fluminum. §. vltim. & l. Proculus. 421
De acquirendo rerum dominio. l. quod in littore. 144
l. in agris limitatis. 148
l. transfugam. 484.636
De acquirenda vel amittenda possessione. l. 1. §. 1. 520
Nequid in loco publico vel itinere fiat. l. littora. 144
De diuersis temporum præscriptionibus. l. si quisquam. 145
De furtis. l. 1. 7
De incendio, ruina, naufragio. l. quo naufragium. §. quod ait. 132
De sepulchro violato. l. sepulchra. 516
Ad legem Corneliam de sicariis. l. furtum. 122
De pœnis. l. aut facta. 393
l. crimen. 421
De iure fisci. l. Imperatores. 362
De captiuis & de postliminio. l. nauibus. 559
l. postliminii. §. in pace. 561
l. non dubito. 82.561.598

l.in bello. 552
l.postliminium. §.postliminio. 551. 657
§.filius quoque. 657
l si captiuus. 553
l.hostes. 491
l.si quid bello. 553
De verborum significationibus. l. probrum. 7. 271
De regulis iuris. l.ius nostrum. 271

CODICE.

De Iudæis. l.nulli. 369
De legibus. l.non dubium. 176
Quando Imperator inter pupillos cognoscat. 78
Quando liceat vnicuique vindicare se, vel publicare deuotionem. 379
De postliminio reuersis. l.ab hostibus. 558
Ad legem Iuliam Maiestatis.l.vlt. 322
De emendatione propinquorum. 367

INSTITVTIONIBVS.

De rerum diuisione.§.1. 144

EX IVRISCONSVLTIS.

Bartolus in l. conuentionum. D. de pactis. 673.
in l.Hostes. D. de captiuis. 432
Zasius Apologia contra Eckium. 673

Didacus

Didacus Couarruuias in Clem. si furiosus: De Homicidio. parte III. §. I. 119
in c. peccatum. p. II. §. 10. 398
Ferdinandus Vasquius Menchacensis controuersiarum illustrium I. c. 9. 566
c. 13. 453
c. 25. 396
c. 46. 386
II. c. 51. num. 34. 291
III. c. 3. 635
Menochius arbitrariarum quæstionum VII. 582
Ioannes Bodinus de republica, lib. I. c. 8. 289 296
V. c. vlt. 322
VI. c. vlt. 392
Guilielmus Barclaius aduersus Monarchomachos. III. 8. 98
IV. 16. 105.
VI. 23. 24. 98

EX PHILOSOPHIS.

Plato, Gorgia. 363
de legibus. IX. 121
XII. 564
Xenophon I. Socraticorum. IV. 170
Aristoteles Nicomachiorum. V. 10. 570
15. 355
Politicorum. IV. 4. 61

Problematum sectione XXIX. 438
M. Tullius Cicero de Officiis I. 448
III. 260.472
Ad Atticum XIII. 27. 448
L. Annæus Seneca. De Beneficiis IV. 285.328
Plutarchus quęstionum Romanarum CVIII. 169

EX HISTORICIS.

Polybius. 470.577
Liuius V. 138
XXXIV. 299
Appianus Ciuilibus. 651
Mithridatico. 330
Iustinus ex Trogo. 654
Tacitus Annalium II. 228
Eucherius in historia Martyrum Agaunensium. 103

EX ALIIS.

Virgilius. 339
Scriptor ad Herennium. IV. 575
Horatius. 663
Philo de legibus specialibus. 519
Plinius VIII. Epistola ad Aristonem. 177
Panegyricus dictus Constantino Constantii filio. 575
Festus Pompeius. 286.552
Dantes. 432

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM AC VERBORVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A

ABdicari regnũ an possit. 208
Abdicato filio an quid debeatur. 197
Abitus tutus quomodo sumatur. 663
Abrahamus bello adiuuit extraneos. 299
Abrahamus res hostiles sibi acquisitas iudicat. 517. & seq.
Abrahami filii ex Cethura nõ habuerunt partem hereditatis. 198
Absentes an partem prædæ ferant. 530. 532
Absentium ius præsentibus accrescit. 178
Absoluere cur satius quàm cõdemnare. 438
Absolutio à iuramento, vnde vim habeat. 285
Abstinentiæ in solo pacatorum exempla. 613
Absurdus intellectus vitandus. 317. 326
Acceptatio pro altero facta quid operetur. 253
Acceptatio an præcedere alienationem possit. 186
Accessionis ius quale. 224
Accipi plus potest quàm quod nostrum est, sed sub onere restituendi quod excedit. 468
Accusare an Christiano conueniat. 376
Accusatores ex officio publico constitui melius. 380
Achæi dolis abstinebant. 483
Acquiri bello non possunt quæ

penes hostes sunt, sed non hostium. 521.540
Acquiruntur bello quoad ius externum, quæ hostis noster bello acquisiuerat. 522
Acquisitio naturalis in bello. 517
Acquisitio rerum originaria. 141
Acquisitiones impropriè dictæ iuris gentium. 214
Actio iniuriæ an Christiano conueniat. 376
Actionum iniustarum gradus. 388
Actionum forensium & belli ijdem fontes. 113
Actor vt bellum vitetur, re dubia potius cedere debet. 442
Actus homini ineuitabiles an puniri possint. 382
Actus, qui humanam societatem non spectant, puniendi non sunt. ibid.
Actus ex more communes nemini prohibendi. 139
Actus interni an punibiles inter homines. 381
Actus imperfecti an puniantur iure gentium. 394
Actus contra conscientiam illiciti. 437
Actus publici, & priuati in bello publico. 524
Actus benefici. 256
Actus permutatorij. 257
Actus diremptorij. ibidem.
Actus communicatorij. 258
Actus mixti. 259
Actus positiui & negatiui quatum differant. 312
Actus communes à diuiduis distinguendi circa restitutionem. 566
Actus contra iuramentum factus quãdo sit vitiosus tantum, quando & irritus. 284
Actuum humanorum, qui aliys hominibus sunt vtiles, plura genera. 256
Ἀδεσποτα. 217
Admiralitatis natura. 269
Admiralitatis contractus. 258
Adonia à regno exheredatus. 207
Adoptatus ex coniectura voluntaria succedit. 198
Adoptiui non succedunt in regnis à populo delatis. 203
Adulter & adultera ad quam restitutionem teneantur. 335
Aduocatiæ ius. 81
AEdificare in littore an liceat & quatenus. 137

AEdificatio in mari, aut littore. 145
AEqualitas exigendi in contractu qualis exigatur, & quare. 261
AEqualitas in contractibus requisita quotuplex. 259
AEqualitas rei in contractibus qualis. 261
AEquiuocatio. vide *Locutio ambigua.*
AEs, & aurum diduci possunt. 224
AEtas est quid personale. 204
AEtolorum mos. 642
Afrorum mos circa prædam. 528
Agamemnonis iuramẽtum de re illicita. 277
Ager potest vendi mensura nominata, non tamen ad mensuram. 221
Agri diuisi, siue assignati, siue limitati: mensura comprehensi. arcifinij siue occupatorij. 148
Agri capti quando intelligantur. 521
Agri capti publici fiunt. 525
Agri capti: de his Hebræorum, Lacedæmoniorum, & Romanorum mos & consuetudo. ibid.
Agri in dubio non censentur arcifinij. 221
Agri postliminio recipiuntur. 558
Agricolis parcendum. 79
Ager Bœotus secundùm fines, qui ante bellum erant, intelligendus. 317
Agesilai dictum. 471
Aγn. 424
Agnatica successio linealis. 206
Alapam occidendo alterum arcere an liceat iure naturæ, an Euangelico. 119
Alendi liberi, etiam vulgo quæsiti: etiam ex incestis: quod ius Romanum spreuit. 195
Alexander latro & prædo dictus. 113.
Algerienses prædones. 562
Aliena res occupari potest ad vitandum periculum. 467
Aliena res ad debiti consecutionem accipi quando possit. 192
Alienam rem accipere pro debito non licet, vbi debitum per iudicii consequi datur. 193
Alienam rem restituere vnde, & quatenus teneamur. 235
Alienam rem reddens præ-

mium inuentionis non rectè petit. 236
Alienandi sua ius naturale. 185.
Alienati imperii exempla. 73
Alienatio requirit actum externum & acceptationem. 185
Alienationis requisita quædam merè sunt iuris ciuilis. ib.
Alieno vti quomodo liceat. 132
Alieno qui vtitur in necessitate, tenetur ad restitutionem. 133
Alieno debito nemo obligatur naturaliter, nisi hæres. 485
Alimenta an liberis debeantur, & quo sensu. 194
Ἀλιθορκεῖν. 281
Allodialia regna quam successionem sequantur. 205
Alluuio cuius naturaliter. 220
Alluuio quando cedat proximorum prædiorum dominis. ibid.
Aluei mutatio an fines immutet. 149
Alueus siccatus cuius naturaliter. 218
Alueus siccatus priuatis quando cedat. 221
Aluei siccati cuius iure gentium. 218
Ἁμάρτημα *quid.* 570
Amens promittendo non obligatur. 246
Amenti falsum dicere non est mendacium. 478
Amentes populi an dominium habeant. 431
Amici qui sint in iure postliminii. 552
Amicorum causa bellum rectè suscipitur. 452
Amicitia non ex sola indigentia nascitur. 118
Amicitiæ conuentio in pace quid operetur. 644
Ammonitæ nec federati, nec perpetui hostes Hebræorum. 299
Ἀμφιβολία *apud Rhetores.* 316
Animantia muta alunt sobolem. 195
Animantibus quæ ruri inseruiunt parcendum. 585. 588
Ἀνδροληψία *quid.* 486
Angariatus sequi quo sensu à Christo iubeatur. 36
Angliæ regni successio. 211
Angliæ ius circa prædationes, quæ contra legem fiunt 337
Animus vitiat actiones sui natura licitas. 305

centum

centum Anni tres ferme ætates. 155
Antiochus an ius habuerit in Hebræos. 99
Ἀνθρωποπαθὴς ἰδέα *figura.* 275
Anthropophagi. 350
Aodis factum quale. 108
Ἀφθαρσία *quid.* 128
Ἁπλότης *quid.* ibid.
Appellationis exemptio an à subdito acquiri possit. 159
Ἀποστερεῖν. 395
Apostolorum iudicatio qualis. 433
Aptitudo iuris species, quid. 32
Aptitudo moralis nõ facit nasci obligationem restitutionis. 332
Aptitudo, & propriè debitum bene distinguenda, vbi cõcurrunt. 332
Aqua profluens quænam sit. 134
Aquas corrumpere in bello an liceat. 509
Ara Misericordiæ apud Athenienses. 416
Aratori boui parcendum. 588
Arbiter de bello lectus de possessione pronuntiare non debet. 650
Arbitri officium quod. 649
Arbitri inter Reges vel iudices. ibid.
Arbitrorum genera 648
Arbor scientiæ boni & mali cuius rei symbolum. 128
Arbor vitæ cuius rei symbolum. ibid.
Arcifinii agri siue occupatorij. 148
Ἀρχιτεκτονικὴ *Aristoteli quæ.* 61
Argumentis paribus pars vtra præferenda. 438
Argumenta, qualia in iudicandis moralibus. ibid.
Arma apud Romanos postliminio cur recepta. 560
Arma hosti alicuius submini-strare hostis est. 469
Armis hostium vti licitum. 474
Armorum vox quid significet. 316
Arragonica successio. 212
Arrogatio. 180
Arx quid. 316
Artium vocabula quomodo accipienda. 315
Asiæ mos circa prædam. 528
Asmonæi. vide Maccabæi.
Assecurationis cõtractus. 258.
natura. 268
Assertio à promissione multum distat. 482
Assertio mera futuri quid, & quam vim habeat. 244

Atticum ius de captiuis redemtis. 556
Auctores belli iniusti ab aliis discernendi. 574
Aues quorum sint. 131
Auxilia ab vna parte promissa intelliguntur sumptu petentis. 319
Auxilium mittere quis excusetur. 328
Auxilium venisse quando dicatur. 677

B

Barbari malè à Græcis pro hostibus habiti. 431
Barclaij sententia de iure resistendi, quod sit penes populum, vel maiorem eius partem. 98
Bellandi pro alio iustæ causæ. 452
Bellandi ius inferioribus potestatibus quibusdam concessum. 59
Bellantium extra territorium quæ capiuntur, an iure belli acquirantur. 540
Bellare quidam lege vetantur. 110
Bellum à natura quo sensu. 17
Bellum iuris gentium quo sensu. 20
Bellum an vetetur lege, quæ data est Noë. 21. *an vetetur lege Euangelica.* 24
Belli definitio. 2
Belli vocis origo. 3
Bellum an iustum aliquod iure naturæ. 15
Bellum aliud priuatum: aliud publicum: aliud mixtum. 51
Bellum priuatum an licitum post constituta iudicia, & quibus casibus. ib. *priuatum aliquod lege Mosis permissum.* 52 *an cum Euangelio pugnet.* ib. *Ambrosii & Augustini dicta contra illud.* 53
Bellum iustum, ac solemne quid. 491
Bellum ex edicto. 494
Bellum Cn. Manlij in Galatas an iustum. 59 *Caij Cæsaris in Germanos an iustum.* ib. *Octauij & Decimi an iusta Bella: Cassij quoque bellum an iustum.* 60
Bellum publicum solemne, vel minus solemne. 57
Bellum gerere reseruatum habenti summum imperium. ib.
Bellum quando & quatenus ab inse-

ab inferioribus potestatibus geri possit: & an tale bellum publicum dicendum. 58. *& an geri possit ab illis ex coniectura voluntatis superioris.* 59

an Bellum ciuile sit peius tyrannide. 108

Bellum pro sociis, & pro amicis. 454

Bellum suscipi potest pro quibusuis hominibus. 455

Bellum an licitum pro amicis alienis. ibid.

Bellum geri potest per homines improbos. 463

Bellum an licitum in eos, qui in naturam delinquunt. 396

Bellum an licitum, vt cogantur aliqui fieri Christiani. 404

ad Bellum iniustum obligatur nemo. 309

Bellum pro solo offensiuo quando sumendum. 321

Bellum non licitum ob nimiam potentiam vicini tantùm. 125

Bellum iustum aliunde vitium habere potest. 435

Bellum an vtrimque iustum detur. 442

Bellum omittẽdum sæpe nostri, & nostrorum causa. 446

Bellum ob pœnam suscipere debet esse validioris multò. 449

Bellum suscipiendum ex necessitate aut occasione. 450

Bellum pacis causa gerendum. 680. & seq.

Bellum statim geri potest, vt indictum est. 499

Bellum iniustum qui gessit restè ad impensas soluendas cogitur. 594

Bellum pacis causa. 603

Belli causæ iustificæ debent publicari. 462

Belli efficientes causæ, principales, adiuuantes, instrumentales. 109

Belli causa iusta, iniuria sola. 113. *& defensio vitæ.* 114. *causæ Belli suasoriæ: iustificæ, & principia illius.* 112

Belli iniusti effectus iniusti. 565

Belli vindicta modum excedere non debet. 568

Belli non iusti causa possunt esse probabiles. 574

Belli iure quinam occidi possint. vide *Occidere & Occidi.*

Belli denunciandi formulæ. 496

Belli indictio. 495. & seq.

circa

circa Belli indictionem instituta ciuilia. 497
Bello non indicto an capta capientium fiant. 498
Bello capta iure gentium acquiruntur. 519
Bello capta cuius iure ipso gentium fiant. 523
Bello capta singulorum fieri frequens sententia. 523
Bellorum ciuilium crudelitas. 544
Bello iniusto capta an restituenda ab eo, qui cepit. 567. & an restituenda ab eo qui detinet. ibid.
Bello iniusto capta, cùm restituuntur, an quid detrahi possit. ibid.
Bello iniusto capta, si consumta sint, bonæ fidei possessor non restituit. ibid.
Bello ciuili res quomodo acquirantur. 541
Bello non solemni res quomodo acquirantur. ibid.
Bello quæsita quædam Regis propria fiunt. 73
Bello iniusto extortum secuta pace an repeti possit. 336
ex Bello irregularitas. 450
in Bello quæ capi & non capi possunt. 592 & seq.
Bellorum mala. 450
Bellorum pro alienis subditis susceptorum exempla. 457
Bella publica, sine causa, iniusta. 113
Bella pro aliis per naturam licita & probata. 109
Bello an peti possint persecutores Christianismi. 405
Bella sine vllis causis, feritas. 429
Bella ex causis suasoriis, non iustificis, prædatoria. ibid.
Bella an suscipienda ob delicta in Deum. 398
Bella pro subditis iusta: & an necessario suscipienda. 452
Bella ob leues causas vitiosa. 445
Bella iusta ante Mosem. 18
Bella iusta Mosis extra causas à Deo iussas. ibid.
Bella improba Hebræorum postremis temporibus. 41
Bella ob legatos violatos. 347. ob sepeliendos mortuos. 349 ob pœnam. 370. & 394
Beniaminitarum cum cæteris Israelitis controuersia. 277
Beneficia principis an durent post eius mortem. 295
Beneficia principum an semper reuocari possint. 296
Beneficia Regum quotuplicia. ibid.

Bene-

Beneficia quædam ignotis tribuenda. 303
Beneficia etiam malis debent Christiani. 306
in Beneficiis conferendis gradus obseruandi. ibid.
Bestiæ dominus an ex facto bestiæ teneatur. 337
publicum Bonum priuato præhabendum. 92
Bona auita in successione distinguuntur à nouiter quæsitis. 199. *quibus naturaliter relicta censeantur.* ib.
Bona nouiter quæsita naturaliter creduntur proximo relicta. 201
Bona legatorum an possint pro delicto capi. 346
Bona subditorum ex facto superiorum obligantur ex iure gentium. 485
Bona iure ciuili, aut iure gentium quæsita æquè alienantur in pace. 635
Βουλευτικὰ *quæ Aristoteli.* 62
Brabantorum lex contra liberos ex secundis nuptiis. 199
Brasidæ dictum. 471.

C

CAElare quid. 260
C. Cæsaris bellum in Auiouistum quale. 498
Cananæis se dedentibus parcere potuerunt Israelitæ. 276
Canones quid constituant circa populationes 587 & seq.
Canones de seruis quomodo intelligendi. 545
Capere bello quomodo sit contra charitatem. 594
Capere homines in bello quatenus liceat. 595
Capienda non sunt bona innocentium, si ex debitoribus principalibus nostrum consequi possumus. 594
Capita rerum. 574
Capitalia quædam delicta post Euangelium prædicatum. 33
Capitales cognitiones cur defugerint Christiani. 45
Capti quando possint interfici. 541
Captio Romanorum aduersus Carthaginienses. 322
Captionum exempla. 315
Captiuus idem pluribus pretium debere potest. 665
Captiuus an redire debeat, mortuo eo, quem redimere debebat 666
Captiui promissum de reditu in carcerem valet. 675
Captiui res, nisi apprehensæ, non

non acquiruntur. 666
Captiui quorum in potestate nunc sint. 547
Captiui occidi belli iure possunt. 506
Captiui an quouis tempore occidi possint. 507
de Captiuis & rebus cur specialiter conueniri debeat. 554
Captiuorum redemtio. 601
permutatio. ibid.
Captiuorum redemtio quàm fauorabilis. 664.
Captiuorum posteri, serui. 542
Captiuorum redemtionem quæ vetant leges, an iustæ. 665
Captiuorum bona Romano iure fisco cedunt, si heres nullus sit. 557
Captus alii se dedere non potest. 676
Captus in bello iusto an licitè fugiat. 601
Capta actu bellico quorũ sint. 526
Capta bello quatenus conscientia pura acquirantur aut retineantur. 592
Capta bello iniusto non fiunt capientium iure interno. 609
Capta bello iniusto, prioribus dominis reddita. ibid.
Capta post pacem initam reddenda. 639
Capti bello serui fiunt etiam citra delictum. 541
Capti censentur qui intra præsidia ducti sunt. 542
Capti gratis dimissi. 601
Capti quibus acquirãtur. 544
Captorum bello liberi an serui: & quatenus.
Captis parcẽdum in bello. 580.
exceptiones, quæ vulgò contrà adferuntur. ib.
Captis quid faciẽdum, vbi seruitus in vsu non est. 601
Captiuitatis ius etiam iniuria dicitur. 545
Captiuitatis ius non est ius gẽtium vniuersale. 546
Captiuitatis ius quale his temporibus. 547
Capuæ ciuitatis interitus. 229
Carnifex quomodo de iustitia sententiæ instruendus. 463
Caro imbecillam corporis conditionem significat. 40
Carthago ciues an vrbẽ significet. 322
Castellæ regni successio. 206. 211
Castigatio vtilis ei qui castigatur. 367
Casus improuisi conductorem non liberant. 206

Cato-

Catonis Censorii dolus. 479
Causæ iniustæ, & suasoriæ, & exempla vtriusque. 428
Causæ impellentes quæ peccatum excusant. 387
Causæ abstrahentes à peccato quæ. 388
Causæ dispensandi intrinsecæ & extrinsecæ. 385
Causæ subnascentes in bello. 467
Cepisse bello rem quando quis dicatur. 520
Certamen singulare an permittendum ad bellum vitandum. 441
Certamina certo numero an licita. 645
Certus non est certiorandus. 261
Charitas non obligat sæpe, vt clarè loquamur. 476
Charitas multa vetat, quæ ex iure strictè sumto fieri possunt. 594
Charitas vetat sæpe quod ius permittit. 468
Chirographi Thessalorum controuersia. 550. 556. & seq.
Christus non est tantùm interpres legis per Mosem datæ. 25
Christi facta non omnia nos ad imitationem obligant. 56
Christiani non restiterunt malis Imperatoribus: etiam cùm prætextus esset probabilis resistendi. 93
Christiani iurarũt per res creatas cum respectu ad Deum. 280
Christiani etiam sine armis militant. 464
Christiani tenentur auxilio esse Christianis periclitantibus ob Religionem. 308
Christianis an resistere superioribus permittatur in summa necessitate. 100
veteres etiam in summa necessitate nõ restiterunt, cùm possent. 101. & seq.
Christianorum fedus inter se: eius obligatio. 308.309
Christianorum veterum sententia de iuramento. 287
Christianorum mos circa captos. 547
Christianos an deceat expræda quæstum facere. 618
Circuncidi Christiani an potuerint. 475
Circuncisio ad quos populos pertinuerit. 12. *olim multis populis cur necessaria.* ib. & seq. *ab extraneis sponte su-*

ne suscepta, & quare. ibid.
Citatio in locis non tutis. 499
Citatio in repressaliis. 490
Ciuis eorum capi potest, qui nostrum ciuem iniuria detinent. 488
Ciuis innocens an iustè dedi possit, vt excidium vitetur. 453
Ciuium & seruorum differentia. 549
Ciues Romani quo sensu dicantur, qui in orbe Romano viuunt. 232
Ciues quando ius damni repetendi habeant in Magistratus. 332
Ciues an abscedere à ciuitate possint. 179
Ciuis ciuitatẽ indemnem quomodo præstet. 180
Ciuitas quomodo diuidatur, & quo effectu. 231
Ciuitas bello victa an desinat ciuitas esse. 548
Ciuitatis res belli iure acquiruntur. 549
Ciuitas iniusta non desinit ciuitas esse. 492
Ciuitas iniusta à piratarum cœtu quid distet. ibid.
Ciuitatis ius in ciues. 179
Ciuitates federatæ imperio distinctæ. 63
Ciuitates immortales quo sensu. 227
Ciuitates desciscentes recipere, contra amicitiam est. 645
Ciuitatis ius in magistratus quale. 312
Classis quid. 316
Clausula, vt cætera tamen rata maneant. 642. & seq.
Clarigatio. 496
Clausula, si populus velit, quid operetur. 672
Clemens Alexandrinus pro pœnis & militia. 44
Clementia in bello. 575
Clerici bello arcentur, & quatenus. 110
Clericis interdicta est militia. 47
Clero olim excluſi, qui post baptismum militassent, aut magistratum gessissent. 48
Coemptio an licita. 140.
Cogendus ad religionem Christianam nemo. 404
Cogere pugnat cum statu inferioris. 77
Cognatica successio linealis: & eius fundamentum. 206
Collegio destructo an res maneant eorum, qui aliis supersunt. 229
Colloquium postulans ad quid obligetur. 679

Colloquio

Colloquio durãte res ſuas promouere licet. ibid.
Colloquij vſus ad vitandum bellum. 439
Coloniæ naturaliter non ſubſunt ciuitati matrici. 231
Comites legatorum an ſint inuiolabiles. 346
Commeandi ius qualem interpretationem recipiat. 662
Commeandi ſecuritas etiam extra territorium dantis porrigitur. 664
Commeatus an ad bona extendatur. ibid.
Commeatus morte dantis an extinguatur. ibid.
in Commeatu comites qui. ibid.
Commodatarius ad quid teneatur. 262
Comminatio nemini ius dat. 275
Commiſsiones. vide *Dimicationes.*
Commerciorum libertas. 136
Commodator quando intra prædictum tempus rem repetere poſsit. 326
Communio an durare poſsit. 128
Communio quibus ex cauſis ceſſauerit. 129
Compenſari non poteſt id quod bello cauſam dedit, aut iure gentium factum eſt. 628
Compenſatio debetur ſubditis, quorum bona pace alienata ſunt. 635
Compenſatione non eſt lædendum ius tertij. 628
Compenſatur cum promiſſo res iniuſtè detenta. 627
Compenſatur cum promiſſo debitum. ibid.
Compenſatur cum promiſſo damnum datum. ib. *& pœna.* 628
Compromiſſi vſus ad bellum vitandum. 440
Conceſſio immunitatis à vectigalibus & tributis quomodo intelligenda. 328
Conceſſum an morte conceſſoris intereat. 664
Concubinatus quidam ſpecies matrimonij naturalis.
Cõcupiſcere in Decalogo quid. 395
Condicere. 496
Conditio non impleta liberat fidem. 626
Conditiones contra eum, qui elocutus eſt, potius interpretandæ. 640
Conditio, ſi res maneant eo-

dem loco, quando tacitè insit. 326
Conditionem deferentis an accipientis verba plus valeant. 330
Coniecturæ ad interpretationes. 324
Coniecturæ extendentes. ibidem.
Coniecturæ restringentes. ibid. & 326.
Coniunctorum locus ad interpretationem. 317
Conugium. vide Matrimonium.
Consensus solus inducit obligationem. 486
Consensus populi in rebus modicis sequi faciliùs præsumitur. 188
Consilia & præcepta interdum indistinctè efferuntur. 44
Consilia sapientum quantum valeant. 438
Consiliarii Regum quomodo obligentur ex bello iniusto. 566
Consita an solo cedant. 224
Constantiæ debitum quale. 245
Constantinopolitani nullum ius ad eligendum Imperatorem habuerunt, quòd non dependeret à populo Romano. 232
Constituens non semper superior constituto. 67
Consuetudo quomodo introducatur. 154
Consuetudo pro consensu populi in iure concedendarum iurisdictionum. 188
Consuetudo horum temporum de mobilibus bello captis. 560
Consuetudo hodierna de recipiendis deditis. 581
Consumens nummos furtiuos ad restitutionem tenetur. 237.
Consortia impiorum vitare, sapiens monitum. 306
ad Contrahendum nemo metu impellendus. 261
Contractus quid. 259
Contractuum diuisio. 257
Contractus innominati qui, & vnde dicti. ibid.
Contractu populi facto cùm liber esset, Rex postea factus tenetur. 295
Contractus vergens ad perniciem publicam an obliget. ibid.
Contractus Regum secum ferentes alienationem pecuniæ populi, regni, partis regni,

gni, patrimonii regalis, an valeant. 296
Contractus regis an actionem pariant. 292
Contractus Regis subditis ius cogendi non dant. ibid.
Contractus Regum an leges dicendæ. 293
Contractus & leges misceri possunt. ibid.
Contractus perfectus sine scriptura. 330.
Contractus Regum & populorum an interpretandi ex iure Romano. ibid.
Contractui extrinseca non sunt indicanda. 260
in Contractibus vitium rei indicandum, & quare. ibid.
de Contractibus leges Rom. & Hebræorum. 262
Contractibus inuasorum siue tyrannorum populi non tenentur. 296
Contractuum natura repudiat ambiguas locutiones. 476
Contumelia quo sensu ab iniuria distinguatur. 37
Conuentio de redemtione an rescindi possit ob læsionem. 665
Conuentionum diuisio in publicas, & priuatas. 298
Conuentionum publicarū diuisio. ibid.
Conuentiones. vide Contractus, & Fœdera.
Conuictus cum impiis & contumacibus quatenus sit illicitus. 306. qualis prohibeatur. 307
Cornelius mansit Centurio post baptismum. 32
Cornelia lex pro heredibus eorum, qui postliminio redierunt. 557
Corpus ad seruitutem obligari potest. 311
Corpus naturale idem quamdiu dicatur. 227
Corpus ex terra ortum terræ debetur. 350
Corpus humanum bestiis dari miserandum. 351
Corpora hominum debent dissolui extra conspectum. 352
Corcyrensis controuersia inter Athenienses & Corinthios. 321.
Corraria quid. 526
Credens pecuniam patri ad alendum filium, actionem habet in filium. 238
Creditor tenetur de perceptis fructibus supra vsuram. 237
Culpa sine dolo sufficit ad re-

stitutionis obligationem. 566
Culpa media inter iniuriam & infortunium. 570. *& seq.*
Curatores regni summum imperium habere possunt. 71
Curæ clericis interdictæ. 48
Cyri & Arsicæ controuersia. 209

D

Damnum quid, & vnde dictum. 332
Damnum contra honorem & famam datum. 338
Damnum faciendo quomodo detur. 333
Damnum non faciendo quomodo detur. ib. & seq.
Damni directè dati & in consequentiam, distinctio. 421
Damni causa qui dicantur. 334
Damni dati consequentia quæ censeantur. ibid.
Damna indubia pace remissa censentur. 637
Datum ob causam turpem retineri potest. 240
Datum ob rem honestam, sed alioqui debitam, an retineri possit. ibid.
Dauid quo modo & quatenus Sauli restitit. 99
Dauid res acquirit iure belli. 522
Dauid à iuramento illicito implendo abstinet. 277
Debendi vox diuersas habet significationes. 194
Debitum non ex iustitia causam iustam bello non dat. 435
Debita an remissa pace præsumantur. 637
Debito vniuersitatis an singuli obligentur, & quatenus. 176
Debitorem carceri exhibens creditori tenetur. 468
Deceptiones, quæ vitandæ Christianis. 591
Decemuirorum Romæ iuramentum de re illicita. 277
Decima de præda consecrata. 518
Deditus nec receptus an ciuis maneat. 414
Dediti sine conditione an occidi possint. 507
Deditio conditionata, & eius effectus. 302
Dediti quando possint interfici 580
Dediti recipiendi. ibid.
Deditis purè quid faciendum sit,

sit, statuendum à Rege, aut à populo. 672
Deditorum oppida incēdi possunt iure belli. 513
Deditio pura. 650
Deditio antequam murum aries percusserit. 580
Defendere innocentem an teneamur, & quando. 455
Defendens se non opus habet denuntiatione iure naturæ. 494
Defensio an ius det in tertium qui non inuadit. 115
Defensio rerum an ius det occidenti. 120
Defensio licita in aggressoris adiutores. 467
Defensionis actus pacem non rumpit. 623
Defensio in bellis publicis quæ, & qualis. 125. *in his, qui bello causam dederunt, non licita.* ibid.
Defloratór virginis ad quid teneatur. 335
Defunctis gratia redditur in liberis. 200
Deiectus dicitur qui vetitus est accedere. 39
Deliberati & indeliberati actus distinctio. 570 & seq.
super Deliberationibus politicis regulæ. 447 & seq.
Deliberationum fines, & media inter se comparanda: & quomodo. ibid.
Delicta quando contractibus comparentur. 362
Denuntiatio honesta etiam vbi non necessaria. 495
Denuntiatio in quibus bellis necessaria. 494
Denuntiatio pura & conditionata. 495
Denuntiatio ad proximum præsidium. 497
Denuntiatio cur requiratur. 498
Denuntiatione an opus, vbi legati violati sunt. 499
Depositarius ad quid teneatur. 262
Depositum prædoni reddendum, si dominus appareat. 282
Deposita bona post publicationem fisco non priori domino reddenda, & quare. 236
Depositam apud se rem suam nemo reddere tenetur. ibid.
Derelictum quid censetur, spe recuperandi amissa. 153
Desertores ius legationis non habent. 340
Desperatio hosti eripitur, rebus seruatis. 590

Despoliatio quid. 539
Deus promittendo obligatur. 245
Deus in iuramento testis & vltor. 279
Deus probat ius prædæ. 518
Deus nocentibus parcit innocentum causa. 468
Deus quo iure efficiat, vt peccata posteris noceant. 420
Deus quo sensu dicatur mutare consilium, & pœnitentia duci. 275. quando dicatur impropriè nos fallere. ibid.
Deus populo cladem immittit ob regum facta. 426
Deus αμεταν. quo sensu. 364
Deus propter se omnia fecisse quo sensu dicatur. ibid.
Deus an non posit agere, nisi ob finem. ibid.
Dei ius in homines. 468
Dei lenitas in nouo fœdere. 377
Dei honor vbi agitur, clarè loquendum. 476
Dei factum circa liberos peccatium cur hominibus non imitandum. 425
Deo mendacium non conuenit. 479
Deo magis quàm hominibus obediendum agnoscunt & Philosophi. 89
Deo potius quàm hominibus parendum. 349
Dictatoris potestas aliquando summa. 71
ad eum Diem, exclusiuè an inclusiuè intelligendum. 659
Dierum vox in fœderibus quomodo intelligenda. 316
Diis ascripta quæ iuris sunt gentium. 348
Δικαιώματα. 6
Δικαστικὴ quæ Aristoteli. 62
Delatio conditionis ante acceptationem non obligat. 330
Diligendorum gradus. 38
Dimicatio singularis quibus casibus licita. 124
Dimicationes sine fructu illicitæ. 583
Dimidium nauium de integris intelligendum. 317
Direptio prædæ qualis. 533
Direptionis concedendæ aut negandæ rationes. ib.
Disciplina militaris Romana. 616
Dispensandi in lege pœnali causæ quæ. 385
Dispensatio distinguitur ab æquitate. 386
Dissimulatio an licita. 472. & 476

Diuisio rerum. 141
Diuisio rei ad bellum vitandum.
Diuortia olim licita. 165
Christianis prohibita. ibid.
Do vt des. 257
Dolor non dat ius occidendi. 581
Dolus bonus quis. 471
Dolus an ex genere semper malorum. ibid.
Dolus in bello an licitus, & quis. ibid.
Doli mali vox. 237
Dolo contrahens ad quam restitutionem teneatur. 336
Dolo res hostium capere licet. 516
Dolis abstinere generosum. 483
Domanij fructus distinguendi à domanio. 190
Domanium. vide *Patrimonium populi.*
Dominatio paucorum ad regnum accedit. 607
Dominium externum. 519
Dominium naturaliter, & per alium acquiritur. 524
Dominium furiosi vnde. 143
Dominium infantis vnde. ib.
Dominium conditionatum. 150
Dominium rerum, quæ pondere, mensura, & numero constant, quando transeat. 240
Dominium externum sine interno. 544
Dominia quomodo intereant sublato subiecto. 227
Dominus rei præferendus ei, qui deposuit, & quare. 235
Dominus qui denuntiauit ne seruo crederetur, tenetur de peculio aut in rem verso. 237
Dominum rei, quam possidet, ignorans, nemini tenetur. 240
Domini rerum, quæ de naui iactæ sunt, partem ab aliis repetunt, ibid.
Domos incēdere inhumanum. 585.588
Donare pro transigere. 316
Donatio an acceptari possit mortuo donatore. 252
Donationes à magistris militum factæ. 532
Δωροφόροι *serui, vnde.* 599
Dubitare quis potest contemplatiuè, non actiuè. 460
Dubitans subditus an rectè militet. 461
Dubitans de iure quid facere debeat. 437
Dubitans quomodo ad iudicandum dirigi possit. ibid.

Duellum. vide *Dimicatio singularis.*
Dux propriè quis. 668
Dux milites quatenus obliget. 670
Dux de belli causis transigere non potest. ibid. *inducias dare potest.* 671
Dux homines, imperia, agros iam acquisita concedere nõ potest. ibid.
Dux condonare potest nondum quæsita: etiam qui summus dux non est ibid.
Ducis belli ius eximiũ in præda. 531
Duces belli dispensatores prædæ apud Romanos. 528
Duces Romani quomodo se gesserint circa prædam. 529
Duces belli quidam de præda nihil decerpserunt. 531
Duces belli quomodo obligentur ex bello iniusto. 565.
Ducum pacta quam recipiant interpretationem. 672

E

Ecclesia ius an habeat in infideles. 433
Ἐκδικεῖν *quid apud Paulum Apostolum.* 55
Εἰρήνη *quid.* 300
Eleazari factum. 510
Eligens indignum, reipublicæ tenetur. 332.
Emens rem alienam, restituere eam venditori non potest. 240
Ementi pignus à creditore, tenetur qui oppignorauit, etiamsi res sit aliena. 237.
Emtor rei captæ bello iniusto, an quid impendii deducat. 611
Ἐναντιοφανεία. 316
Ἐνεχυριασμοὶ. 485
Ἐντολαί. 6
Ἐπιεικεία. 327
Ἐπιεικείας *fontes & regulæ.* ib.
Ἐπιμαχία. 301
Ἐπιορκεῖν. 281
Episcoporum consilia circa bella. 438
Ἐποχαί. 145
Equi & Equæ quæ postliminio apud Romanos recepta. 560
Errans hosti obligatur ex pacto. 674
Errantes in partem Christianæ religionis an puniendi. 406.
Error an irritum actum faciat. 246. & seq.
Esseni non iurabant. 287
Euangelii præcepta an contineantur

neantur in iure naturali. 24.& seq.
Εὐορκεῖν. 281
Ἐξαίρετον. 531
Exceptionem habens ius habet ad pecuniam redactam ex bonis suis venditis. 238
Executionis ad modum quod pertinet, conditionem non facit. 677
Exercitoria actio vnde. 250
Exercitores an teneantur in solidum ex facto magistri. 251
Exercitus quid. 315
Exules non tenentur imperiis ciuitatis 180
Exhæredato filio, an quid debeatur. 197
Ἔξις. 227
Exitus liber cum itinere libero intelligendus. 317.
Exploratores grauiter puniendi causa. 510.& seq.
Exteri quomodo de rebus bello captis iudicare debeant. 539.
Exteris quomodo ius nascatur ex lege ciuili. 225
Exterorum res retinentur pro iure nostro, aut ciuis nostri. 489
Externi testari non prohibentur iure naturali. 190
Externi iuris qualis efficacia. 546
Externum dominium sine interno. 544
Extrinseca contractui non sunt inducanda. 260

F

FAcio vt facias. 257
Facio vt des. ibid.
Facinorosi an sepeliendi. 354
Facultas, iuris species, quid, & quotuplex. 4.
Facultas eminens, quid. ibid.
meræ Facultatis quæ sunt, an tempore amittantur. 160
Falsum dicere amenti, & infanti, non est mentiri, stricte sumta voce. 478
Fato fieri quæ dicantur. 526
Fauor in promissis. 318
Fauorabilia in dubio realia. 322
Fauorabiliora quomodo interpretanda. 319
Fecialium vsus Romæ. 438
Federatus an defendendus contra federatum. 452
Fedus quid. 298
Fedus quando renouatum censeatur. 309
Fedus an duret parte violata. ibid.

Fedus antiquius quando præferendum. ibid.
Fedus cum populo reale. 322
Fedus cum Rege nõ semper personale. ibid.
Fedus ius dat Regi, qui regno pulsus est. 323
Fedus cum populo, aut iusto Rege, inuasori siue tyranno nõ prodest. ibid.
Fedus inæquale propriè iurisdictionem non dat. 83
Fedus inæquale quod. 81
Federe inæquali qui tenetur populus, liber esse non desinit. 82
Federe inæquali qui tenetur rex potest summum imperium retinere. ibid.
in Federe superior quis dicatur. ibid.
Federis rumpendi materia odiosa. 320
Federa quædam idem statuunt, quod ius naturæ, & quare. 299
Federis princeps imperium in quibus rebus habeat. 84
Federis inæqualis pericula vnde. 85
Federa æqualia contrahuntur, etiam vbi bellum non fuit. 302
Federa an contrahi possint cum his, qui alieni sunt à vera Religione, quæ, & quatenus iure naturæ, iure Hebræo, iure Euangelico. ib. & 303. 304
Federa cum quibusdam populis vetita lege Hebræa. 303
Federa; quæ fauorabilia, quæ odiosa. 322
Federa æqualia, tum pacis, tum societatis. 301
Federa inæqualia. ibid.
Federa æqualia de commerciis. ibid.
Federa personalia. 322
Federa realia. ibid.
Federati inæquales an ius legãdi habeant. 339
Federum diuisio. 299
Federum inæqualium diuisio. 301
Federũ distinctio circa ius postliminij. 561
Feminæ captiuæ: Hebræorum lex pro illis. 512
Feminæ succedunt in regnis patrimonialibus. 202
Feminæ quomodo obnoxiæ bellico iuri. 578
Feminis parcendum. 577. & seq.
Feræ quorum sint. 131. lex, quæ eas regi addicit, non iniusta.

iniusta. ibid.
Ferae in syluis priuatis non sunt nullius. 215
Ferae sunt principum in Germania. 216.
Feras an dominus amittat si aufugerint. 215
Ferruminatio non facit confusionem. 224
Feuda franca, siue libera. 86
Feuda longaeua possessione acquiruntur. 157
Feudale ius in personam, & in rem. 86.
Feudalis obligatio non tollit summum imperium. ibid.
Feudalia regna qua successione deferantur. 205
Feudum ligium. 86
Fides in bello. 620
Fides praedoni, & tyranno debetur. 621
Fides perfido an seruanda. 626
Fides compensando quomodo liberetur. 627
Fides tacita quae. 678
Fides commendata in bello. 681
Fides quae vim habeat iuramenti. 287
in Fide esse quid? 82
bona Fide rem alienam qui emit, pretium an repetat. 239
Fidei bellicae partitio. 631
bonae Fidei, & stricti iuris discrimen an valeat inter populos diuersos. 318
bonae Fidei possessor non tenetur de re, quae periit. 238
bonae Fidei possessor, si rem alij donauerit, an teneatur. 239
si rem vendiderit, an & quando teneatur. ib.
bonae Fidei possessor an naturaliter fructus suos faciat. 225
bonae Fidei possessor ad rei restitutionem tenetur. 235
malae Fidei possessor quale ius tempore acquirat. 544
malae Fidei possessor an speciem perdat. 224
bonae Fidei possessor rectè impendia repetit, & quae. 225
malae Fidei possessor impendia repetit. ibid.
Fideicommissum familiae relictum quem ordinem sequatur. 207
Fideicommisso obnoxia longaeuo tempore acquiruntur. 157
Fideiubens & soluens pro aliquo contemplatione tertij actionem habet in eum qui liberatus est. 237

Fideiussio qualis actus. 259
Fideiussor ad mortem obligari non potest, ad exilium potest. 422
Fideiussoris obligatio immediatè, vnde. ibid.
Filia fratris maioris an præferenda fratri minori in regni successione. 212
Filius an debeat accusare patrem proditorem. 344.
Filius à patre Rege in regno exheredari an possit. 207
Filius natus patre iam rege, an præferendus antè nato. 209
Filio abdicato & exheredato an quid debeatur. 197
Filii naturales an succedãt patri; & adoptari possint. 198
Finitiuus status Rhetorum. 316
Flacci dolus. 479
Flumen totum interdum ripã alteram sequitur. 149
Flumen idem quo sensu. 128
Flumina quomodo occupentur. 143
Fluminis cursu mutato an imperii fines mutentur. 148
Fœnus nauticum. 259
Funeraria actio cuius naturæ. 239
Francici iuris successio in regnis. 206
Francorum imperium distinctum à Romano. 233
Francorum regni diuisio in orientale & occidentale. ib.
Francorum regum successio olim aliquatenus à populi voluntate pependit. ibid.
Francorum ius de postliminio extra bellum publicum. 562
Francorũ ius circa seruos. 546. & seq.
Francorum mos ad bellum vitandum. 441
Francorum moderatio in bello circa res sacras. 588
Francorum mos circa prædam. 528
Frater minor an præferatur fratris maioris filio. 211
Fratris filius an patruo regis præferendus in successione. 212
Fraudantes vectigalia ad quid teneantur. 335
Fructus vt vni populo vendantur pactio an licita. 140
Fructus qui restituendi. 238
Fructus industriales vbi nõ debentur. ibid.
Fructus consumpti an restituendi. ibid.
Fructus in pace qui concessi intelligantur. 639

Fructus cum re restituendi. 236
Fructus restituendi ex damno dato. 333
Fur ad quid teneatur. 335
Furis nocturni & diurni distinctio quo iure nitatur. 121
Furiosus promittendo non obligatur. 246
Furtum contra ius naturale. 7

G

Gabaonitarum cõtrouersia. 276
Gallicum ius de præda maritima. 540
Galliæ ius circa prædationes quæ contra legem publicam fiunt. 337
Germani vna vxore contenti antiquitus. 166
Gelricum ius de insula & alluuione. 221
Generis nomẽ sæpe adhæret speciei. 319
Germania non fuit pars Romani imperii. 231
Germanorum veterum latrocinia. 493
Gigantum ætas. 128
Gladium accipiens gladio peribit, quo sensu dictum. 56
Gladios gesserunt Apostoli quidam. 54
Γνώμη Aristoteli quid. 327
Gothorum moderatio in bello circa res sacras. 589
Gradus in Leuitico prohibiti, an & nunc matrimonia impediant. 171
Gradus qui in Leuitico per interpretationẽ prohibiti censeantur. 172
Græci aliquando plures vxores habuere. 167
Græcorum mos circa prædam. 527
Gratia mortuis quomodo reddatur. 200
Gratiã referre prius quàm beneficium conferre. 199
Grauia supra modum eximenda à verborum vniuersitate. 327
Gubernandi tres formæ. 65

H

Habitatio an concedenda externis & quibus legibus. 137
Hæres non tenetur ex vi solæ iuramenti facti à defuncto. 284
Hæres an de pœna teneatur. 427
Hæreticꝰ Augustino quis. 406

Har-

Harmonica proportio an in pœnis locum habeat. 392
Hastarum erectio. 679
Hebræi iussi sacra Gētium abolere. 515
Hebræis an licuerit beneficia dare extraneis, aut ab eis accipere. 303
Hebræorum lex pro feminis captiuis. vide Feminæ captiuæ.
Hebræorum mos de agris captis. 525 de corona victi Regis. 538
Hebræorum ius circa seruos. 547
Hebræorum lex. vide Lex.
Hebræorum ius in liberos 164
Hebræorum lex de arboribus in bello. 584 pro seruis. 600 & seq.
Hebræorum leges in contractibus. 262
Hebræorum sententia distinguens ea, quæ natura honesta sunt. 292
Herodis Magni liberorum controuersia. 209
Hispanicum ius de prædis terrestribus & maritimis. 539
Hispanicum ius de postliminio, de Comitatibus & arcibus. 559 de nauibus quas piratæ ceperunt. 560
Hollandiæ ius circa prædationes, quæ contra legem fiunt. 337
Hollandiæ mos circa obligationes exercitorum. 251
Hollandicum ius de agris inundatis. 220 circa insulas, & alueos siccatos. 218
Homicida quid restituere teneatur. 334
Homicidas occidere vt liceat, vnde ortum habeat. 22
Homo ad quæ ius habeat. 332
Homo homini instrumentum. 524
Hominum reddendorum pactum de viuis intelligendum. 317
Honestatis generale præceptum in Euangelio. 33
Honestum quid & quotuplex. 16
Honoribus arcentur nocentum liberi. 426
Hostis quid antiquis. 300
Hostis occisio indistincta quo sensu licita. 502
Hostis an offendi possit in solo pacato. 505
Hostis subministrans res an pro hoste habendus. 469
Hosti mentiri licere qui senserint. 481
Hostem spoliare an liceat. vide

de Spoliare.
res ad Hostem missæ quando, & quatenus intercipi possint. 469
Hostes sepeliendi. 353
apud Hostes esse possunt qui non hostili sint animo. 569
Hostes qui. 491 & seq.
Hostes sunt & qui pro parte summum imperium habent. 493 & seq.
Hostes fiunt etiam, qui inæqualiter federati sunt. 493
Hostium subditi, hostes. 486
Hostium subditi vbique offenduntur iure belli. 505

I

IAcobus probat ius acquirendi bello. 518
Iacobi filii ex ancillis ab ipso adoptati in ius succedendi. 198.
Idololatras quos morte puniat lex Hebræa. 403
Idololatriæ species & gradus. ibid.
Iehu factum quale. 108
Iephtis controuersia cum Ammonitis. 152
Ignoscere an liceat interdum. 383 an liceat posita lege pœnali. 385
Ignorantia quæ delictum minuat. 398
Illicita eximenda à verborum vniuersalitate. 327
Illyrii prædari soliti, triumphati. 493
Immemoriale tempus. Vide Tempus immemoriale.
Immunitas rerum ad agriculturam pertinentium. 594
Impediens aliquem à petendo munere quando teneatur. 333
Impendens in rem alienam receptu difficilem sumptus seruat. 239
Imperator Romanus an imperium habeat in omnes. 432
Imperator Romanus quà talis, vnde ius suum habeat. 233. vicarium ei quis dare possit. 234
Imperator Germaniæ quà talis, vnde ius suum accipiat. 233
Imperium acquiri quatenus possit. 603
Imperium in victos accipi rectè ad sui tutelam. ibid.
Imperiū bello acquiritur. 548
Imperium vt in Rege est bello acquiritur. 548

Impe-

Imperium alienari potest à Rege consensu populi. 186
Imperium Romanum distinctum ab imperio Fr̃acorum, & regno Langobardorum. 233
Imperium & maiestatem conseruare, quid? 81
Imperii Romani nunc non sunt omnia quæ olim fuerunt. 433
Imperium summi ius tam populo, quàm Regi longa possessione acquiritur. 157
Imperii subiecta personæ, & territorium. 142
Imperii pars pignori dari non potest. 188
Imperii exempla. 72
Imperii summi partitio quomodo fiat. 77
Imperii vox impropriè sumta pro ductu, & pro postulatu. 85
Imperio partito singuli imperantes pro sua parte ius belli habent. 105
Imperia magna difficulter custodiuntur. 606
Imperia successiua non semper summa. 70
Imperia non summa plenè haberi, & in patrimonio esse possunt. 75
Imperia electiua quædam summa. 71
Imperia quædam in patrimonio, & alienabilia. 72
Imperia quomodo intereant sublato subiecto. 227
Imperia propt̃anorum sponte non subeunda. 307
Impietatis authores iure gentium punibiles. 403
Impossibilitas facti promissi excusat, ne pax rumpatur. 644
Inæqualitas, quæ inest contractui, iure gentium non resarcitur. 270
Incarcerans alterum iniustè ad quid teneatur. 335
Incestum iure gentium. 170
Incorporalia cum persona acquiruntur. 543
Iuramentum militare Romanorum de præda. 535
Indefinita pro vniuersali quando sumenda. 319
Indi plures vxores habebant. 166
Indictum bellum principali, simul indictum subditis & sociis. 497
Indictio belli. 496
Indictio belli vtrinque facta. 497
Indictio specialis non requiritur,

tur, si socii per se, & apud se bello impetantur. 498
Indirectè licent quædam, quæ directe non licent. 467
Inducia quid: & vnde dicta. 656.658. quando incipiant obligare. 659
Inducia ad certum finem; & earum effectus. 661
Inducia à ducibus dantur. 671
Inducia rum tempus an veniat sub belli an pacis nomine. 657
Inducia rum tempus quomodo computandum. 659
Induciis finitis noua inductione non opus. 658. earum tempore quid liceat. 660. an deficientes & derelictos recipere liceat. ib. & seq.
Induciis elapsis, qui sine culpa penes hostem reperitur, an capi possit. 661
Induciis ab altera parte ruptis indictione non opus. 662
Inermibus parcendum. 578
Infans promittendo non obligatur. 246
Infantis dominium vnde. 143
Infantium dominium quale. 163
Infantibus parcendum. 577
Infeudatio est alienatio. 188
Infeudationes regnorum irritæ sine consensu populi. ibid.
Infortunium & iniuria quo distent. 416
Infortunii & iniuriæ distinctio. 569. & seq.
Ingrati non puniuntur. 383
Inimici sepeliendi. 353
Iniuria quando alteri in persona alterius facta censeatur. 644
Iniuriæ, culpæ, & infortunii discrimen. 573
Iniuriæ quædam ferendæ, & quales. 37
Iniustitia committi potest in bello iusto. 568
Iniustum, quid. 3
Iniusti iudices, testes, accusatores ad quid teneantur. 335
Innocentem an teneamur defendere, & quando. 455
Insignia regiæ potestatis conceduntur principibus populi liberi. 70
Instituria actio vnde. 250
Instrumenta ruris pignori capi vetita. 588
Insula quomodo distinguatur ab alluuione. 221
Insulæ cuius? 131
Interpretationis fontes. 315
Interpretandi regulæ. 319
Inundati agri cuius iure Romano

mano. 218
Inundationis duæ ſpecies. ibid.
Inundatione dominium naturaliter non amittitur. 219
Inundatus ager quando derelictus habeatur. ibid.
Intentio mala per ſe ad reſtitutionem non obligat. 436
Interfectio. vide Occiſio.
Interim pro interdum. 278
Inuaſor imperii præceptis ſuis quatenus obliget. 106
quomodo poſsit interfici belli iure: & ex lege antecedente: & ex authoritate ius imperandi habentis. ibid. & ſeq. cur extra caſus exceptos interfici à priuato non poſsit. 107
Inuentionis titulus locum non habet in his quæ iam poſsidentur. 430
Inuoluntarium ex voluntario habendum pro voluntario. 336
Ioannis Baptiſtæ & Chriſti doctrina quatenus eadem. 29
Ioſephus Iudæus in legis expoſitione Romanis blanditur. 515
Ioſephi Patriarchæ dolus. 479
Ioſephi Patriarchæ monopolium. 264
Ira quid. 364. 571.
Ira in Deo quatenus. 189
Irregularitas ex bello. 451
Irriti actus quinam iure naturæ. 167
Irriti actus à lege ciuili non fiunt, niſi eorum qui ſubſunt. 175
Itus quomodo reditum comprehendat. 663
Iudæi. vide Hebræi.
Iudæorum opinio de neceſsitate reſtitutionis. 566
Iudex quaſi pater. 445
Iudicandi libertas homini ab homine quomodo debeatur. 477
Iudicare an poſsit de regni ſucceſsione, ſiue Rex, ſiue populus. 209
Iudicium zeli. 372
Iudicii ceſſatio momentanea aut continua. 52
Iudicii ceſſatio iure aut facto. ibid.
Iudicia criminalia quare inſtituta. 369. 371
Iudicia capitalia an permiſſa Chriſtianis. 377. non ſunt affectanda. 380
Iudicia apud Hebræos quædam regiæ poteſtati exempta. 79
Iurans non daturum ſe poteſt repe-

repetitionem erepti omittere. 276
Iurans prædoni, datum non recte repetit. 283
Iurans redire ad hostem si clam redeat, non satisfacit. ibid.
Iurans tenetur ex animo iurare, & re implere quod iurauit. 281
Iurans quando Deo tantùm obligetur, quando & homini. 282
Iurans non tenetur, si is, cui iuratum est, eum liberet. 284
Iurans implere debet contractum, cui inest inæqualitas. ibid.
Iurantis verba quomodo accipienda. 273
Iurare volens obligatur, etsi obligare se nolit. 274
Iurans deliberato animo se non obligandi, tamen obligatur. ibid.
Iurauit Paulus. 286
Iuramentum per sceptrum, salutem, & similia. 280
Iuramentum per salutẽ Principis, & maiestatem Imperatoris. ibid.
Iuramentum per Deos falsos an obliget. 281
Iuramentum piratæ aut tyranno præstitũ obligat. 282
Iuramentum metu extortum non obligat. ibid.
Iuramentum periuro datum an obliget. ibid.
Iuramentum per res creatas an licitũ, & quo sensu. 279
Iuramentum de re impossibili nihil operatur. ibid. *de re pro tempore impossibili quid operetur.* ibid.
Iuramentum, impediens maius bonum morale, non valet. 278
Iuramentum violatum. vide *Periurium.*
Iuramentum quomodo ex lege actui inualido validitatem conferat. 286
Iuramentum de re illicita non valet. 277
Iuramentũm non extendendum vltra consuetam significationem. ibid.
Iuramentum Regis irritum esse potest ob actum ipsius præcedentem. 290
Iuramentum dolo elicitum quam vim habeat. 275
Iuramentum non intelligendum sub conditione tacita. 274
Iuramenti forma. 279

Iuramenti effectus. 281
Iuramenti efficacia quatenus pendeat à superiore. 284. 285.
Iuramenti vis & interpretatio, 272.482.
Iuramenti violati pœna ad posteros manat. 273
Iuramenti obligatio ex animo deliberato. 274
Iuramento promissum non potest retineri ob peccatum alterius antecedens. 285
Iuramento conuenit maxima simplicitas. 275. & seq.
Iuramento testis & vltor Deus. 279
absolutio à Iuramento, vnde vim habeat. 285
circa Iuramenta quid possint superiores. ibid.
Iuramento promissum compensari non potest cum eo, quod ante erat controuersum. ibid.
leges Romanæ circa Iuramenta quid statuant. 286
Iuramenta à Christo quæ prohibita. ibid.
Iuramenta Regum. vide Reges.
Iuratum pactum fortius non iurato. 330
Iurisdictiones summa inferiores concedi iure hereditario possunt populi consensu. 188
Iuris naturæ dictata alia magis, alia minus manifesta. 397
Iuri naturæ non pugnant quædam, quæ vetita sunt lege diuina. 398
Iusiurandum. vide Iuramentum.
Iusiurandum à ciuitate factum, & repetitum. 624
Ius pro eo quod iustum est. 3
Ius pro qualitate sumtum, quid sit. 4
Ius pro lege. 5
Ius pro lege ad aliarum à iustitia virtutum materiam pertinet. 6
Ius naturale. ib. *quid & quomodo differat à diuino voluntario.* ibid.
Ius voluntarium, πὸ ἐν πάξει. *ib.*
Ius naturale à Deo immutabile, & quare? 7. *est aliquod consequens actum humanum.* ibi. *sumitur aliquando pro eo quod est honestum.* ibi. *videtur mutari propter materiæ mutationem.* ib. *esse aliquid iuris naturalis probatur à priori & à posteriori, quomodo.* 9. *iuris naturalis*

turalis reductiue quæ sint. 6. eius iuris permissiue tantum quæ sunt, & præcipi, & vetari à Deo possunt. 21.
Ius naturæ pro certo statu. 8
Ius naturæ & gentium quomodo à Romanis Iurisconsultis sumatur, & an recte. ibid.
Ius rectorium, & æquatorium. 4
Ius non est in brutis animantibus. 8. de illis impropriè quo sensu dicatur. 9
Ius voluntarium humanum, vel diuinum. 10
Ius voluntarium humanum ciuile, ciuili latius, ciuili arctius. ibid.
Ius voluntarium diuinum. ibi. aut est vnius populi, aut omnium. ibid.
Ius voluntarium diuinum omnibus populi commune triplex. 11
Ius gladii quid in sacris & prophanis literis. 27
Ius diuinum Hebraicum alios populos non obligat. 11
Ius Hebræum quoad nos abrogatum non recte dicitur. 13. quem vsum nunc habeat: & quem in permissu. ib. & seq. nihil continet iuri naturæ contrarium. ibid.
Ius gentium quid: & quomodo probetur. 10. non est commune omnibus populis. ibid.
Ius, & vsus iuris distinguenda. 87
Ius supereminens Regis, aut ciuitatis, an liberet à fide subditis data. 623
Ius exterorum quale. 563. 564
Ius pro iure externo. 564
Ius Regum & populorum quando pace remissum censeatur. 639
Ius gentium circa inæqualitatem in contractibus. 270
Ius internum ab externo distinctum. 261
Ius exterorum supereminenti dominio non subest. 293
Ius naturæ moribus obliteratur. 299
Ius gentium de bello captis. 519
Ius pignoris, retentionis, seruitutis an bello acquiratur, & quomodo. 540
Ius captiuitatis etiam iniuria dicitur. 545
Ius gentium vetat permissa iure naturæ, & permittit vetita. 508
Ius gentium apud populos quosdam. 513

Ius gentium improprie quod multi populi vsurpant sine mutua obligatione. 473
Ius sæpe remittendum vt bellum vitetur. 444
Ius luendi pignoris an tempore amittatur. 160
Iure gentium bona subditorum obligantur ex facto superiorum. 485
Iuri naturæ non pugnant quædam quæ vetita sunt lege diuina. 397
Iuris gentium dicuntur multa quæ communia sunt populis sine mutua obligatione. 142
Iuris derelicti signa ex factis & non factis. 153
Iura quædam ad summum imperium pertinent separabiliter aut communicabiliter. 159
Iuris naturæ quædam sunt, quæ non vbique obseruantur. 170
Iuris gentium multa improprie dicuntur. 214
Iuris quæsiti iure naturali an iure ciuili distinctio repudianda. 293
Iuris fecialis origo. 500
Iuris externi efficacia qualis 546
Iuris ignorantia aut excusabilis, aut inexcusabilis. 572
Iura quædam realia quo sensu dicantur. 4
Iuris societas aliqua cum prædone. 283
Iustitia expletrix. 5
Iustitia attributrix, ἀξιονεμητικὴ. ibid.
Iustitia attributiua an tantum circa res communes, expletrix circa res singulorum versetur. ibid.

L

Lacedæmone nepos ex filio maiore filio minori natu in regno prælatus. 210
Lacedæmone filius rege patre natus præferebatur ante nato. 209
Lacædemonii dolum in bello pluris quam vim faciebant. 471
Lacedæmoniorum mos de agris captis. 525
Laconum ius in Messenam. 152
Λάφυρα. 538
Latroni fides seruata. 621
Latrones ius legationis non habent. 340
Legationes assiduæ reiici possunt. 341

Legatus

Legatus an iurisdictionem habeat. 346
Legatus, si quid debeat, quomodo compellandus. ibid.
Legati mittentem obligant etiam contra arcana mandata. 250
Legatus quãdo sponte domum redire possit. 327
Legati qui iure gentium vtantur. 339
Legati in bellis ciuilibus quo iure sint. ibid.
Legati an admittendi. 340
Legati ob quas causas possint non recipi. ibid.
Legati quo casu mutabiles. 341
Legati referunt personam mittentis. 343
Legati iure ciuili loci vbi sunt non tenentur. ibid.
Legati habentur quasi essent extra territorium. ibid.
Legati delictum per quem puniendum. ibid.
Legati per modum defensionis occidi aut repelli possunt. 344
Legati an subiaceant iuri talionis. 345
Legati domus an pro asylo. 346
Legatorum ius. 339
Legatorum ius an valeat apud eos, ad quos non mittuntur. 345
Legatorum ius valet in bello. ibid.
Legatorum comites an inuiolabiles. 346
Legatorum bona an possint pro delicto cap. ibid.
ob Legatos violatos bella. 347
Lex quid. 5
Lex Mosis dupliciter sumitur. 26
Lex Mosis iudiciaria quando & quomodo sublata. 30
Lex Mosis. vide *Ius Hebræum.*
Lex Mosis non habet prius & posterius. 173
Lex non semper irritum facit quod vetat. 174
Lex imperfecta Vlpiano quæ. 176
Lex de Sabbato & de decimis quomodo ad Christianos pertineat. 15
Lex idem potest quod consensus expressus. 592
Lex in præsumtione facti non existentis fundata, an obliget. 247
Lex Romana de læsis vltra dimidium pretii. 261
Lex occidi aliquem permittens

an conſcientiam liberet, & quando. 124
Lex, quæ feras piſces, aues regi addicit, non iniuſta. 131
Lex iuſta, quæ vetat, quod iure naturæ licet. 132
Lex de vſucapione an pertineat ad ſummum imperium, aut eius partes. 158
Legis ratio particulariter ceſſans caſum à lege non eximit. 59
Legis diſpenſatio Regem non obligat. 296
ceſſatio Legis in particulari diſpoſitio eſt ad diſpenſationem 386
Legis conditor an ſe obliget, & quatenus. 158
Lex Hebræa an prohibeat diuortia & matrimonia plurium vxorum. 165
in Lege pœnali diſpenſandi cauſæ quæ. 385
Leges pœnales aut coactiuæ locum non habent circa actus Regum. 290
Leges Romanæ de contractibus. 262
Leges Romanorum pœnales in quo iniquæ. 392
Leges quæ obligent. 675
Leges à Chriſtianis ferri poſſent ſimiles Hebraicis, niſi trium cauſarum aliqua obſtet. 14
Leges & contractus miſceri poſſunt. 294
Leges non omnes obligant. 295
Leges quæ validiores ſi caſu cõfligant. 329
Leges interficere aliquos permittentes quando ius internum dent, quando ſolam impunitatem. 380
Leges an obligent ſummam poteſtatem. 385
Leges quaſi pacta. 243
Leges ciuiles quædam plenè iniuſtæ. 190
Leges humanæ quædam præcipere poſſunt cum mortis periculo obſeruanda. 97 humanius ſunt interpretandæ. ibid.
Leges quædam, etiam diuinæ, tacitam habent exceptionem ſummæ neceſsitatis. ibid.
Leges reſpiciunt id quod plerumque. 92
Leges ferri poſſunt de tempore quo ſummum imperium amittatur. 159
Leges de re promiſſa obligant. 245
Leges iniuſtæ, quæ propinquos nocen-

nocentium innocentes interfici iubent. 426
Leges ciuiles de promissis minorum. 246
Legitima an lege humana tollit possit, & quatenus. 195
Legum finis & efficatia. 261
Legum diuersitas circa venditionem & emtionem. 264
Λεία. 534
Lenitas in errantes circa diuina. 406
Liber homo postliminio quomodo redeat. 554
Liber homo postliminio sua recuperat: an & alienata? ibid.
Liberam fore Carthaginem quomodo interpretandum. 321
Liberi filiarum alendi. 195
Liberi pignorari ac vendi à parentibus quando possint. 164 *ius ipsorum in liberos.* 162
Liberi ex quibusdam matrimonijs impediuntur succedere. 198
Liberi ob parentum delicta non puniendi. 421
Liberis ã debeãtur alimẽta, & quo sensu. 194 *an alẽdi vulgo quæsiti; & ex incesto nati* 195
Liberos cogendi ius. 163
Liberorum cum parentibus matrimonia contra ius naturæ. 169
Libertas quando iusta belli causa. 431
Libertas quo sensu naturalis. ibid.
Libertas an pax placeat, grauis interdum deliberatio. 448
Libertati præferenda vita populi totius. 449
Libertas populi quid significet. 72
Libertas subditorum obligatur ex facto superiorum. 487
Libertas bellandi non præsumitur abdicata. 320
Licere pro iure externo. 564
Licere, vox ambigua quas significationes habeat. 501. & 503
Licere quædam dicuntur, quæ rectius aliter fiunt. 501
Licere quædam dicuntur, ob impunitatem. ibid.
Licere, oppositum ei quod decet, aut oportet. 502
Limen & limes idem. 551
Limitati agri. 148
Lis potest vtrimque esse sine peccato. 443
Literæ Martæ. 488

Litigare Christianis quo sensu vetitum. 35
Littus quorum. 144
Loca in solo pacato posita quo casu rectè occupentur à bellante. 133
Locans pluribus operam an à singulis mercedem in solidum exigere possit. 266
Locationis & conductionis natura. 265
Locator tertio rem locans, conductori tenetur de eo quod percipit. 266
Locator operæ ad quid teneatur. 262
Locupletatus ex re aliena, eatenus ad restitutionem tenetur, & quare. 236
Locutio de futuro nostræ potestatis quotuplex. 244
Locutionis ambiguæ vsurpatio quando licita. 476
Ludouici & Galeatii controuersia de Mediolano. 210

M

MAcabæi bello adiuuerunt extraneos 304
Maçabæorum resistentia qualis. 99
Macedonum lex quædam iniusta. 426
Magistratus inferiores summum imperiũ habenti iuste resistere non possunt. 95
Magistratus Christiani Pauli tempore. 28
Magistratus Hebræi non restiterunt malis Regibus. 96
Magistratus ex quibus damnis teneatur. 336
Magistratus an teneantur, eo quod à nautis cautionem non exegerint. 337
Magistratus opidanos quatenus obliget. 670
Maharbalis factum. 671
Mahumetistarum opinio de necessitate restitutionis. 565
Maiestas pro dignitate imperantis sumitur. 71. quid sit. 81
Maioratuum iura tempore amittuntur. 157
Maioratuũ successio in regno Castellæ. 206
Mandantis morte an pereat mandatum. 252
cum Mandatario qui contrahit, etiam si mandatarius mandatum excedat, obligatur. 669
Mandatarius mandatum excedens quando nos obliget. 250
Mandator ad quid teneatur. 262

Mandatum an impleri possit per æquipollens. 326
Mandatum excedens, & sic cum alio contrahens, ad quid obligetur. 669
Mandatum generale, & speciale in bello. 617
Mandata publica, quæ nautis dantur aduersus piratas. 380
Manlii bellum in Gallogræcos quale. 498
Manubiæ quid. 531
Manumissio interdum omitti sine peccato nequit. 600
M. Marcelli moderatio in victoriis. 589
Mares feminis præferuntur in regnis à populo delatis. 203
Mare an proprium fieri possit. 130. *an terra contineatur.* ibid.
Mare non diuisum. 131
Mare in fundũ admissum. 145
Mare occupatione omissa ad naturam redit. 146 *nauigandi ius in Mari.* ibid. *imperium in Mari quorum sit.* ibid.
Maris pars quatenus occupari possit. 143
Mariti ius supra vxorem. 165
Masculina pro communibus. 132.134.
Mater quomodo magis certa patre. 198
Matrimonium quid sit ex iure naturæ. 165
Matrimonium an irritum deficiente consensu parentum. 167
Matrimonium irritum cum alterius viuẽtis cõiuge. 168
Matrimonium ad morgengabicam. 198
Matrimonium apud veteres Romanos postliminio non restituebatur. 556
Matrimonii petitio iniusta belli causa. 430
Matrimonii iura ex lege Christiana. 166
Matrimonia non ineunda cum prophanis. 307
Matrimonia quædam talia sunt ex lege, vt liberi ad hæreditatem non admittantur. 198
Matrimonia plurium vxorum olim licita. 165
Matrimonia cum propinquis sanguine, aut affinitate, vnde, & quatenus illicita. 169
Matrimonia parentum cum liberis, & liberorum cum parentibus contra ius naturæ: & vnde illicita. ib.

Matri-

Matrimonia an licita in gradibus expreßis in Leuitico. 170
Matrimonia fratrum & sororum quo iure vetita & vnde illicita. 172
Matrimoniorum contrahendorum libertas quibus & quatenus debeatur. 139
Maxillam obuertere Hebræis quid. 38
Maximus natu in regnis à populo delatis præfertur inter pares sexu. 203
Membri conseruandi causa interfectio licita. 116
Mendacium prohibitum quo sensu. 474. & seq.
Mendacium qui authores certis casibus admittant. 475
Mendacium dicere & Mentiri apud Gellium quomodo distinguantur. ibid.
Mendacium à Deo alienum. 479
Mendacium stricte dictū quid. 477
Mendacium non committitur respectu tertii ad quem sermo non dirigitur. 478
Mendacium pro rebus nostris an licitum. 481
Mendacii quid materiale, quid formale. 476
de Mendacio & æquiuocatione Scholasticorum sententia. 481
Mendacium prō vita an licitum. 480
Mensura eius quod res valent. 263.
Mentiri apud volentem an liceat. 480
Mentiri hosti licere qui senserint. 481
Mentitur qui dicit quod falsum putat, licèt verum sit. 476
Mercatoribus parcendum in bello. 579
Meritum ex libera voluntate. 427
Metus à tertio illatus an actū vitiet. 248
Metus alterius an tollat ius transire volentis. 135
Metus à vicino an iusta belli causa. 430
Metus solus non sufficit ad ius interficiendi alterum. 115
Metus exceptio non liberat à religione iurisiurandi. 623
Metus qui pro iusto habeatur in bello publico. 626
Metu promittens an teneatur. 248
Metu quid faciens, absolutè velle dicendus. ibid.
Metu causam dans contractui quando

quando ad restitutionem teneatur. 335. & seq.
Metum inferens tenetur ad restitutionem. 249
Miles de incendiis & raptu sine iussu publico, an teneatur. 618. & seq.
Milites Christiani sub Iuliano. 49. sub Diocletiano. ib.
Militis Christiani officium. ib.
Milites Iudæi externis militabant. 29.
Militi quæ ex præda cederent apud Romanos. 539
Milites ab Ecclesia non excommunicati. 45
Milites quomodo tenentur ex bello iniusto. 565
Militibus datus commeatus prodest & duci. 663
Militum nomine qui veniant. ibid.
Militare propter prædam, aut stipendium præcipuè, non licet. 458
Militia mercenaria sine delectu causæ improbatur. ibid.
Militia pœnitentibus olim interdicta, & quare. 48. est interdicta clericis. ibid. eã Ecclesia vetus probat. ibid.
Militiæ repetitio qualis damnata Synodo Nicæensi. 46 & seq.
Militiam concedit Origenes interdum Christianis. 42
Militiam & capitalia supplicia concedit illis Tertullianus. ibid.
Militiam ob quas causas Iudæi detrectauerint. 43. quas ob causas olim etiã Christiani eam detrectauerint. 44
Minor annis hosti obligatur. 674
Minor an promittendo obligetur. 246
Misericordia digni qui bello capiuntur. 596
Misericordiæ ara apud Athenienses. 416
Mobiles res quando fiant singulorum capientium. 525
Mobilia generaliter postliminio non recipiuntur. 559
Moderatio in belli iure circa personas. 574. & seq.
Modus in pœna vnde petendus. 387
Modi habendi qui. 71
Monomachia bellum finire an liceat. 645. & seq.
Monomachiæ de regno quis effectus. ibid.
Monopolia quæ licita, quæ contra ius, & quæ contra charitatem. 264
Monopolium. vide Coemtio.

Moræ

Mora in territorio alieno an licita. 137
Moræ purgatio in pace an admittenda. 649
Moralium incertitudo vnde. 436
Mori Hebræis dimitti vocatur. 356
Mores generales in aliqua parte mundi non faciunt ius naturæ. 397
Mors deportationem quando comprehendat. 318
Mors pro vera religione quanti facienda. 103
Mortem pati potius quàm alium occidas, quando liceat, quando non. 117
Mortem æternam aggressoris an quis sua morte cauere debeat. 54
Mortis casus expressio quando extendatur ad casum non nati. 325
Muli qui apud Romanos postliminio recepti. 559
Mulierum imperia Romanis incognita. 232
Multitudini etiam in delicto parcendum. 581
Mundiburgii ius. 81
Murenæ controuersia cum Mithridate. 330
Muri faciendi prohibitio quãdo ad aggeres extendatur. 325
Mutii Scæuolæ factum. 510
Mutilator quid restituere teneatur. 335
Mutuum gratuitum quo sensu. 266
Mutuam accipiens pecuniam à debitore meo, mihi tenetur. 238

N

NAbidis controuersia cum Romanis. 323. & seq.
Ναὶ ναὶ *quid.* 286
Ναὶ *quid significet.* ibid.
Ναὶ ναὶ, & ὄ *quid significet.* ib.
nondum Nati an ius suum amittant, & quomodo. 156
leges possunt eorum ius conseruare. 157
Naturale, vox, pro solito fieri. 270
Naturales filii succedunt patri, nisi lex impediat: & adoptari possunt. 198. *non succedunt in regnis à populo delatis.* 203
Naturalia pro certo statu. 216
Naturæ prima & consequentia quæ? 16
Naturaliter licita an omnia etiam

etiam apud Deũ licita. 119
Naufragorum bona confiscare iniustum. 192
Nauigandi libertas pactis imminui potest. 148
Nauis, quæ apud Romanos postliminio recepta. 560
Nauis si cui nocuit, an dominus teneatur. 337
Nauis in qua innocentes sunt an peti tormentis possit. 468
Naues captæ quando iure belli censeantur. 520
Naues nunc nullæ postliminio redeunt. 560. & seq.
Necessaria ad finem licitum licita. 466
Necessitas excepta in lege dominii. 132
Necessitas ius non dat, si sit euitabilis. 133
Necessitas quod ius det in pacatos. 613
Necessitate factum pacem non rumpit. 643
Necessitate pari possessor præferendus. 133
Neglectus puniendi punibilis. 411
Negotium alienum gerens sui lucri causa, repetit impensas, in quantum alter est locupletior. 239
Nepos ex filio priore an filio posteriori præferendus in regno. 210
Nepos ex filio an filio præferendus. 212
Nepos minor ex filio an præferatur nepoti maiori ex filiâ in regni successione. ibid.
Neptis ex primogenito an filiũ alterum excludat. ibid.
Nepotes alendi. 195
Ninus primus imperium ampliauit. 548
Nocentes dedendi aut puniendi. 413
Nocentes dedendi obligatio, vnde. ibid.
Nocumentum quod ex occasione peccati non ob peccatum sentitur, pœna propriè non est. 422
Nocentibus parcẽdum ob multos innocentes. 468
Nocentibus sæpe parcẽdum innocentũ causa. 576. & seq.
Nomina regionum in pace quomodo accipienda. 639
Nostrum quibus ex causis quid dicatur. 127
Notitia de Deo quòd inconspicuus. 400
Notitia de Deo vno. ibid.
Notitia de Deo vt omniscio. ibid. & vt creatore. ibid.

Notitia

Notitiæ actiuæ de Deo. 401
Notitiæ de Deo quomodo probentur. ibid.
Notitiæ de Deo quæ maximè vniuersales. 404
Notitiæ de Deo, quæ obliteratæ. 402
Notitiæ de Deo quæ & quales. 400
Noxales actiones ex quo iure. 337

O

OBedientia sæpe illicita. 459
Obligari naturaliter quis quot modis dicatur. 291.
Obligari ciuiliter quis quot modis dicatur. 292
Obligatur nemo ad bellum iniustum. 309
Obligemur quomodo per aliũ. 250.
Obligatur validè prædoni is, cui metus incussus non est. 622.
Obligatio ex facto ministrorum cuius sit iuris. 337
Obligationis sine coactione exempla. 218
Obligatio ex culpa qualis. 332
Obligatio cadit in actum aut facultatem: & quomodo hæc differant. 76
Obligatio feudalis non tollit summum imperium. vide Feudalis obligatio.
Obligatio ex dominio qualis. 235
Obligatio ex rebus exstantibus, & non exstantibus. ibid.
Obligatio interdum est in nobis ita, vt alteri ius nullum quæratur. 244
ad Obligationem requiritur animi deliberatio. 245
Obses an teneatur, mortuo qui misit. 654
Obses qui fugit recipi à ciuitate non potest. 653
Obses datus pro altero, si is mortuus sit liberatur. 654
Obses an ex alia causa possit retineri. ibid.
Obsidi fugere an liceat. 582
Obsides an occidi possint iure belli. 508
Obsides an occidi possint iure interno. 582 ex delicto possunt. ibid.
Obsides serui non sunt. 653. an illis fugere liceat. ibid.
Obsidum bona cui cedant. ibid.
Obsidum obligatio odiosa. ib. eorum obligatio interdum principalis. 654

Obsidum alter an ex facto alterius teneatur. ibid.
Obstinata resistentia non sufficit ad ius internum occidendi. vide *Resistentia obstinata.*
Occidere hostem, ius belli dicitur. 503
mortem paci potius quam alium Occidas, quando liceat, & quando non. 117
Occidere se an vnquam liceat. 355
Occidere supplices an liceat. 507
Occidere obsides an liceat. 508
Occidendi deditos aut captos an iusta causa talio, aut resistendi pertinacia. 507
Occidi possunt iure belli, qui intra hostium fines sunt. 504
Occidi an possint, qui ante bellū aliquo venerunt. ibi.
Occiduntur senes belli iure. 506
Occiduntur captiui belli iure. ibid.
Occiduntur infantes belli iure. 505
Occiduntur mulieres belli iure. ibid.
Occisio quando licita iure interno in bello iusto. 569
Occisio quatenus licita in repressaliis. 489
Occisio hostis indistincte quo sensu licita. 502
Occisio extra propositum, siue indirectè, quando licita. 468
Occisio pro vitæ defensione quomodo vitiosa. 117
Occisio, ne fugere cogamur: pro tuenda existimatione: & pro rebus an licita. 120
Occupandi ius in statu rerum communium. 127
Occupatio post omissam communionem. 129
Occupatio non est nisi in re terminata. 130
Occupatio, alia per vniuersitatem, alia per fundos. ibid.
Occupatio imperii. 142
Occupatio dominii. ibid.
Odium in promissis. 318
Odio carentia quomodo intelligenda. 319
Odiosa quomodo interpretanda. ibid.
Odiosa in dubio personalia. 322
Οἰκονομία. 474
Οἰκουμένη. 432
Onus vitandum in verbis interpretandis. 319

Onera ex federe transitoria aut manentia. 302
Opera & pecunia quot modis inter se comparentur. 269
Operas qui promisit, quibus ex causis excusetur. 328
Opificibus parcendum in bello. 579
Oppidum tradere qui promisit, potest præsidium dimittere. 672
Οὖ ἕνεκα quid. 286
Orbis pro Romano dictus. 432
Orbi toti an vnum imperium expediat. 432
Ordo eorum qui damnum dederunt in debito restitutionis. 334
Ordo qui seruandus inter socios. 178
Ordo considendi inter Reges Christianos. ibid.
Ordo inter eos, qui partes in re dispares habent. ibid.
Ordinum conuentus populum referunt. 188
Ordinum conuentus alibi alios vsus habet. 70
Ordinatio diuina esse regia potestas quo sensu dicatur. 28

P

PAcatorum quod officium circa bellantes. 615
Pacta quæ pactis aliis præualeant, si casu collidantur. 329
Pacta, quibus imperii mixtura fit. 625
Pacta nuda an obligent iure naturæ, & gentium. 242
Pacta in mari, in vacua insula, aut inter diuersarum ciuitatum ciues per literas facta, reguntur iure naturæ, & gentium. 246
Pacta regum quo iure regantur. ibid.
Pacta errantium. 247
à Pactis posterior discedens non est perfidus. 627
Pactorum personalium & realium discrimen. 322
Paganus an hostem licite occidat. 616
Παραδεισια. 370
Parentes alendi. 195
Parentes liberos pignorare ac vendere quãdo possint. 164
Parentum ius in liberos secundùm tempus distinguitur. 162
Parentum cum liberis matrimonia contra ius naturæ. 169
Pars maior ius habet vniuersitatis. 176
Participes delicti qui. 409

Partus an ventrem sequatur, & quo iure. 223
Partus matrem naturaliter non magis quàm patrem sequitur. 182
Pater ius suum in filium alienare an possit. 180
Paterfamilias quid significet. 598
Patientia quæ punibilis in rectore, aut republica. 410. & seq.
ad Patientiam Christi exemplo inuitamur. 103
Patrimonium populi rex alienare non potest. 189. *illius pars, id est, domanii à Rege oppignerari cur possit.* ibid.
Paucorum dominatio. vide *Dominatio.*
Paulus Apostolus non improbat præsidium militare. 32
Pax religiosè seruanda. 681
Pax vtilis validioribus, inualidioribus, & pa ibus. ibid.
Pax rupta quando censeatur. 640
Pax rumpitur ab eo, qui ex veteri causa vim infert. ib.
Pax alienans bona coronæ. 634
Pax, qua imperium, aut pars imperii alienatur. 633
Pacis causa an bona subditorum valide alienentur. 634
Pacis conuentionum interpretationes. 636
Pacis capita an distinguenda in maiora & minora. 643
Pace non reddi ciuitates liberas, quæ se sponte subiecerunt. 637
Pace regis an teneantur successores: & populus. 634
Pacem seruare qui vult postquam ab aduersario rupta est, potest. 644
Pacem facere cuius sit. 632
Pacem maior pars faciens obligat vniuersitatem. 633
an Pacem facere possit Rex aut minor, aut captiuus, aut exul. 632
Pactiones de rebus reddendis, quæ magis minusque fauorabiles. 639
Peccandi facilitas causa non minuendæ pœnæ. 392
Peccatum ad mortem. 367
Peccata quæ facile condonanda. 386
Peccata quæ excusabiliora. 390
Peculatus committitur circa prædam. 535
Peculium quid. 599
Peculium quatenus domini,

quatenus serui. ibid.
Pecunia communis mensura. 338
Pecunia quanti æstimanda. 265
Pecunia sterilis quo sensu. 266
Pœnitentibus militia olim interdicta & quare. 48
Pensitatio non repugnat cum summo imperio. 86
Percussorem immittere an liceat in bello. 510
Peregrini tenentur legibus loci, in quo contrahunt. 246
Perfidiæ vsus in desectores, piratas, latrones, iure gentium dissimulatur. 511
Perfidorum opera vti cõtra ius gentium. ibid.
Periurij pœna posteritatem contingit. 273
Periurii voluntas punitur. ib.
Periurus in piratam, aut latronem non punitur. 623
Permissio quotuplex. 14
Permissio ex more distinguitur à permissione ex beneficio. 140
Permissio an legis sit actus. 6
quotuplex. 14
Permittere se arbitrio aliorum quid sit. 650
Permutatio contractus antiquissimus. 258
Persæ multas vxores habebãt. 166
Persarum opinio de Deo. 515
Persarum mos in iudiciis criminum. 389
Persarum lex quædam iniusta. 426
Persarum ius in liberos. 164
Persecutio difficilis præsumi facit derelictionem. 216
Persei Macedonis cõtrouersia cum Romanis. 322
Personarum aptitudo ad causas peccandi impellentes, & abstrahentes. 389
Petenti dare, quo sensu Christus præcipiat. 36
Petri factum gladio vtentis cur improbatum? 55
Plantata an solo cedant. 224
Plebs in Aristocratico regimine exsors omnis potestatis ciuilis. 64
Pignorationes iure ciuili irritæ. 485
Pignus accipiens ad quid teneatur. 262
Pignoris datio qualis actus. 258
Pignorũ conuentio quã interpretationem recipiat. 654
Pilagium quid. 539
Pipini factum. 510
Piratæ nõ triumphantur. 493

Piratæ quæ capiunt non mutant dominium. 560
Piratis datum repeti potest. 336
Piratæ ius legationis non habent. 340
Piscandi ius in mari, quorum sit. 145
Piscandi ius in diuerticulo fluminis occupari potest. ibid.
Pisces quorum sint. 131
Pisces in stagno priuato non sunt nullius. 215
Pœnæ definitio. 359
Pœna iusta nulla nisi ob culpam. 360
Pœna deberi quo sensu dicatur 361
Pœna exigi debet propter quid. 363
Pœna debita quo sensu dicatur. 383
Pœna diuina qualis & an ob finem. 364
Pœna cum benefactis compensatur. 384
Pœna potest esse citra legem pœnalem. 383
Pœna an semper prærequirat iurisdictionem. 396
Pœna an transeat in eos qui nõ deliquerunt 420.424
Pœna accepta aufert ius belli mouendi. 662
modus in Pœna vide petendus. 387
Pœna proprie dicta in bestias non cadit. 423
Pœna an delictum excedere possit. 391
Pœna remittenda, ne ad bellum veniatur. 445
Pœna maxime remittenda ab eo, qui læsus est etiam rege. 446
Pœna pace remissa quæ censeatur. 638
Pœnæ priuatæ permissio. 371
Pœnæ exactio an Euangelio permissa. 373
Pœnæ improprie, irregularitates. 360
Pœnæ exactio ad quam iustitiæ speciem spectet. ib.
in Pœnis æqualitas primo ac per se quæ spectetur. 361
Pœnæ in mari. 369
finis Pœnæ. 363
Pœnæ omittendæ causæ. 384
fines quomodo cessent. ibid.
Pœnæ quomodo ab aliis in alios transeant. 409 & seq.
Pœnæ ciuitatum distinctæ à pœnis singulorum. 419
Pœnæ obligatio in vniuersitate quamdiu duret. 420

Pœnæ remissio quibus signis intelligatur. 680
Pœnæ minuendæ aut non minuendæ causæ. 392
Pœnæ mensura. 391
Pœnæ ius remissum, vbi actum est cum tyranno, quasi cum prædone. 621
Pœnarum partitio: fines. 366
Pœnale pactum aut lex fortior non pœnali. 329
Pœnalia quando ad hæredes transeant. 427
Pœnitentibus an pœna omnis condonanda. 377. & seq.
Πόλεμος *vnde dictum.* 3
Pollicitatio quid, & quem effectum habeat. 244
Πολιτικὴ *ars quæ Aristoteli.* 62
Politici scriptores magis spectant quotidianam administrationem quam ius imperii. 78
Pompeius templum Hierosolymorum ingressus contra legem. 515
Pontifex Romanus coronat Imperatorem Romanum qua talis est. 233
Pontifex Romanus pronuntiauit electionem factam à populo Romano. 233
Pontifex Romanus vacāte imperio, feudorum inuestituras quo iure tribuat. ibid.
Populus potest ius se regendi totum alienare. 63 *eorum exempla qui se aliis subiecerunt.* 64
Populus facto Magistratuum sine mandato non obligatur. 310
Populus Romanus ius imperatorem eligendi semper retinuit. 232
Populus Romanus idem qui olim. 231
Populus regimine mutato tenetur de debito ante contracto 230
Populus liber factus sedet eo loco quo ante rex aut princeps. ibid.
Populus idem sub Monarchico, Aristocratico, Democratico regimine. 229
Populus migrans idem. ibid.
Populus idem quamdiu. ibid.
Populus quomodo intereat. ibid.
Populus subditus an ob Regis delictum puniri possit. 423
Populi ob regum peccata puniti, quare. 68
Populi pars alienari non potest, nisi & ipsa consentiat. 186

nec potest recedere à populo, nisi ex summa necessitate. ibid. *ne quidem ex necessitate rectè alienatur.* 187
Populi consensus circa alienanda imperia quomodo intelligatur. ibid.
Populi testimonium de iure successionis quid valeat. 209
Populi minor pars populum non obligat. 298
Populi an postliminio à regibus recipiantur. 558
Populo destructo an res maneant eorum, qui populo superfunt. 229
Populatio inutilis vbi hostis aliunde ali potest. 587
Populatio quibus ex causis inhibenda. 584
Populatio quæ vtilis: & quæ inutilis. ibid.
Populatione abstinendum vbi spes est celeris victoriæ. 586
Populatione inhibita conciliantur hostium animi. 591
in Populationibus inhibendis Belgarum, & Indorum mos. 587
Possessio per alium acquiritur. 524
Possessio in re dubia imperii sequenda priuato. 108
Possessio ferarum per instrumenta quomodo quæratur. 216
Possessio longæua inter reges & populos. 152
Possessio non acquiritur iaculi immissione. 217
Possessionis longæ fauor circa imperia. 155
Possessionis immemorialis quæ vis iure gentium. 156
Possessor necessitate pari præferendus. 133
Possessor malæ fidei quale ius acquirat. 544
Possidentis ius. 133
Possidentis melior conditio in re dubia. 442
Posteri captiuorum, serui. 542
Posteriora prioribus derogantur. 316
Posteriora fortiora prioribus. 329
Postliminium quid: & illius vocis origo. 551
Postliminium apud socios, & amicos. 552
Postliminium in bello & pace. 553
Postlimnii species. ibid.
Postliminium an dediti habeant. 555
Postliminium extra bellū vn-

de ortum: & apud quos locum habeat. 561
Postliminii non est ius durantibus induciis. 555
Postlimmio quæ dicantur recepta. 552
pace qui Postliminio redeant, qui non. 553
qui Postliminio rediit, iura in eum restituuntur. 555
Postliminio an aliquando populi se suaq; recipiant. ib.
ciuitas Postliminio quomodo redeat. ibid.
Potestas. 4
Potestas ciuilis in quibus rebus consistat. 61
Potestas summa quæ. 62. *illius subiectum.*ibid. *non est semper penes populum.* 63
Potestas summa temporaria aliqua. 66
Potestas regia quo sensu bono nostro inseruire à Paulo dicatur. 91
Potestas ciuilis humana ordinatio Petro, Paulo diuina; quo sensu. 98
Potestas patria quædam ex iure ciuili. 164
Potestas summa per res quomodo obligetur, ex pacto minorum potestatum. 668
quomodo obligetur ratum habendo, & ex eo quod cõtra arcana mandata factum est. 669
Potestates minores quibus modis summam obligẽt. 668
Πρέσβεις αἰτεῖν. 581
Præceptum Christi de non resistendo, quem sensum habeat. 54
Præcepta Euangelii an contineantur in iure naturali. vide *Euangelii præcepta.*
Præceptorum ordo secundæ tabulæ in Decalogo. 389
Præda: Græcorum, Asiæ, Afrorum, Francorum, & Romanorum mos circa eam. 527. *& seq.*
Præda militibus interdum data, & quibus ex causis. 530
Præda eadem in diuersos vsus distributa. 533. *& seq.*
Præda in solutum concedi solet. ibid.
Præda militi dari quando cœperit apud Romanos. 538
de Præda lex ciuilis statuere potest. 536
*Præda interdum subditis conceditur.*ib. *socii aliquando partem habent in ea.* 537
Prædæ decima consecrata. 518
*Prædæ ius probauit Deus.*ibid.

Prædæ

Prædæ nomine vrbes & agri veniunt in piis cauſis. 534
Prædæ genera. ibid.
Prædæ diuiſio quot modis facta. 530
Prædæ pars data iis qui nō militarent. 533
Prædæ pars data miſerabilibus perſonis. 536
Prædari vetitum manente periculo. 539
Prædandi licentia olim inter populos diuerſos. 299
Prædictio diuina an ius det. 435
Prædoni fides debetur. 620
Prædones duces facti. 493
Præmium cui debeatur, ſi duo ſimul impleuerint conditionem. 324
Præſentem reipublicæ ſtatum tueri ciuis boni eſt. 156
Præſumitur in dubio pax inita hoc ſenſu, vt res maneant in ſtatu, in quo poſtremò erant. 636
Pretia rerum vnde. 263
Primi vox quid ſignificet. 324
Princeps. vide *Rex.*
Princeps nouiter factus ſedet eo loco, quo ante populus. 230
Principes populi liberi vi reprimi poſſunt. 104
Priuatus non debet ad ſe rapere iudicium quod eſt populi. 108
Priuatus ſe obligans hoſti an contra rempublicā faciat. 674
Priuati an cogendi à ſuperioribus implere, quod hoſti promiſerunt. 676
Priuati pactis cum hoſte obligantur: & quo ſenſu etiam piratis & latronibus obligentur. 673
Priuatæ interfectionis exempla. 372
Priuatis Chriſtianis an liceat punire maleficos. 379 *& ſeq.*
Priuati quatenus capta ſua faciant. 617
Priuati de bello captis quando hoſti, quando ciuitati teneantur. ibid. & ſeq.
Priuatorum pacta cum hoſtibus quæ irrita. 675
Priuata cauſa cum publica in bello coniungi poteſt. 109
Priuilegia quomodo interpretanda. 342
Priuilegia quæ late interpretanda. 662
Prohibita non ſemper etiam irrita. 176
Promiſſio non omnis tollit ſummum imperium. 75
Promiſſio vt valeat acceptanda.

da. 251. *illius acceptatio quomodo fiat: & an innotescere debeat promissori, vt per fictam vim habeat promissio.* ibid.
Promissio an reuocabilis ante acceptationem: & mortuo ante acceptationem promissario. 252
Promissio an reuocari possit mortuo internuntio: item mortuo tabellario. ibid.
Promissio per ministrum facta quando reuocabilis. ibid.
Promissio facti alieni quid operetur. 255
Promissio requirit vsum rationis in promittente. 246
Promissio in errore fundata quando dicatur, & quid operetur. 247
Promissio rei illicitæ non valet. 249
Promissio facti, quod nunc in potestate promittentis non est, quid valeat. ibid.
Promissio ex metu. 248
Promissio ob causam ante debitam an obliget. 250
Promissio perfecta quid, & quam vim habeat. 245
Promissio nouum ius confert. 482
Promissio de non fugiendo à vincto facta valet. 676
Promissio de non redeundo in certum locum, & de non militando hosti facta valet. 675
Promissionis materia qualis esse debeat. 249
Promissionis vis. 244
Promissioni onus adiici quando possit. 254
Promissiones causam expressam non habentes naturaliter valent. ibid.
Promissum ob causam turpem an præstandum. 249
Promissi onus in commodum tertii adiunctum, quid operetur. 254
Promissa multa, quæ natura valent lex ciuilis irrita facit. 249
Promissa quæ plus nocent promittenti quam alteri prosunt, an præstanda. 328
Promissa fauorabilia, odiosa, mixta, vel media. 318
Promissa regum. vide Reges.
Promittendi modus quis. 250
Promittens metu an teneatur. 248
Prophetarum dicta de pace sub Euangelio quem sensum habeant. 34

Proportio Arithmetica & Geometrica an proprie distinguant iustitiam expletricem & attributricem. 5
Propositi, impetus, & casus distinctio. 572
Proprietatis exordium. 127
Προστάγματα. 300
Πρέσβεις *maris quorum sint.* 145
Prouisi & improuisi distinctio. 571
Prouocatio non datur ab arbitris lectis inter summas potestates. 648
Proximus quis in lege Hebræa: & quis in lege Euangelica. 38
Proximi nomine venit etiam qui per repræsentationem consequitur ius gradus superioris. 211
Ψεύδεις *in Sacris literis quid.* 275
Ψευδορκεῖν. 281
Publica vtilitas ad alienanda, &c. vide *Vtilitas publica.*
Pudicitiæ conseruandæ causa interfectio licita. 117
Pudor quid, vbi de iure agitur. 563
Pueri, id est, serui. 599
Pugnare in hostem, qui miles non sit, quo iure vetetur. 616
Punici belli secundi controuersia. 336
Puniri an possint qui in falsos Deos impiè agunt. 408
Punitio exemplaris. 370
Pupillus ex commodato tenetur inquantum locupletior. 237

Q

Qvintii Consulis salubre mendacium. 480
Quiritari vnde dictum. 109

R

Rabirij factum. 671
Rami oliuarum. 679
Ratam rem haberi, obligatio qualis. 299
Ratihabitione summa potestas quomodo obligetur. 668
Ratio iuris fundamentum. 9
Ratio adæquata quæ. 324
Ratio sæpe considerandæ secundùm potentiam, non secundùm existentiam. 326
Ratio legis nō planè idem cum mente. 317
Ratio adæquata quæ, & quid operetur. ibid.
Rationis identitas quando inducat extensiuam interpretationem. 324
Razis mors. 356

Redem-

Redempti ex captiuitate redemptori quomodo tenentur. 556
Rediisse ad hostem quis dicendus. 677
Regimen non omne eius causa qui regitur. 67
Regnum. vide Imperium.
Regnum quomodo diuidatur, & quo effectu. 231
Regnum patrimoniale, si sit indiuiduũ, debetur maximo natu. 203
Regnum à populo delatum est hereditas separata à cetera hereditate. 204
Regni & principatus voces significatu proprio & improprio. 69
Regni pleni siue absoluti exempla. 65
Regni à populo delati successor non tenetur ad onera hereditaria. 204
Regna media inter absolutum & Laconicum. 79
Regna à populo delata in dubio indiuidua. 203
Regna à populo delata non deferuntur ad eos, qui à primo Rege non descendunt. ib. non veniunt ad naturales nec ad adoptiuos. ibid.
Regna à populo delata ad mares veniunt potiùs quam ad feminas. ibid.
Regna quomodo deferantur per successionem ab intestato. 202
Regna patrimonialia peruenire possunt ad eos qui à primo Rege non descendunt. 233
Regnum Italiæ. ibid.
Regulæ de eo quod licet in bello. 466. & seq.
Regula, secundùm naturam esse, vt quem sequuntur incommoda, & commoda sequantur, quomodo intelligenda. 222
Regulæ super deliberationibus politicis. 447. & seq.
Relatum in referente. 639
Religio quo sensu iuris gentium. 401
Religio Christiana, quà talis proprie, naturalibus argumentis non nititur. 404
Religionis publicæ status apud Hebræos à Rege pendebat. 96
Religionis ius ad societatem humanam. 399
Religionem multi affectu, non iudicio sequuntur. 403
Religiosa belli iure destruuntur. 516

Religiosa loca hostibus religiosa non sunt. ibid.
Religiosis locis parcendum in bello. 589
Renunciare. vide *Abdicare.*
Renuntiatio de regno an noceat liberis natis iam nascituris. 208
non Repetere aliud quàm dare. 277
Repræsentatio apud Hebræos. 197
Repræsentationis ius vnde. 196
Repræsentatio Germanis serò cognita. 210
Repræsentatio in dubio admittenda. ibid.
Repræsentatio non surrogat in priuilegiũ, quod sexus aut ætatis erat proprium. 204
Repressaliæ. 488. *quid.* 489
Repressaliarum facultas imperari à principe solet. 490
in Repressaliis citatio. ibid.
Repressaliis qui culpa sua causam dederunt, tenentur eos qui damnum passi sunt indemnes præstare. ibid.
Repressaliis obnoxii qui sint. ibid.
Repressaliis non subsunt legati & res eorum. ibid.
Repressaliis eximi lege ciuili solent mulieres, infantes, res studiosorum, aut ad nundinas missæ. ibid.
Repressaliarum iura alia sunt iuris gentium, alia iuris ciuilis. ibid.
Res repetita quid significet. 495
Res rapere quid veteribus Latinis. 500
Res reddere pro quauis satisfactione. ibid.
Res possunt capi etiam in compensationem debiti in bello subnascentis. 593
Res hostium perdere quousque liceat iustitia interna. 583
Res amicorum quæ reperiuntur in nauibus hostium an belli iure acquirantur. 521
Res & modus circa imperium distinguuntur. 71
Res nõ perductæ intra præsidia dominiũ non mutant. 560
Rebus ad bellum non facientibus parcendum. 588
Rerum defensio an ius det occidendi. 120
Rerum seruandarum causa vis per Euangelium an & quatenus licita. 113
Rescissoria actio ex postliminio apud Romanos. 557
Resistere an liceat superiori in summa necessitate. 97

Resistentia obstinata non sufficit ad ius internum occidendi resistentem. 581
Resistentia aliqua in delatione imperij reseruari interdum solet. 105
Respublica non tenetur ex facto subditi. 410
Reipublicæ bonum an nostri tantùm causa desideremus. 118
Reipublicæ forma mutata apud victos, & an rectè. 606
Restituere qui teneantur: faciendo, aut non faciendo. 333
Restitutio non debetur ex bello iusto ob vitiosam intentionem. 436
Restitutio rerum captarum in bello in iure dubio quomodo temperanda. 612
Restitutio eorum, quæ hosti iniustè tenenti erepta sunt. 610
Restitutionem qui debeant in solidum vel ex parte. 334
Restitutionis obligatio ex bello iniusto. 565
Restitutum debitum ex quo iure oriatur. 334
Resurrectionis spes an causa sepeliendi. 351
Reuocatio promissionis. vide *Promissio.*
Reum iudici eximens crimen committit. 470
Rex vnus esse potest plurium regnorum distinctorum. 63
Rex an se aduersus cõtractum restituere possit. 289. *an iuramento teneatur.* ibid.
Rex actus suos priuatos à lege potest eximere. 290
Rex subdito suum auferens debet compensationem facere ex communi. 293
Rex populum aut successores non obligat in infinitum. 294. *& quatenus obliget.* 295. *& seq.*
Rex stipendia non soluens tenetur vicinis de damnis datis. 614
Rex minor an pacem facere possit. 632
Rex captiuus an pacem facere possit. ibid.
Rex exul an pacem facere possit. ibid.
Rex priuatus fit vi legis commissoriæ. 105
Rex partem populi alienare nõ potest. 187
Rex hostis totius populi regnũ amittit: & quomodo hoc capiendum. 105
Rex regno pulsus ius habet ex

fœdere. 323
Rex subditis ius suum auferre potest in pœnam: & ex vi dominij supereminentis. 292. *& seq.*
Rex imperium derelinquens priuatus fit. 104
Rex regno eiectus an ius legandi habeat. 339
Rex temerè bellum suscipiens ad restitutionem subditis tenetur. 449
ius Regis apud Samuelem. 90
Regis persona inuiolabilis. 100
Regi regnum alienanti quatenus resistere liceat. 104
Regi curæ esse debet Regum salus. 512
Reges possunt esse Christiani. 27. *seruire Christo debent quâ Reges sunt.* ibid.
Reges quidam non subsunt populo etiam vniuersim sumpto. 65
Reges impropriè dicti. 66
Reges non omnes constituuntur à populo. 67
Reges Persarum summum imperium habebant, quædam tamen facere iustè non poterant. 76
Reges Æthiopum summi, adstricti promissis. ibid.
Reges Hebræi summum imperium habebant. 79
Reges Orientis, Persæ, AEgyptij, Syri, Asiatici summum imperium habebant. ibid.
Reges veteres Germaniæ & Galliæ non habebant summum imperium. ibid.
Reges Romani cum populo partiti summum imperiū. 80
Reges Ægyptij summi, adstricti promissis. 79
Reges, cùm acta quædam sua ab aliis expendi volunt, aut etiam rescindi, non eò partiuntur summum imperium.
Reges creduntur in dubio velle sequi successionem, qualis in vsu est in suis locis. 202
Reges medij deberent cogere bellantes ad accipiendam æquam pacem. 441
Reges minores in actibus publicis cum effectu obligantur. 289
Reges etiam cùm homini non obstringuntur, Deo obstringuntur. 291
Reges tenentur ex promisso, etiam causa non expressa. ibid.
Reges ex contractibus naturaliter,

liter, an & ciuiliter obligentur. ibid.& seq.
Reges an ex militum aut nautarũ facto teneantur. 337
Reges quomodo obligentur ex bello iniusto. 565
Regum fides pro iuramento. 287
Regum iudex solus Deus. 68
inter Regem & populum mutua subiectio non est ordinarie. 69
Regum actus non sunt irriti contradictione parentum. 164
Regum memoria damnata. 76
Regum actus priuati legibus communibus ciuitatis reguntur. 290
Regum non plenè regnantium actus possunt irriti fieri per legem populi. ibid.
Regum cura generalis pro societate humana. 398
Regibus captis an parcendum. 575. Romanorum mos circa eos. ibid.& seq.
Regum res fiunt Regis victoris. 538
Ripa priuatis quando cedat. 221
Ripæ cuius iure Romano. 217 cuius naturaliter. 218
Roma quondam communis patria. 604
Romani cur stipulationibus plus tribuant, quam pactis. 245
Romani asperi in victoria. 576
Romanus. vide Populus & Imperium.
Romani veteres dolis abstinebant. 482
Romani imperii quæ fuerunt, cuius nunc sint. 231
Romani sibi vindicant, qua hostis ipsorum aliis eripuerat. 522.& seq.
Romani duri in captiuos populares. 665. eorum instituta ad res bellicas directa. ibid.
Romanorum ius in liberos. 164
Romanorum cõtrouersia cum Latinis, & alia de duratione federis. 323
Romanorum ius de postliminio. 556
Romanorum mos de agris captis. 525 circa prædam. 528
Romanorum Imperator idem Germanorum: vnde. 233
Romanorum ius de captiuis redemptis. 556
Romanorum ius pro iis, qui postliminio redierunt. 557
Romanorum lex circa res captas. 594

Romano-

Romanorum mos circa Reges captos. 575
Ruben exheredatus à iure primogenituræ. 207

S

Sabbati lex pro seruis. 598
Sabbati lex cuius rei symbolum. 400
Sabbati violati pœna cur capitalis. ibid.
Sacerdotibus & eorum asseclis parcendum in bello. 578
Sacramentum militare post Constantinum. 46
Sacra corrumpi an possint iure belli. 513
Sacra quo sensu publica. 514
Sacra in deditione comprehenduntur. 513
Sacra hosti sacra an sint. ib.
Sacra populi voluntate profana facta. 514
Sacris parcendum in bello. 588
Saguntina controuersia inter Romanos & Carthaginienses. 320
Samsonis mors. 356
Sapiens natura magistratus, quo sensu. 371
Satisfactio offerenda ab eo, qui deliquit antequam iustum bellum gerere possit 125
Saul an in impietate mortuus. 356
Sciens præsens & tacens quando consentire credatur. 153
Scientia quando præsumatur. 412
Scholasticorum sententia de mendatio & æquiuocatione. 481
Scriptura in dubio ad monumentum cõtractus adhibita censetur. 330
Scripturæ & picturæ eadem ratio. 224
Scripti & sententiæ locus apud Rhetores. 316
Σκδλα. 538
Semipraui. 573
Sedis mutandæ amor, iniusta belli causa. 430
Senatus Romanus aliquo tempore partitus summum imperium cum populo. 80
Seruorum deliberatrix facultas imperfecta. 461
Sententia ius proprie non dat. 489
Sententiæ quæ diuidendæ, aut coniungendæ. 177
Sententiæ quomodo numerandæ inter eos qui dispares partes in re habent. 178

Sententiarum pari numero reus absoluitur & possessor vincit. 177
Sepeliendi ius quale. 348
Sepeliendi mos vnde ortus. 350
Sepeliendi hostes & inimici. 353
ob Sepeliendos mortuos bella. 349
Sepultura an debeatur his, qui se occiderunt. 355
Sepulturam prohibere furor dicitur. 354
Sergius Paulus in Magistratu manet factus Christianus. 32
Seruitus ex voluntate. 180
Seruitus neutiquam pugnat cum iure naturali. 181
Seruitus ex pœna. 184
Seruitus perfecta, & imperfecta quæ. 180
Seruitus quo sensu contra naturam dicatur. 541
Seruitutis imperfectæ genera. 183
Seruitutis bellicæ causa. 543
Seruus mercedem laboris sui an sumere possit. 545
Seruus resistere an licite possit domino. 546
Seruus cognosci debet ne postliminio recipiatur 557
Seruus recipitur, etiamsi animum res nostras sequendi non habeat. 558
Seruus mercenario comparatur. 596
in Seruum quiduis licet. 542
Serui fratres nostri. 597
Serui naturaliter Philosophis qui. 432
Serui ad operas vrgendi moderate. 598
Serui quo casu fugere possint. 183
Serui transfugæ recipiuntur postliminio. 558
Serui quando postliminio recipiantur. 557
Serui etiam manumissi postliminio recipiuntur. ibid.
Serui redempti quod ius apud Romanos. 558
Serui dicuntur populi subiecti. 72
Serui pro dominis bellant. 110
Serui res fiunt domini. 542
Seruis Romanis licebat ad statuas confugere. 600
Seruo dominus quæ præstare debeat. 599
Seruorum nati matrem sequuntur. 543
Seruorum filii an naturaliter serui, & quatenus. 182
in Seruos lenitas adhibenda. 597.

597. ius vitæ & necis in eos quale. ibid.
in Seruos ius vitæ ac necis dominorum quale. 181
Seruos Romana lex bello arcebat. 110
circa Seruos Francorum ius & Hebræorum. 546
Seueritas laudabilis Dei, Mosis, Christi & Apostolorum. 38.39
Sexus est quid personale. 204
Sexus priuilegium maius quàm ætatis in regnorum successione. ibid.
Siculæ successionis controuersia. 211
Signa voluntatis. 152
Signis hostium vti licitũ. 474
Significatio impropria quando admittenda. 319
Significatio strictior, laxior, & media. 318
Silentium non liberum nihil operatur. 154
Silentium quando consensum probet. 312
Simulatio quæ licita. 472
Singularium certaminum origo. 370
Singulatim licet quod gregatim non licet. 179
Singuli quando punibiles ex facto vniuersitatis. 419
Societas à ciuitate in quo differat. 84
Societas ciuilis ab humano instituto cœpit. 98
Societas cum quibus illicita Hebræis. 304
Societas an iniri possit, vt alter damni immunis sit. 269
Societas, vbi opera & pecunia inter se comparantur. ibid.
Societas cum profanis quæ, & quatenus periculosa, & quomodo periculis occurri possit. 307. & seq.
Societas, ex qua alter nihil lucri sperat, non valet. 269.
Societas bonorum vniuersorum qualis. ibid.
Societas naualis. vide Admiralitas.
Societatem morte finiri, non est iuris naturalis aut gentium. 323
Societatis bellicæ diuisio. 301
in Societate partes æquales quomodo intelligendæ. 269
Socius socium cogere potest, vt stet federi. 83
Socii sociis ius reddere debent, si subditi sui accusentur. ib.
Socii defendendi quando. 454
Socii qui sint in iure postlimini. 552

Socii quando partem habeant in præda. 536
Socijs illata vis quando pacem rumpat. 642
Socij in bello iniusto de damnis tenentur, interdum & puniri possunt. 467
Sociorum controuersiæ iudicari quomodo soleant. 83. & seq.
Sociorum à socijs oppressorum exempla. 85
Sociorum plurium quis præferendus. 309
Sociorum nomine an futuri veniant. 319
Socios in fœdere non nominatos adiuuare non est contra fœdus. 320 & seq.
Sollicitare subditos alienos non licet. 483
Solum incultum an concedendum externis. 138
Sorores duas ducere olim licitum. 174
Sorte amplius quando aliquid licitè exigi possit. 268
Sortis vsus ad bella vitanda. 441
Sparta. vide Lacædemon.
Specialia fortiora generalibus. 329
Species pars substantiæ. 223
Species populi quomodo tollatur. 229
Species, id est, formæ plures vnius rei artificialis. 230
Specificatione an res acquirantur. 223
Spes lucri quando veniat in restitutionem. 333
Spiritus, id est forma. 227
Spolia hosti detracta quorum sint. 526
Spoliare hostem licet iure gentium. 512
Σπονδαὶ. *quid.* 300
Sponsio quid. 298
Sponsio an ex notitia & silentio Regem aut populum obliget. 311
Sponsionis Caudinæ & Numantinæ controuersia. 310
Sponsionis Luctatianæ controuersia. 312
Sponsores ad quid teneantur si improbetur sponsio. 310
Sponsores tenentur in id quod interest. 299
Sponsorum bona ad id quod interest obligata 311
Stipulari pro tertio naturaliter licet, & quo effectu. 253
Romanæ leges circa stipulationem aut acceptationem pro tertio. ibid.
Studiosis literarum parcendum in bello. 578
Stupra an contra ius gentium in

in bello. 512
Sua homini quæ. 332
Subditi hosti militantes an pacem rumpant. 641
Subditus cogi potest, vt obsessa eat, & quomodo. 653
Subditus dubitãs an rectè militet. 463
Subditi alieni an bello defendi possint. 455. *eos sollicitare non licet.* 483
Subditi quando iustè bellum gerant. 459
Subditi qui. ibid.
Subditi hostium vbique offenduntur iure belli. 505
Subditi reddendi superioribus, si bello iniusto abstracti sint. 611
Subditi quomodo fiant participes delicti superiorũ. 419
Subditi an semper se in libertatem vindicare possint. 159
Subditi bellare possunt in magistratus summa potestatis iussu. 88
Subditi resistere imperantibus prohibentur ex ipsa natura ciuilis societatis. ibid. *eorum resistentia est vetita iure Hebræo, & iure Euangelico.* 90. *& seq.*
Subditi pro imperantibus bellant. 110
Subditis illata vis pacem rumpit, 642
Subditis alterius, qui piratæ sint, vis illata, pacem non rumpit. ibid.
Subditis bellantibus promissa an teneant. 623
Subditis dubitantibus tributa potius imperanda quam opera militaris. 463
Subditis interdum præda conceditur. 537
Subditorum facultas deliberatrix imperfecta. 461
Subditorum ratione an bellum vtrinque iustum ib.
Subditorum defensio an aliqua iusta in bello iniusto. 462
Subditorum libertas obligatur ex facto superiorum. 487
Subditorum factum an pacem rumpat. 641
Subditorum innocentium res in pœnam non rectè capiuntur. 593
Subditos suscipere migrantes, non est contra pacem, quæ amicitiam complectitur. 645
Subiectio ciuilis ex pœna. 184
Subiectio ciuilis. 548
Subiectio herilis. ibid. & 549
Subiectio mixta, ibid.

Subiectio populi perfecta & imperfecta. 184
Subordinationis natura & effectus. 95
Subſtantiæ vox pro more perpetuo. 271
Succeßio titulum veterem cõtinuat. 70
Succeßio linealis in regnis quæ 205
Succeßio cognatica linealis. 206
Succeßio linealis nullis gradibus terminatur. ibid.
Succeßio regnorum in Africæ partibus quibuſdam. 207
Succeßio in regnis patrimonialibus. 202
Succeßio ab inteſtato vnde. 193
Succeßio cur magis deſcendat quàm aſcendat. 195
Succeßionis ab inteſtato duo præcipui fontes. 199
Succeßionem quiſque elegiſſe creditur, quæ in more patriæ eſt. 202
Succeßionum leges diuerſæ. 201
Succedens in regno patrimoniali indiuiduo debet alijs hæredibus idipſum repenſare. 202
Succeſſores regum quando & quatenus teneantur. 293 & ſeq.
Σύμπολια *quid.* 258
Superior an & quomodo in ſubditum mendacium committat. 479
Superior non is ſemper, cuius vtilitati regimen inſervit. 68
Superior quid poßit circa iuramentum. 284 & ſeq.
Superior ſubditum cogere poteſt ad ea, quæ non ex iuſtitia, ſed ex alia virtute debentur. 454
Superficies an ſolo cedat. 225
Superioris præceptum, quando excuſet. 461
Supplicia capitalia antiquiſſima & in quibus criminibus. 23 *non ſolum Hebræis ea conceſſa.* 24
Supplicibus parcendum. 580
Supplices dum cauſa cognoſcitur defendendi. 414
Supplicum ius quibus debeatur. 415
Supplicum defenſorum & non defenſorum exempla. 416 & ſeq.
Supplicum ius in bello quale. 569
Supplices an belli iure occidantur. 507

Suppli-

Supplicum causa ex quo iure cognoscenda. 418
Syrtes an cuiquam propriæ. 130

T

TAlio non transit personam 581
Talionis postulatio Hebræis quo sensu licita. 375
Talionis vsus qui apud Hebræos & Romanos. 376
Talionem in iudicio exigere Hebræis indultum. 36
Telum quid iure Romano. 122
Templum Hierosolymorũ intrauit Pompeius, incendit Titus. 515. & seq.
Templi Hierosolymitani religio. 515
Templa Gentium à Iudæis incensa. ibid.
Templis parcendum. 589
Tempus immemoriale in dubio sufficit ad derelictionis præsumptionem. 154
Tempus immemoriale à centenario differt. 155
Tempus ad pœnitentiam dandum his qui supplicio afficiuntur. 377
Temporis quæ vis ad præsumendam derelictionem. 155
Teneri bello quæ intelligantur. 636
Termini sacra sine sanguine. 606
Terminorum duo genera. 659
Terræ hostili quare pacendum. 589
Territorium vnde dictum. 521
Territorij pars populo vacua alienari potest. 187
Terror non sufficit ad ius internum occidendi. 581
Tertio, qui metum non incussit, facta promissio tenet 625
Testamentum solemnitate aliqua defectum quem effectum habeat. 544
Testamenti factio est iuris naturalis: quo sensu. 190
Testamenta de regnis patrimonialibus. 74
Testamenta de regnis non patrimonialibus nõ valent nisi ex populi consensu. ibid.
in Testamentis clausula derogatoria quantũ valeat. 78
Testari non prohibentur externi iure naturali. 190
Testari quem impediens quando, & cui teneatur. 333
Thebæorum martyrum historia. 102
Theodoti AEtoli factum. 510
Thesaurus in multis regnis Regi cedit. 217

Thesauri cuius, & de ius leges variæ. ibid.
Τιμᾶ pro benefacere. 278
Τιμωρία quid. 366
Timothei ducis moderatio. 587
Titus templum incendit. 516
Tradere se in fidem, quid. 652
Traditio non requiritur naturaliter ad perficiendam alienationem. 185
Traditio naturaliter ad translationem dominij non requiritur. 225
Traditio ad translationem dominij in quibus casibus etiam iure ciuili non requiratur. ibid.
Traiani dictum ad Præfectum prætorio exponitur. 97
Transeundi ius per alienos fines. 135
Transeundum quà sit. ib.
Transfugæ iure Romano postliminium non habent. 556
Transfugæ serui postliminio recipiuntur. 558
Transfugæ ab his à quibus transfugerunt occidi solent. 581
Transfugæ in dubio non reddẽdi. 636
Transfugas admittere licet. 484
Transitus nõ debetur iniustum bellum mouenti. 135
Transmissio linealis differt à repræsentatione. 205
Tribuni sacrosancti quomodo facti. 624
Tributariæ Medorum nationes an eius conditionis manserint translato ad alios imperio. 323
Tributorum finis quis. 33
Tributorum indictio ad victoris vtilitatem. 605
Tulli Hostilij dolus. 480
in Tutelam receptus nihil debet agere noxium statui eius, à quo receptus est. 678
Tutores à quo dandi in regnis patrimonialibus & non patrimonialibus. 75
Tybarenorũ generositas. 483
Tyrannus titulo. vide *Inuasor.*
Tyranno fides debetur. 621

V

VAdes. 422
Valerij Leuini dolus. 481
Vandalicæ successionis controuersia. 211
Vasallus cogi non potest, vt eat obses. 653
Vasallorum ius circa alluuiones. 222

Vastatio. vide *Populatio.*
Vectigal mari imponi an possit. 147
Vectigalia pro transitu mercium imponi quæ possint. 136
Vela candida. 679
Vendendi libertas an alicui debeatur. 139
Venditio potest dominium transferre ante traditionem. 264
Veneno interficere iuregentium vetitum. 508
Veneno inficere tela an liceat. 509
Veneno inficere aquas an liceat. ibid.
Venia digna quæ. 571. *& seq.*
Veniam dare an liceat. 383
Venire, & mittere, diuersa. 663
Venire cui permissum, an quem secum ducere possit. ibid.
Verba intelligenda secundùm materiam subiectam. 326
Verba ex proprietate in dubio sumenda. 315
Verborum obligatio interna ex mente. 314
Verborum obligatio externa secundùm interpretationem probabilem. 315
Veritas, id est locutio aperta. 275.
Veritas iustitiæ pars. 477
Vestis apud Romanos postliminio non recepta. 559
Vestium nomine arma non veniunt. 677
Vetans fortius quàm iubens, quare. 329
Via publica an alluuionem impediat. 223
Victi clementer habendi. 608
Victi victorib. permixti. 604
Victis eripere nihil nisi quod pacem impedit, laudabile. 603
Victis relictum suum imperium. 605
Victis imperium relinquere generosorum est. 606
Victis imperium relinqui solet locis quibusdam detentis. ibid.
Victis imperii pars relicta. 607
permissæ suæ leges, & magistratus. ibid. *sua religio permissa.* ibid.
Victor curare debet, vt religio vera liberè prædicetur. 608
Victor quis dicendus. 647
Victoris officium in eos qui se dedunt. 651
Vindex sanguinis apud Hebræos. 370.
Vindicatio. vide *Vltio.*

Vindictæ priuatæ exempla. 731
Viriati moderatio. 587
Virtutis actus, quos ius Hebræorum exigit, exiguntur & nunc à Christianis. 14
Vis iniusta naturaliter quæ. 17
Vis iusta naturaliter quæ. 18
Vis iusta testimoniis probatur. 19
Vis iusta in bestiis quo sensu. 20
Vis pœnæ ergò licita. 467
Vi, hominibus armatis, coactisve, quid significet. 325
Vita in statu innocentiæ. 128
Vita populi præferenda libertati. 449
Vita an obligari possit. 489
Vita tota reorum an examinanda. 389
Vitam validè obligari, antiquorum sententia. 311
Vitæ tuendæ causa mentiri an liceat. 480
Vitæ pactio libertatem nõ comprehendit. 677
Vitium rei in contractibus indicandum, & quare. 259
Vitia qualia impunita esse debeant. 383
Vitiositas actus ab effectu discernenda. 338
Vittæ. 679
Vltio an iuri naturæ conueniat. 365
Vltio an licita iure naturæ & gentium. 368
Vltio an Christianis permissa. 373. *& seq.*
Vltionis restrictio vnde. 369
Vnio populorum, aut regnorũ quid operetur. 230
Vniuersitas obligat singulos. 176
Vniuersitatis debito singuli an obligentur, & quatenus. 485
Voces an naturalia signa. 472
de Vocibus meris disputatio cauenda. 385
Volenti mentiendo an iniuria fiat. 480
Voluntas defuncti pro lege. 193
Voluntas quæ punibilis. 385
Voluntas Dei nominatur, vbi causæ non apparent. 404
Voluntas iure mutabilis. 243
Ὑπερβολὴ *figura qualis.* 478
Ὑπόκεισις. 286
Vrbes quædam à Deo excidio damnatæ: quare. 586
Vrbes à Solomone Hiromo datæ, quales. 73
Vrbium matricum ius in colonias apud Græcos. 81
Vsucapio locum non habet inter duos populos aut reges. 151
Vsuræ quo iure vetitæ. 266

Vsuræ vetitæ lege Hebræa. 267
Vsuræ Christianis illicitæ. ibi.
Vsuræ crimen quibus casibus non admittatur. 268
circa Vsuras legum ciuilium efficacia. ibid. *Hollandicum ius circa ipsas.* ibid.
Vsus autoritas in explicandis legibus. 42
Vsus rerum naturalis. 127
Vsus rei in abusu consistens æstimabilis extra rem. 267
Vti opera oblata licet, etsi offerenti illicita. 484
Vtilitas publica ad alienanda bona subditorũ pacis causa, quo sensu requiratur. 635
Vtilitas ex abstinentia populationum. 591
Vtilitatis innoxiæ ius. 134
Vxor in corpus mariti ius habet ex lege Euangelica. 166
Vxor rem vindicat emtam pecunia sua, quam repetere potuisset. 237
Vxores: an plures habere licitum sit: qui plures habuerint: qui vna contenti: & an licitum sit eas deserere. 165. 166. 167

X

Xerxis & Artabazanis controuersia. 210
Ξυμμαχίαι. 301

Z

Zelandorum ius circa alluuiones. 222

FINIS.





Differunt Stuprum & fornicatio: Stuprum est cum Virgine vel vidua soluta, verum honeste vivente. Fornicatio è cum virgine quidem soluta sed meretricio more.

Sileant leges inter arma: sed civiles illæ, et judiciariæ, & pacis propriæ: non aliæ perpetuæ, et omnibus temporibus accommodatæ. p. 11. in proleg: Pion Prusiensis optimè dixit: inter hostes quidem scripta jura i.e. civilia non valere: at valere non scripta, i.e. ea, quæ natura dictat, aut gentium consensus constituit:.

Naturalia, cum semper eadem sint, facilè possunt in artem colligi: illa autem, quæ ex constituto veniunt, cum & mutentur sæpè, & alibi alia sint: extra artem posita sunt, ut aliæ rerum singularium perceptiones:.

Historiæ duplicem habent usum, qui nostri sit argumenti: nam et exempla suppeditant et judicia: exempla, quo meliorum sunt temporum et populorum eò plus habent auctoritatis: ideò Græca & Romana vetera cæteris prætulimus: nec spernenda judicia præsertim consentientia:

non scripta ea quæ natura dictat aut gentium consensus constituit: naturalia cum semper eadem sint facile possunt in artem colligi: illa autem quæ ex constituto veniant cum & mutentur sæpe & alibi alia


Inches
Centimetres
Farbkarte #13
B.I.G.
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black
Grauskala #13
B.I.G.
A
M
B